


18 a 7  
12.

Universidad	
GRANADA	
Folio	R
Libro	3
Tabla	
Numero	2167



18 a 7  
12.



Universidad	
GRANADA	
País	P
Repositorio	3
Tabla	
Identificador	2167

*Dell'Ateneo de la Corte de No. de Granada B. B.*  
R. 2533

TOMVS POSTERIOR  
COMMENTARIORVM IN  
OCTO LIBROS ARISTOTELIS  
DE PHYSICO AVDITV, SEV  
AVSCVLATIONE, CONTINENS SEX  
POSTERIORES LIBROS, VNA CVM DISPVATIO-  
NIBVS, ET QVÆSTIONIBVS HOC TEMPORE  
AGITARI SOLITIS IVXTA SVBTILIS  
DOCTORIS IOANNIS DVNS  
SCOTI MENTEM.

AD VNIVERSVM ORDINEM  
FRATRV MINORVM.

A V C T O R E

*ILLVSTRISSIMO, ET REVENDISSI-  
mo Domino D. Fratre Ioanne Merinero, Ma-  
tricensi; olim in Conuentu Complutensi Sanctæ  
Mariæ à Iesu, Lectore Theologo Iubilato: in al-  
ma Castelle Prouincia Ministro Prouinciali:  
postea totius Ordinis Fratrum Minorum Ge-  
nerali Ministro. Nunc Sanctæ Ecclesiæ  
Vallis Oletanæ Episcopo.*

CVM PRIVILEGIO.

Marriti apud Mathæum Fernandez Typographum Regium.  
Anno M. DC. LIX.

## FEE DE ERRATAS.

**P**Ag. 7. lin. 2. diuifo, dig. diuifa Pag. 125. col. 1. lin. 29. phifo-  
logiæ, dig. phifiologiæ. Pag. 260. col. 1. lin. 11. molibis, diga  
mobilis. Pag. 432. col. 1. lin. 21. affectionem, dig. effectiõnem.  
Pag. 580. col. 2. lin. 21. nectam, dig. nec tam.

**H**ic liber inſcriptus *Curfus Philoſophicus ſin quinque tomos, ex Lo-  
gica, Phyſica, Generatione, & de anima, demptis his mendis*, ſuis ex-  
plaribus reſpondet. Datt. Matrit. die 5. menſ Martij anno 1659.

*Lic. D. Carolus Murcia  
de la Llana.*

---

### *Suma de la Tassa.*

**E**Ste curso filosofico tassaron los señores del  
Consejo à cinco maravedis cada pliego, en  
quinze de Março de mil y seiscientos y cinquenta  
y nueue, en el Oficio de Miguel Fernandez de No-  
riega.

---

**E**Stá aprobado este curso filosofico por el Ilus-  
trissimo y Reuerendissimo señor Don Fray  
Francisco de Araujo, Obispo de Segouia. Y por los  
Reuerendissimos Padres Fray Diego Ramirez, y  
Fray Alonso de Herrera.

# INDEX LIBRORVM, DISPVTATIONUM, QUÆSTIONUM, & SECTIONUM, QUÆ IN HOC POSTERIORI TOMO CONTINENTUR.

*Summa textus tertij libri*, pagina 1.

*Annotationes circa literam huius tertij libri*, pag. 5.

*Disput. 1. de motu in communi*, pagin. 7.

*Quest. 1.* An rectè Aristoteles naturam motus definierit? pag. 8.

*Quest. 2.* An definitio motus tradita ab Aristotele tam mutationi instantaneæ, quàm successiuæ conueniat? pag. 15.

*Quest. 3.* Qualiter motus distinguatur à termino ad quem? pag. 18.

*Quest. 4.* An omnis motus in mobili subiectetur? p. 24.

*Quest. 5.* De actione, & passione, tam inter se, quàm cum motu comparatis, pag. 30.

*Disp. 2. de infinito*, pag. 40.

*Quest. 1.* Quid & quotuplex sit infinitum? pag. 41.

*Quest. 2.* Qualiter intelligendæ veniant aliquæ conditiones infiniti? pag. 44.

*Quest. 3.* Vtrum de facto, vel saltem per vires naturales dari possit infinitum? pagin. 49.

*Quest. 4.* Vtrum de potentia Dei absoluta dari possit infinitum in actu, tam secun-

dum extensionem continuam, quàm discretam? pagin. 54.

*Summa textus quarti libri*, pagin. 73.

*Annotationes circa literam huius libri*, pag. 82.

*Disp. 1. de loco corporum naturalium*, pag. 86.

*Quest. 1.* Quid sit locus? p. 86.

*Quest. 2.* Qua ratione immobilitas sit de ratione loci? pag. 99.

*Quest. 3.* Quibus rebus conueniat esse in loco? pag. 104.

*Quest. 4.* Vtrum duo corpora quantitatiuè extensa possint simul esse in eodem loco? pag. 124.

*Quest. 5.* Vtrum de potentia Dei absoluta possit idem numero corpus esse in duobus locis adæquatis circumscriptione modo? pag. 132.

*Disput. 2. de natura vacui*, pagina 154.

*Quest. 1.* Vtrum detur in rerum natura vacuum, vel saltem per aliquam potentiam dari possit? pag. 154.

*Quest. 2.* Vtrum si daretur vacuum, moueretur per illud corpus? Et quomodo? pagin. 166.

*Sect. 1.* Explicatur, an corpora moueri possent per vacuum? pag. 167.

*Sect. 2.* Explicatur, quo pacto corpus per vacuum moueretur, an in instanti, an in tempore? pag. 171.

*Disp. 3. de tempore*, pag. 177.

*Quest. 1.* An tempus sit verum ens reale in rerum natura existens? pag. 178.

*Quest. 2.* An definitio temporis tradita ab Aristotele sit exacta? pag. 187.

*Quest. 3.* Quo pacto tempus à motu distinguatur? pagina 200.

*Quest. 4.* Quibus rebus conueniat esse in tempore? p. 208.

*Summa textus quinti libri*, pagin. 242.

*Annotationes circa literam huius libri*, pag. 233.

*Disp. 1. de numero generum seu specierum motus*, pag. 258.

*Quest. 1.* Quæ sint conditiones per se, & essentialiter requisitæ ad rationem motus? pagin. 258.

*Quest. 2.* Vtrum sit verum, ad quantitatem, qualitatem, & vbi datur per se motus? p. 264.

*Quest. 3.* Vtrum verum sit, ad aliâ prædicamenta non dari per se motus? pag. 274.

*Disp. 2. de unitate, & contrarietate motus*, pag. 286.

*Quest. 1.* Vndè motus unitatè, & diuersitatè specificam accipiat? pag. 286.

*Quest. 2.* Vndè motus accipiat unitatè, & diuersitatè

numericam? pag. 304.

*Quest. 3.* Vndè motuum contrarietas desumenda sit? pagin. 313.

*Summa textus sexti libri*, pagin. 319.

*Annotationes circa literam huius libri*, pag. 333.

*Disp. 1. de compositione continui*, pagin. 336.

*Quest. 1.* Vtrum continuum sit aliquid simplex, an compositum? pag. 336.

*Quest. 2.* An partes, quibus continuum primò coalescit, sint indiuisibiles, an diuisibiles in infinitum? pagina 343.

*Sect. 1.* Proponitur sententia Zenonis, & aliorum Stoicorum cum suis fundamentis, pag. 344.

*Sect. 2.* Aristotelis, & aliorum Peripateticorum sententia amplectitur, & probatur, pagin. 348.

*Sect. 3.* Fundamentis Zenonistarum satis fit, pag. 369.

*Quest. 3.* An in continuo, præter partes diuisibiles in infinitum, sint etiam indiuisibilia, tam terminatiua, quàm continuatiua ipsarum partium? pag. 381.

*Sect. 1.* Explicatur, an indiuisibilia, quibus partes continui continuantur, & terminantur, sint entitates reales, & positiuæ? pagin. 382.

*Sect. 2.* Explicatur, an indiuisibilia sint actu in continuo, tam

- tam inter se, quàm à parti-  
bus distincta, an solum in  
potentia? pag. 387.
- Sect.* 3. An hæc indiuisibilia,  
non solum in quantitatibus,  
sed etiam in substantijs, &  
qualitatibus reperiuntur?  
pag. 397.
- Sect.* 4. Explicatur, an indiuisi-  
bilia sint res, an modi? pag.  
412.
- Quæst.* 4. Vtrum, si daretur in-  
diuisibile à parte rei separa-  
tum, posset moueri? p. 416.
- Disput.* 2. de inceptiōe, & desitiōe  
rerum naturalium. pag. 421.
- Quæst.* 1. An motus fieri possit  
in instanti potentia Dei ab-  
soluta? pag. 421.
- Quæst.* 2. An in motu detur pri-  
mum mutatum esse? pagin.  
424.
- Quæst.* 3. Quo pacto res natura-  
les incipiant, & desinant ef-  
se? pag. 428.
- Sect.* 1. Explicatur modus in-  
ceptionis, & desitiōis rerū  
successiuarum, pag. 430.
- Sect.* 2. Explicatur modus in-  
ceptionis, & desitiōis rerū  
permanentium, quæ sunt,  
& desinant esse per motum  
successiuum, pag. 435.
- Sect.* 3. Explicatur modus in-  
ceptionis, & desitiōis rerū  
permanentium, quæ in sua  
inceptione, vel desitiōe nō  
subiunt motui successiuo.  
pag. 438.
- Summa textus septimi libri.* 447.
- Annotationes circa literam hu-*  
*ius libri.* pag. 457.
- Disput.* unica de his quæ docet Ari-  
stot. in primo, & secundo capite  
huius libri. pag. 462.
- Quæst.* 1. An omne, quod mo-  
uetur, ab alio moueri, neces-  
se sit? pag. 463.
- Quæst.* 2. An grauiā, & leuiā mo-  
ueantur à se ipsis? pag. 480.
- Quæst.* 3. Quæ si multas inter mo-  
uens, & motum requiratur?  
pag. 492.
- Sect.* 1. Explicatur, an inter mo-  
uens, & motum, seu inter  
agens, & passum contigui-  
tas localis requiratur ex cō-  
muni ratione agentis? pag.  
493.
- Sect.* 2. Explicatur, an saltem in  
mouente, seu agente creato  
contiguitas ad passum sim-  
pliciter requiratur, ob eius  
limitationem in mouendo,  
seu agendo? pag. 502.
- Summa textus octauī libri.* p. 513.
- Annotationes circa literam hu-*  
*ius libri.* 538.
- Disput.* 1. de inceptiōe mundi, pag.  
538.
- Quæst.* 1. Vtrum mundus verè  
productus sit? pag. 538.
- Quæst.* 2. Vtrum Deus produxe-  
rit mundum liberè, an ne-  
cessariò? pag. 543.
- Quæst.* 3. Vtrum de facto mun-  
dus productus fuerit ab æter-  
no? pag. 549.
- Quæst.* 4. An saltem potentia  
Dei absolute potuerit mun-  
dus produci ab æterno? pag.  
555.
- Sect.* 1. Explicatur, an res per-  
manentes potentia Dei ab-


- soluta potuerint produci  
ab æterno? pag. 555.
- Sect.* 2. Explicatur, an res suc-  
cessiuæ potentia Dei abso-  
luta potuerint esse ab æter-  
no? pag. 563.
- Quæst.* 5. Vtrum mundus sit in  
æternum duraturus, p. 570.
- Disput.* 2. de motu projectorum, pag.  
577.
- Quæst.* 1. Quid sit causa efficiens  
proxima, & immediata mo-  
tus projectorum? pag. 578.
- Quæst.* 2. Quid sit impulsus, seu  
virtus motiua projectorum?  
pag. 582.
- Quæst.* 3. Quomodo produca-  
tur impulsus? pag. 586.
- Quæst.* 4. A quo, & quomodo  
corrumpatur impulsus? pag.  
589.
- Quæst.* 5. A quo moueantur pro-  
iecta, quando resiliunt? pag.  
596.
- Quæst.* 6. Vtrum proiecta in pū-
- cto reflexionis necessariò  
quiescant quiete priuatiua?  
pag. 600.
- Quæst.* 7. Quare motus naturalis  
sit velocior in fine, quàm in  
principio, & motus violen-  
tus in medio, quàm in prin-  
cipio, & fine? pag. 603.
- Disput.* 3. & vltima de primo moto-  
re, pag. 616.
- Quæst.* 1. An ratio, qua probauit  
Aristoteles dari vnum pri-  
mum motorem immobilē,  
fuerit efficax? pag. 617.
- Quæst.* 2. An sit efficax ratio, qua  
probauit Arist. primum mo-  
torem habere infinitam vir-  
tutem? pag. 620.
- Quæst.* 3. An sit efficax ratio,  
qua probauit Aristoteles, pri-  
mum motorem esse incor-  
poreum? pag. 623.
- Quæst.* 4. & vltima, quid de im-  
mēsitate primi motoris sen-  
serit Arist.? pag. 628.

# LIBER III.

## DE PHYSICO AUDITU, SEU AVSCULTATIONE.

TEXTVS. *Quoniam autem natura quidem est principium motus,  
& mutationis, &c.*

### SVMMA HVIVS LIBRI.



**X**PLICATIS hætenus principijs, & causis entis naturalis, recto ordine aggreditur Arist. explicare affectiones, seu proprietates communes entis naturalis: & quia affectionum istarum, seu proprietatum entis naturalis quædã sunt intrinsecæ (vt annotauit Scotus in expositione primi capitis huius libri) vt motus, & infinitas; quædã verò extrinsecæ, vt locus, vacuum, & tempus; ideo in hoc tertio libro agit Arist. de affectionibus; seu proprietatibus intrinsecis, acturus in quarto de extrinsecis. Vnde liber iste diuiditur in duas præcipuas partes. In prima per tria priora capita disputat Arist. de motu; in secunda per quinque sequentia disputat de infinito.

Accedendo ad primam partem; in primo capite, reddita ratione, quare in hoc libro agat tam de motu, quam de infinito, ponit tres diuisiones, & vnã propositionem generalem, vt fundamenta necessaria ad inueniendam definitionem motus. Rationem, cur hic agat de motu, dicit, esse, quia natura definita fuit per motum, & ideo in doctrina de natura, quidnã sit motus, erit statim definiendum: nam si motus ignoretur, necessum est naturam ignorari. Rationem verò, cur agat de infinito, subdit esse, quia motus est de genere cõtinuorum; in definitione autem continui sæpè ponitur infinitum dicendo, *continuum est infinitum diuisibile*. Prima diuisio, quam ponit, est, eorum, quæ sunt, quædã sunt actu, quædam potètia. Secunda diuisio est, eorum, quæ sunt actu, quoddam est substantia, aliud quãtitas, aliud qualitas, aliud ad aliquid, & sic de alijs prædicamentis. Tertia diuisio est, eorũ, quæ dicuntur ad aliquid, quædam dicuntur secundum superabundantiam, & defectum, quædam secundum actiuum, & passiuum, vt motiuum, & mobile. Propositio generalis, quam ponit, est. Motus non est præter res ipsas circa quas versatur. Et hinc

colligit, motum spectare ad prædicamenta, in quibus collocantur res, circa quas versatur.

In secundo capite ex prima diuisione, quam capite præcedenti supposuerat, colligit hanc definitionem motus, *motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia*. Cum enim eorum, quæ in vnoquoque genere collocantur, aliud actus, aliud potentia sit; actus eius, quod est potentia, vt est tale (inquit Arist.) motus est: quod exemplificat, vt alteratio est actus alterabilis, vt alterabile est; & generatio est actus generabilis, vt generabile est, &c. Probat deinde singulas partes definitionis. Et primò, quòd sit *actus*, quia illud, quò posito, quòd erat in potentia, fit in actu, est actus. Sed posito motu, quòd erat in potentia, est actu motum: ergo motus est actus. Secundo vt probet secundam partem scilicet, *entis in potentia*, præmittit quoddam fundamentum, nimirum, posse idem esse in actu, & in potentia, vel successiuè respectu eiusdem, vel simul respectu diuersorum. Et hoc supposito probat, motum esse actum *entis in potentia*: quia etsi motus procedat ab aliquo existenti in actu, tamen semper est in passio, non quatenus est in actu; sed quatenus est in potentia: ergo est actus entis in potentia. Tertio probat tertiam partem, scilicet, *secundum quod in potentia*, exemplariter: nam æs (inquit) non mouetur ad formam statuæ, secundum quòd est æs; aliàs semper moueretur; sed secundum quòd est in potentia ad formam statuæ: ergo motus est actus entis in potentia secundum quòd in potentia. Probat insuper, prædictam definitionem esse exactam duabus alijs vijs. Primò, quia illud est motus, quò præsentem in mobili, mobile mouetur, & quò non præsentem, non mouetur. Sed actu entis in potentia secundum quòd in potentia existente in mobili, mobile mouetur; & non priùs, & posteriùs: (vt exemplificat in ædificatione, & ædificabili) igitur motus est actus entis in potentia secundum quòd in potentia. Secundo, quia definitiones aliæ antiquorum male erant, & non bene declarabant naturam motus sicut hæc; quòd probat: nam ex antiquis quidam dicebant, motum esse alteritatem, alij inæqualitatem, alij non ens. Sed hæc tria (inquit Arist.) reperiri possunt, vbi non est motus: ergo in nullo istorum potest natura motus consistere. Et quia, qui dicebant, motum esse non ens fundabantur in hoc, quòd motus, neque poterat esse potètia, neque actus, respondet huic objectioni dicens, quòd quamuis motus non sit actus perfectus, neque potentia pura, est tamè actus imperfectus, quia partem habet potètiæ: partem verò actus. Demum, vt natura motus magis maneat declarata, quærit. An motus sit actus

mo-

mobilis? an mouentis? Cùm enim sæpè contingat, aliquid simul mouere aliud, & etiam moueri ab illo, vt ignis calefacit aqua, & frigitur ab ipsa, posset aliquis dubitare. An igni cõueniat motus frigefactionis, vt mouenti; an vt mobili? Et respondet, motum esse actum mobilis, & nõ mouentis. Quòd probat, quia motus est actus entis in potentia, & mouens, in quantum tale, potius est in actu, secundum aliquam formam, vel substantialem, vel accidentalem, quæ sit principium motus. Ex quo infert, posse etiam motum hoc pacto definiri: *Est actus mobilis, prout mobile est*.

In tertio capite, vt magis declaret hanc naturam motus, proponit quædam dubia. Primum est. An motus sit in mobili, tanquam in subiecto? Cui dubio respondet, esse certum ex supra dictis esse in mobili, tanquam in subiecto. Et probat; nam motus ab vno procedit, tanquam a principio actiuo, scilicet, à mouente, & in alio recipitur, tanquam in principio passiuo, scilicet, in mobili: ergo motus est in mobili, tanquam in subiecto. Secundum dubium est. An mouentis, & mobilis sit idem actus? Cui respondet, eundem numero motum esse actum mouentis, & mobilis secundum diuersas rationes formales. Et probat, quia per eundem numero motum, quatenus egreditur à mouente, mouens mouet, & quatenus recipitur immobili, mobile mouetur. Et insuper declarat duplici exemplo; nam eadem est numero distantia, duorum ad vnum, ac vnus ad duo, sub diuersa tamen ratione: nam duorum ad vnum est proportio maioris inæqualitatis, & vnus ad duo maioris inæqualitatis. Et similiter eadem est numero via ascendens, & descendens; sed sub diuersa ratione; nam descendens est decliuis: ascendens autem est accliuus. Tertium dubium est. An actio, & passio sint idem numero motus? Et an sint in agente, tanquam in subiecto, an in patiente? Quam difficultatem exagitat logicè, adducendo scilicet, rationes in fauorem vtriusque partis. Sed tandem concludit, actionem, & passionem esse eundem numero motum, subiectarique in patiente, differre tamen ratione, seu definitione. Et hinc colligit, posse motum notius adhuc definiri, si dicamus: *Motus est actus eius, quòd agere, & pati potest, quatenus tale est*.

Accedendo ad secundam partem, in qua per reliqua quinque capita agit de infinito, imprimis docet, ad physicum spectare agere de infinito. Tum, quia in magnitudine, motu, & tempore, quæ sunt affectiones entis naturalis, de quibus disputat Physicus, respiciet. Tum etiam, quia veteres accuratè ipsum discussèrunt existimantes esse principium rerum. Deinde propositis, & reiectis sententijs antiquorum, qui etsi admittebant, dari infinitum,



tum, in varijs tamen rebus, illud collocabant, suam exponit sententiam dicens, infinitum esse duplex; aliud in actu, & aliud in potentia. Et infinitum in actu docet non dari in rebus creatis, benè tamen infinitum in potentia. Appellat autem infinitum in actu, cuius multitudo, vel magnitudo nullis terminis clauditur, infinitum autem in potentia, cuius aliquid semper est in actu; sed finitum, & aliquid in potentia, sed infinitum. Itaque quasi mixtum (ait Arist.) est infinitum hoc ex actu, & ex potentia. Tale est continuum, nam continuum id, quod habet actu, finitum est, tamè id, quod potest habere (scilicet, diuisio in partes proportionales) infinitum est: est enim diuisibile in partes proportionales, sine termino. Talis etiam est numerus; nam quilibet numerus actu existens finitus est, tamen, quod habere potest (scilicet, additio aliarum unitatum) infinitum est. Et ideo hoc infinitum appellat tale à potentia, quam habet, non ab actu. Ex quibus colligit, non esse rectam definitionem infiniti traditam ab antiquis, scilicet, *infinitum est, cuius nihil est extra*. Primò, quia competit cuicumque toti, aut perfecto; nam totum, siue ens perfectum est, cui nihil deficit ex his, quæ ad integritatem eius pertinent, ac per consequens, cuius nihil est extra. Secundò, quia infinito in potentia, quod est, quod datur in rebus, repugnat hæc definitio, quia, si est mixtum ex actu, & potentia, semper hoc infinitum aliquid habebit extra, nimirum, quod non habet actu; sed in potentia. Vnde infert, potius opposito modo esse definiendum infinitum, his (inquam) verbis: *Infinitum est, cuius aliquid semper est extra*; nam infinitis additione, & diuisione semper restant partes, addendæ vni, & adimendæ alteri.

Demum in vltimo capite soluit rationes, quibus moti sunt antiqui ad ponendum infinitum in actu, dicens, aliquas hypoteses mathematicorum non propterea destrui, quòd infinitum auferatur; licèt enim lineas infinite produci imaginentur, nò proinde illas faciunt infinitas. Neque etiam esse necessarium ponere infinitum secundum materiam, vt generationes non deficient; cum vno corrupto indiuiduo, cuius materia non corrumpitur; sed ex præexistente materia, & forma de nouo adueniente aliud indiuiduum generetur. Nec interest, quod sæpè infinita imaginemur; nam res non hoc ipso tales sunt, quales mente esse intelliguntur. Et demum tempus, motus, & numerus limitata sunt:

actu, & infinita potestate. Hæc Arist. in littera

huius libri.

## ANNOTATIONES CIRCA litteram huius libri.

**C**IRCA id, quod docet Arist. in primo textu huius libri, scilicet oportere Philosophum naturalem differere de motu, tãquàm de re ignota, ne ignorato motu, ignoretur etiam natura, dubitât expositores, quomodo id compatiatur cum his, quæ idem Arist. docet 2. Physic. cap. 2. textu 11. scilicet supponendum esse Philosopho naturali esse motum, & 6. Physic. cap. 3. textu 26. nullum esse, qui ignoret, motum esse? Cui dubitationi facilè respondemus, dupliciter nos posse loqui de motu. Primò per quæstionem *si est?* inquirendo eius existentiam: & sub hac consideratione intelligendus est Arist. locis 2. & 6. Physic. citatis. Secundò per quæstionem: *Quid est?* inuestigando eius essentiam, & quidditatem: & sub hac consideratione intelligendus est Arist. in primo textu huius libri.

2 Circa id, quod docet Arist. in eodem textu, scilicet in definitione continui sæpè poni infinitum, notandum est, meritò potuisse illam particulam sæpè: quia continuum dupliciter potest definiri. Primò, vt est diuisibile in partes. Secundò, vt est quid constans ex partibus. Et licèt in priorem definitionem intret infinitum; non tamen in posteriorem, vt patet in definitione, qua sub posteriori ratione illud definiuit idem Arist. in prædicamento quantitatis dicens. Continuum est, cuius partes copulantur termino communi.

3 Circa diuisiones, quas Arist. in 1. cap. sumit, vt hypoteses, ad inuestigandam, tradendamque definitionem motus, annotandum est, in efformanda prima diuisione discrimen esse inter interpretes, qui textum ex Græco in Latinum vertunt. Nam, secundum translationem Perionij, Argyropoli, & Iulij Paci, ea quæ sunt, diuiduntur ab Arist. in ea, quæ sunt actu tantum, & in ea, quæ sunt actu, & potestate simul. At, secundum translationem antiquorum (scilicet Boetij, Batabli) ea, quæ sunt, diuiduntur ab Arist. in ea, quæ sunt actu, & in ea, quæ sunt potestate. Ex quibus translationibus hæc posterior videtur aptior. Tum, quia Arist. repetens eap. 2. eandem diuisionem ad efformandum definitionem motus, non aliter diuisit. Sic enim loquitur: *Cum autem eorum, quæ in vnoquoque genere collocantur, aliud actu, aliud potestate sit; actus eius, quod est potentia, vt est tale, motus nimirum est*. Tunc etiam,

quia hoc pacto optimè intelligitur, quid sit diuifum, tam in fe-  
cunda, quam in tertia diuifione. Quod ægrè assignari potest, si  
primam translationem fequamur. Sunt enim fecunda, & tertia  
diuifio fubdiuifiones primæ; & per fecundam fubdiuiditur vnū  
ex membris primæ diuifionis, fcilicèt, *ea, quæ funt actu*: & per  
tertiam fubdiuiditur aliud membrum, fcilicèt, *ea, quæ funt pote-  
ftate*. Itaque Arift. hoc pacto tres diuifiones fubtextuit: *Eorum quæ  
funf, quædam funt actu; quædam poteftate*. Et rurfus, *eorum, quæ  
funf actu*, vnum fubftantia, aliud quantum, aliud quale, &c. Et  
demum, *eorum, quæ funf poteftate*. (Hoc enim intelligit per *ly ad a-  
liquid*; nam potentia; etfi non funt formaliter relationes; funt ta-  
men fundamentaliter, & vulgò relatiua dicuntur) quædam di-  
cuntur per ex fuperantiam, & defectiorem; alia, quia actiua funt,  
& paffiua, atque omninò, & vniuerfaliter, quia motiui, & mobi-  
lis rationem induunt.

4 Ex quibus primò inferes, ad quid fuerunt vtilis Ariftot. hu-  
iufmodi diuifiones. Prima enim fuit illi vtilis ad explicandum  
cuiufnam entis motus fit actus: an entis in actu; an entis in po-  
tentia? Secunda fuit illi vtilis ad assignandum cuiufque mo-  
tui propriam categoriam. Nam cum motus fpectet ad catego-  
riam fui termini (tefte eodem Arift. textu 4. huius primi capitis)  
qui terminus est ens in actu; nifi categorias, ad quas fpectant ter-  
mini motus, feu entia in actu, noferemus; neque etiam nofcere  
poffemus, in qua cathegoria debeat vnufquifque motus collo-  
cari. Tertia denique fuit illi vtilis ad refellendum eos antiquos,  
qui opinabantur, motum neutiquam defidere à relationibus al-  
teritatis, vel inæqualitatis: fiquidem non est actus eorum, quæ  
fundant relationes primi generis, vt funt relationes altere itatis,  
& inæqualitatis, & eorum, quæ fundant relationes fecundi ge-  
neris, vt funt agentis, & patientis, motiui, & mobilis.

5 Inferes fecundò, Martinez hic *discutiendo* 3. in ex pofitione  
harum diuifionum, non folum in cafum laboraffe, fed etiam  
duo falfa ftatuiffe. Primam, fecundam harum diuifionem non  
contineri fub prima, fed per ipsam idem iterum partiri. Nam ad  
quid, quæfo, *ea, quæ funf*, prima diuifione partitus est, fi ob illius,  
inufficiētiam neceffarium fuit, vt idemmet, quod partitus fue-  
rat, alia diuifione exactiori iterum partiretur?

6 Respondet Martinius, quia facta prima diuifione, latebat ad-  
huc, in quoniam genere Arift. tam ens in potentia, quam ens in  
actu conftituiffet; quod neceffarium erat per diuifionem decla-  
rare, ob vtilitates, quas numero 4. declarauimus, optimè quidē.  
Tamen ad hæc duo patefacienda perperam Arift. recurriffet ad  
ite-

iterum diuidentia, *ea quæ funf*, cum immediatè diuidi non pof-  
fint, nifi per actum, & potentiam, vt ab ipfo iam diuifo erant pri-  
ma diuifione, fed recurrere debuit ad fubdiuidēda membra pri-  
mæ diuifionis fubdiuidendo primum, fcilicèt *ea, quæ funf actu*, in  
decem prædicamenta; & fubdiuidendo fecundum, fcilicèt *ea,  
quæ funf poteftate*, in diuerfa genera, feu fpecies potentiarum. Quod  
& in re fecit, & feliciter confeutus est Arift.

7 Secundum falsum, quod ftatuit Martinez, est, tertiam ex his  
diuifionibus esse eandem, cum illa, quam attulit Philofophus  
5. Metaph. text. 20. folum cum hoc discrimine, quòd ibi diligē-  
ter relationem in communi, feu potius eius fundamentum di-  
ftribuit in tria membra, quæ funt, quæ adæquant totam latitudi-  
nem diuifi: hic autem minus diligenter, nam duobus membris  
prædictæ diuifionis mutilatis, & relictis folum meminit vnus  
membri. Et hoc (inquit) fecit Arift. abfque vitio, quia folum ven-  
nabatur actiuum, & paffiuam, vt motum per ipsa definirer: &  
actiuum, & paffiuam folum in fecundo genere relatiuorum; non  
autem in primo, aut tertio reperiuntur.

8 Sed quam lōgè a veritate hoc ftatuat, inde colliges, quod di-  
uifum illius diuifionis, non est idem, ac diuifum illius; ibi enim  
diuifum est fundamentum relationis in communi in tria gene-  
ra fundamentorum relationum: hic autem diuifum est vnum  
ex his generibus fundamentorum, nimirum fundamentum re-  
lationum fecundi generis, quod dicitur potentia: quæ non mi-  
nus diligenter, fed accuratiffimè, & adæquatiffimè in omni ge-  
nera potentiarum, quæ esse poffunt, Arift. diftribuit. Vnde po-  
tius dicendum, tertiam diuifionem esse fubdiuifionem cuiuf-  
dam membri diuifionis, quam attulit Ariftot. 5. Metaphyf.  
text. 20.

9 His notatis, circa litteram huius libri duo difputanda funt.  
Prima difputatio erit *de motu in communi*. Secunda *de infinito*. Quip-  
pè hæc duo funt, quæ præcipuè enucleauit Arift. in hoc libro.

## DISPUTATIO PRIMA.

### *De motu in communi.*

**M**eritò de motu in communi præfens inferibitur difpu-  
tatio; nam Arift. in hoc libro folum de motu in com-  
muni difputauit; quia de motuum diftinctione & de  
eorum fpecificis rationibus non difputat, v foue ad 5.

librum. De motu autem in communi, quinque discutienda sunt. Primum: *An rectè Arist. naturam motus definiarit?* Secundum: *An definitio motus hic tradita ab Arist. mutationi, tam instantanea, quam successiva conueniat?* Tertium: *Qualiter motus distinguatur à termino ad quem ipsius.* Quartum: *Utrum omnis motus in mobili subiectetur?* Et demum, quinto de actione, & passione agemus, tam inter se, quam cum motu comparatis.

## QVÆSTIO PRIMA.

*An rectè Arist. naturam motus definiarit?*

**I** CVM motus dupliciter sumi possit (vt ex dictis in Logica cap. de Quantitate, disp. 2. q. 3. num. 5. constat) scilicet materialiter; id est, pro forma fluenti, vt in fieri, & esse imperfecto, tendentique ad sui perfectionem considerata. Et formaliter; id est, pro fluxu, à quo forma, quæ profluit ab agente, quandiu est in fieri; fluens denominatur: qui fluxus nihil aliud est, quam illa mœra, quæ in fieri illius formæ. consumitur. Et ideo in formis, quæ sunt successivæ, & per verum motum, prædictum fluxum. nō distinguuntur realiter à tempore materialiter sumpto, spectareque ad prædicamentum quantitatis, cum Scoto loco citato statuimus. Annotandum est, Aristot. in hoc. 3. libro, dum disputat de motu, non sumere motum formaliter, sed materialiter.

2. *Natura ergo motus mate-*

rialiter sumpti ter Arist. in littera definiuit. Primò, dum capit. 2. dixit: *Motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia.* Secundò in fine eiusdem capituli text. 17. sic: *Motus est actus mobilis, qua mobilis.* Tertio cap. 3. text. 23. his verbis: *Motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus, tale est.* Ex quibus prima definitio ab omnibus interpretibus præfertur, & ideo de ipsa specialiter videndū est in præfenti, an sit exacta?

3. Rationes dubitandi sunt pro parte negatiua. Prima. Motus intrinsecam importat habitudinem à termino à quo, & ad quem, cum essentialiter habeat esse viam, seu tendentiam, qua media subiectum transit ab vno ex his terminis ad alium. Sed huiusmodi habitudo in tradita definitione motus nō explicatur: ergo definitio ista non explicat intrinsecam naturam motus.

4. Sc;

4. Secunda; illud est actus cuiuscumque rei, qua talis, quo ipsa constituitur in esse. Sed motus non est actus, quo res in potentia constituitur in esse talis: nam, si res est in potentia actiua, constituitur in esse talis per potentiam actiuam; & si est in potentia passiua, per virtutem receptiuam: & si in potentia obiectiua, per possibilitatem ad esse: ergo perperam definitur motus; *actus entis in potentia, secundum quod in potentia.*

5. Tertia; quæuis forma substantialis est actus entis in potentia secundum quod in potentia, & tamen non est motus; sed terminus illius; ergo esse actum entis in potentia secundum quod in potentia, non debet peculiū motus reputari. Maior probatur; nam forma substantialis est actus materiæ primæ, quæ est ens in potentia ad recipiendū tales formas; & secundum quod in potentia; quia non prout in actu; sed prout in potentia est subiectum capax illarum.

6. Quarta; motus vocatur ab Arist. *entelechia*, id est perfectio: malè ergò dicitur in hac definitione, quòd sit actus entis in potentia secundum quod in potentia; siquidem *ly secundum quod in potentia*, denotat imperfectionem in actu.

7. Sed his non obstantibus tenendum est, præfata definitio-  
ne optimè Aristotelem naturā,

& essentiam motus explicuisse. Ita vnanimè omnes interpretes affirmant. Immo simplicius, & alij plures in hoc maximè Aristotelis acumen extollunt, quòd tã paucis verbis naturam motus adedò abstrusam nobis ita exactissimè valuerit declarare.

8. Probari autem potest hæc assertio in generali, tum in speciali. Vt autem in generali probetur, duo notanda sunt. Primum est, mobile ante motum habere duas potentias passiuas subordinatas; alteram ad moueri, & alteram ad terminum motus. Prioris potentiæ actus est motus; posterioris verò terminus ad quem motus. Vnde licet per receptionem motus reducat-  
tur ad actum prior potentia mobilis; non tamen reducitur secunda; sed adhuc dicitur mobile manere in potentia ad terminum motus recipiendū. Secundum est, quòd ex Arist. text. 14. aliquod subiectum potest in triplici statu considerari. Primò, vt est tantum in potentia respectu receptionis alicuius formæ. Secundò, vt est actu, sub illa forma. Tertio, vt medio modo se habet, quia respectu receptionis illius formæ partim est in actu, & partim in potentia. Quando ergo est tantum in potentia, nondum mouetur; quando vero est actu sub illa forma, iam non mouetur, sed motum est: tum:

nam igitur mouetur ( inquit Arist. ) quando medio modo se habet inter potentiam, & actum; id est, quando partim est in actu, & partim in potentia.

9 Ex his ergo manifestè infertur, ad rationem motus requiri, quod sit *actus entis in potentia secundum quod in potentia*, & consequenter prædictis verbis optimè Arist. designasse naturam motus: nam ex eo, quod relinquere debet subiectu partim in actu, oportet, vt non sit potentia existentis in potentia: & ex eo, quod relinquere debet subiectum partim in potentia, oportet, vt non sit actus existentis in actu, sed quod sit actus, *entis in potentia secundum quod in potentia*: solum enim, quod tale est, potest relinquere subiectu partim in actu, & partim in potentia; quæ conditiones ad rationem motus requiruntur ab Arist.

10 Vt autem nostra prædicta assertio probetur in speciali, necessarium erit, vt per singulas huius definitionis particulas, cum ipso Arist. discurremus, ipsis explicando, & motui adaptando, vt ita constet, non solum per prædictas particulas naturam motus declarari, sed etiam ipsum motum ab omnibus, quæ cum ipso in genere proximo conueniunt, discerni; quæ sunt conditiones ad exactam motus definitionem requisitæ.

11 Prima particula huius, de-

initionis est *ly actus*. Circa quæ particulam primò annotandū est, hic sumi *ly actus*, vt distinguitur contra potentiam. Quod colliges apertè ex ipso contextu Aristot. nam postquam capite 1. text. 3. ea, quæ sunt, diuisisset in ea, quæ sunt *actus*, & ea, quæ sunt *potentia*, ex hac diuisione colligit text. 6. definitionem motus dicens, motum esse *actum*, id est, eorum, quæ sunt *actus*; quæ (vt ex diuisione constat) ipse Arist. opposuit, seu condistinxit ab eis, quæ sunt potentia. Sumitur ergo *ly actus* in hac definitione prout distinguitur contra potentiam.

12 Secundò annotandū est, actum (vt distinguitur contra potentiam) esse duplicem, scilicet perfectum, & imperfectum. Actus perfectus est, qui totaliter actuat potentiam passiuam subiecti, in quo recipitur: tales sunt formæ substantiales; & ex accidentalibus intensæ in summo gradu. Actus verò imperfectus est ille, qui totaliter non actuat potentiam passiuam subiecti, sed partim actuat, & partim relinquit in potentia. Potest autem hæc imperfectio in actu prouenire ex duplici capite; vel quia est forma remissa, vel quia non tam est forma in facto esse, quam via, & tendentia ad formam in facto esse: & quando ex primo capite prouenit, dicitur actus imperfectus accidentaliter; eo quod formæ acciat esse remissam,

missam, vel in summo gradu intensam: quando verò ex secundo capite prouenit, actus dicitur essentialiter imperfectus, eo quod non posse totaliter actuare subiectum, prouenit illi ab intrinseca entitate: & huiusmodi actus est motus.

13 His notatis dicimus, *ly actus* positum in definitione motus, nec significare actum perfectum, nec significare actum accidentaliter imperfectum: nec significare actum essentialiter imperfectum: sed significare rationem actus, quæ distinguitur contra potentiam communem, & abstractam, tam ab actibus perfectis, quam imperfectis; & sic optimè positum fuisse ab Arist. in hac definitione motus, tamquam genus; cum in ratione actus, vt sic, conueniat motus, cum formis in facto esse, & quæ sunt termini motus, tam substantialibus, quam accidentalibus, tam intensis, quam remissis, tanquam in ratione univoca, & superiori dicta de eis *in quid*, vt pars essentialis.

14 Secunda particula huius definitionis est, *est entis in potentia*. Quibus verbis non existimetis, aliquam partem essentialem, & quidditatiuam motus declarari: quia per ipsam solum explicuit Arist. illud extrinsecum connotatum, à quo essentia motus per se pendet. Cum enim hæc definitio motus non sit purè quidditatiua,

id est, solum constans partibus essentialibus motus: & data per additamentum; id est, per additamentum cuiusdam connotati, quod etsi sit quid extrinsecum morui (id est, non intrans in eius quidditatem) ab eo tamen per se essentia motus dependet; necessarium fuit, vt in definitione motus ponerentur aliqua verba, quibus hoc extrinsecum connotatum motus explicaretur; nam sicut essentia motus ex hoc extrinsecum connotato per se pendet; ita necessarium erit, quod cognitio essentialis motus ex cognitione huius extrinseci connotati per se pendeat.

15 Sed dubitabit aliquis, quod nam sit hoc connotatum extrinsecum, quod his verbis *entis in potentia*, significant Arist. Et ratio dubitandi est, quia etiã si omnes admittant, ens in potentia, nihil aliud esse apud Arist. quam ens, quod potentia constituitur; tamen, quia triplex est potentia, scilicet actiua, subiectiua, & obiectiua, & consequenter triplex etiam est ens in potentia, seu quod potentia constituitur, scilicet actiuum, subiectiuum, & obiectiuum; non incongruè dubitatur, de quo nam ex his entibus in potentia intelligenda sint verba Arist. cum in definitione motus dicit, *esse actum entis in potentia*; an de ente existente in potentia actiua; quale est efficiens: an de ente existente in

potentia passiva; quale est subiectum motus: an de ente existente in potentia obiectiva; qualis est terminus motus in statu puræ possibilitatis, & non actualis existentiae consideratus.

16 Respondetur, absque dubio his verbis, *entis in potentia*, tria hæc genera entium in potentia Arist. intellexisse. Quod conuinci potest, tum ex ipso Arist. tum ex ratione. Ex Arist. conuincitur, quia post traditam definitionem motus explicans, quodnam esset illud ens in potentia, cuius motus appellabatur actus, aliquando hoc attribuit subiecto, seu enti existenti in potentia passiva; nam text. 6. ponens exempla dicit, *Sicut alteratio est actus alterabilis*, & text. 9. *sicut æs, quod est in potentia statua*, & text. 16. iterum definiens motum loco illius particulæ, *entis in potentia*, ponit mobile dicens; *motus est actus mobilis, quæ mobile*. Aliquando verò hoc attribuit termino motus, dum est in statu meræ possibilitatis, & in potetia obiectiva; nam inter alia exempla, quibus declarat, cuius entis in potentia motus sit actus, ponit hæc; *sicut generatio est actus generabilis, & corruptio actus corruptibilis*; generabile autem, & corruptibile sunt termini generationis, & corruptionis in statu puræ possibilitatis, seu potentiae obiectivæ considerati, & text. 7. & 11. adducit aliud

simile exemplum dicens; *sicut edificatio est actus edificabilis*, nempe domus, quæ edificatur, ut ipsemet declarat. Aliquando demum hoc etiam attribuit efficienti, seu enti existenti in potentia activa; nam text. 23. definiens motum tertia definitione ex supra allatis, quam ipse notiozem appellat, non quia sit notior natura, sed quia est notior quoad nos (non enim explicat habitudinem, quam dicit motus ad terminum, quæ est illi maximè intrinseca; sed quas dicit, tam ad subiectum, quam ad efficiens; quæ sunt nobis notiores) ponit hæc verba, *Motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale*: ergo ex mente Arist. verba illa, *entis in potentia* posita in definitione motus, non sunt restringenda ad hoc, vel ad illud ens in potentia, sed intelligenda de omnibus tribus entibus in potentia supra numeratis.

17 Conuincitur etiam per rationem: nam ad rationem formalem motus materialiter sumpti non solum requiritur, (ut ex dicendis in questione vltima constabit) quod sit actus, quo medio ens existens in potentia obiectiva, ex esse in potentia obiectiva (quod est esse puræ possibilitatis, & non actualis existentiae) transeat ad esse actualis existentiae; (licet hoc sit eius vltimum constitutum, & per quod differt, tam à passione, quam ab actione ma-

materialiter sumptis) sed etiam est requisitam; quod sit actio, & quod sit passio; id est, quod sit actus, quo aliquod agens agat, & aliquod subiectum patiatur: ergo verba illa *entis in potentia*, non debent restringi ad vnum, vel alterum ex entibus in potentia ex supra enumeratis; sed potius ad omnia illa ampliari, & extendi. Patet consequentia; nam ad definitionem quidditativam, quæ non est purè talis; sed data per additamentum (qualem omnes reputant hanc definitionem motus traditam ab Aristotel.) ut perfecta, & exacta sit, necessarium est, ut per ipsam explicentur omnia illa extrinseca additamenta, à quibus pendet ratio formalis, & essentialis definiendi.

18 Vltima particula huius definitionis est *secundum quod in potentia*; per quam declarauit Aristot. qua ratione motus sit actus entis in potentia secundum quod in potentia; id est, non quatenus ens in actu; sed quatenus ens in potentia consideratur: Cum enim ex eodem Arist. text. 8. aliquando contingat, ut entia in potentia sint etiam entia in actu, (ut æs; quod in potentia est statua, & actu æs) poterat aliquis dubitare; an motus sit actus entis in potentia secundum quod est ens in potentia? An secundum quod est ens actu? quam dubitationem ex-

terminat addendo *ly secundum quod in potentia*; per quod inuit, motum debere esse actum entis in potentia, non quatenus ens in actu; sed quatenus ens in potentia consideratur. Quod exemplificat in motu statuationis, qui non est actus æris, quatenus est æs. (Alias æs semper moueretur.) Sed quatenus est in potentia statua.

19 Ex dictis circa has particulas *entis in potentia*, *secundum quod in potentia*, constat, optimè, & exactissimè Arist. motum definiisse; siquidem per prædictas particulas (quas ipse loco differentiae collocat) non solum exactissimè declaratur natura motus (quæ in hoc consistit, *ut sit actus entis in potentia secundum quod in potentia*; id est, quo exercetur, & primò perficitur potentia, tam obiectiva, quam passiva, necnon & activa, quatenus potentia est;) sed etiam differt, tam à creatione, quam à productione, quæ simul subiectum cum forma producit: & similiter ab omnibus formis substantialibus, & accidentalibus; quæ sunt, quæ cum ipso in ratione communi actus, tanquam in genere proximo, conueniebant; quod inductione facta possumus facillimè demonstrare.

20 Nam in primis differt à creatione, quia creatio, cum fiat

fiat ex nullo præsupposito subiecto, etsi sit actus entis exiſtentis tam in potentia actiua, quã in potentia obiectiua; sed non est actus entis exiſtentis in potentia subiectiua, quod etiam est necessarium ad rationem formalem motus, vt constat ex dictis n. 16. & 17.

21 Differt etiam à productione, qua simul subiectum, cum forma producit; (idem est iudicium de conseruatione,) quia etiam si hæc productio sit actus entis exiſtentis, tam in potentia actiua, quã obiectiua; sed non est actus entis exiſtentis in potentia subiectiua: quia, vt subiectum dicatur esse in potentia subiectiua respectu alicuius formæ, non sufficit, quod habeat potentiam ad illam suscipiendam, sed necessarium est, quod careat illa forma: quod in præfata productione non contingit; cum subiectum huius productionis semper fuerit sub forma. Aliud enim est, subiectum habere potentiam ad recipiendum formã; aliud verò esse in potentia ad recipiendum formam: ad primum non requiritur, quod subiectum careat forma, quod simpliciter est necessarium ad secundum.

22 Differt denique à formis, quæ sunt termini motus; quia, cum formæ, quæ sunt termini motus, non sint actus, quibus entia in potetia suas potentialitates exercent, sed quibus cõ-

posita, quæ ex ipsis, & ipsarum subiectis coalescunt, consumantur, & in suo esse constituuntur, & in suo esse constituuntur, potius dicendæ sunt actus entis in actu secundum quod in actu, quã actus entis in potetia secundum quod in potentia.

23 Ad primam rationem dubitandi concessã maiori negamus minorẽ, scilicet, per hanc definitionem nõ explicari habitudinem intrinsecam, quam dicit motus à termino à quo ad terminum ad quem; siquidem (vt dictum est n. 16.) verba illa definitionis *entis in potentia*, non solum significant ens in potentia actiua, & ens in potetia subiectiua: qua ratione habitudines actus, quas dicit motus, tam ad efficiens, quã ad subiectũ, declarantur, sed etiam significant ens in potentia obiectiua; qua ratione habitudo actus, quã dicit motus à termino à quo ad terminum ad quem, manifestè exprimitur.

24 Ad secundã dicimus, illud, quod in maiori assumitur (scilicet, *illud est actus cuiusque rei, qua talis, quo ipsa constituitur in esse*) solum esse verũ, loquendo de entibus, quæ sunt actus; nã si sermo sit de entibus, quæ sunt potetia, actus eorũ, qua talia sunt, nõ dicuntur ea, quibus in esse talium constituuntur; (hæc enim potius sunt potetia) sed ea, quibus suam potetialitatem exercent, & quibus primò perficiuntur. Vnde, cũ motus sit id, quo etiam in potentia suã potetia-

## QVÆSTIO II.

An definitio motus tradita ab Arist. tam mutationi instantaneæ, quã successiuæ conueniat?

litatẽ exercent, & quo primò perficiuntur, optimè appellatur actus entis in potentia; secundum quod in potentia.

25 Ad tertiam negamus maiorem, & ad probationem dicimus, formam substantialem non dici actum materiæ primæ, quia sit actus, quo materia prima suam potentialitatem exercet, & quo primò perficitur, & actuatur (quod est peculiũ motus) sed quia ex illa, tanquam ex actu, & ex materia, tanquam ex potentia, totũ substantiale coalescit. Vnde, si propriè, & rigidè loquendum sit, forma, non tam materiæ, quã totius substantialis actus est, vt n. 22 asseribamus, passimque ab Arist. docetur.

26. Ad quartã dicimus, quod nomen *antelichia*, duplicem apud Græcos obtinet vsum: nõ enim solum vsurpatur pro illa perfectione, qua vnaquæque rerum in suo esse consummatur; sed pro illa maximè, & primaui sui impositione (teste Arist. 9. Metaph. cap. 3. tex. 7.) qua potentia aliqua perficitur; id est, qua reducitur in actum. Ex quo fit, quod motus (non obstante, quod sit actus essentialiter imperfectus) maxima, cum proprietate appelletur ab Arist. *antelichia*, cũ sit perfectio, qua entia in potentia perficiuntur, atque reducuntur in actum.

(?)

1 PRO intelligetia tituli quæstionis annotandum est, motum duobus modis sumi posse. Primò latè, videlicet pro omni mutatione Physica, siue successiua, & consumens tempus sit, vt est alteratio, augmentatio, &c. siue sit instantanea, & nullum consumens tempus, vt est generatio, illuminatio, &c. Secundò strictè, videlicet pro solis mutationibus successiuis, & quæ aliquod tempus consumunt. In qua acceptione sumpsit motum Arist. 5. Physicorũ, cũ illum distinxit à mutationibus, & docuit, per se solum ad tria prædicamenta terminari, scilicet ad quantitatem, ad qualitatem, & ad vbi. Quærit ergo præfens quæstio, an in definitione motu tradita ab Arist. (quam quæstione præcedenti explicabamus) definitus fuerit motus sumptus in prima, & lata acceptione? an in secunda, & stricta?

2 Prima sentetia affirmat, per hanc definitionem solum definitum esse motum sumptum in vltima, & stricta acceptione, qua ratione solum mutatione successiuam, & consumentem tempus comprehendit. Ita Scotus 3. Physic. q. 1. Maius ibidem cap. 2. q. 2. dub. 5. Con-

ninabricsenses cap. I. q. I. art. I. Pererius lib. 13. cap. 5. Fundamentum istorum est, quia de ratione motus, qui hic definitur, est (vt quæst. præcedenti n. 8. ex mente Arist. dicebamus) quod sit actus imperfectus relinquens subiectum respectu formæ suscipiendæ partim in actu, & partim in potentia: ergo debet habere diuersas partes, vt secundum aliquas earum actuet subiectum relinquens illud in potentia ad alias, quæ supersunt. Sed in mutatione instantanea, eo ipso quod instantanea est, huiusmodi partes assignari nequeunt: non ergo sub hac definitione motus, vt proprium illius definitum, motus, seu mutatio instantanea continetur. Et confirmatur, quia mutatio instantanea, eo ipso, quod talis est, simul actuat totam subiecti potentialitatem: ergo de illa non potest verificari, quod relinquat subiectum partim in actu, & partim in potentia.

3 Sed nobis dicendum est cum communi sententia (quam expressè tenet D. Thom. hic lect. I. & cum eo recentiores omnes) Arist. per hanc definitionem definiisse motum in prima, & lata acceptione sumptum: & sic conuenire non solum mutationi successiuæ; sed etiam instantaneæ. Et probari potest primo ex ipso Arist. qui postquam tradidit hanc motus definitionem, illam exemplificauit, non solum in mutationibus

successiuis, vt sunt alteratio, & augmentatio; sed etiam in instantaneis, vt sunt generatio, & corruptio substantialis; ergo sensit huiusmodi mutationes etiam sub hac definitione comprehendere.

4 Secundò, quia omnes fatetur hic Arist. definiisse motum, quem posuerat in definitione naturæ (vt ipsemet factus est in istius libri principio; ) sed motus positus in definitione naturæ est motus sumptus in prima, & lata acceptione: ergo & motus, qui ponitur definitum huius definitionis.

5 Tertio, quia definitio motus hic tradita ab Arist. non minus competit mutationibus instantaneis, quam successiuis: ergo motus, qui per ipsam definitur debet sub se comprehendere, non solum mutationes successiuas, sed etiam instantaneas. Consequentia est necessaria: aliàs definitio cõpereret alijs à definito. Antecedens probò, quia ideo mutationibus successiuis (v.g. alterationi) competit definitio motus (scilicet, *esse actum entis in potentia secundum quod in potentia*) quia alteratio est actus, quo entia existentia in potentia alteratiua, tam actiua, quam subiectiua, & obiectiua suas potentialitates exercent, & primò perficiuntur. Sed mutatio instantanea (v.g. generatio substantialis) est actus, quo entia existentia in potentia generatiua, tam actiua, quam passiuua, & obiectiua suas potentialitates exercent, & primò perficiuntur.

tur: ergo definitio motus non minus competit mutationibus instantaneis, quam successiuis.

6 Et confirmatur & declaratur amplius. Ideò ab Arist. dicitur, motum, qui hic definitur, relinquere subiectum partim in actu, & partim in potentia; quia ex duabus potentijs passiuis subordinatis, quæ sunt in mobili, antequam moueatur, vna ad moueri, & altera ad terminum motus, licet prima reducat ad actum per rationem formalem motus in illo priori naturæ, quo antecedit terminum motus, non tamen reducitur secunda; cum hæc solum possit reduci ad actum per rationem formalem termini motus. Sed hoc est commune, tam mutationi successiuæ, quam instantaneæ: ergo malè excluduntur mutationes instantaneæ à participatione conditionum, quæ requiruntur ab Arist. ad rationem motus, qui hic ab ipso definitur.

7 Dices: vt mobile dicatur partim in actu, & partim in potentia, non solum requiri, quod ex duabus potentijs subordinatis, quæ sunt in ipso, vna ad moueri, & altera ad terminum motus, prima reducat ad actum prius natura, quæ secunda; sed etiam esse necessarium, quod prima reducat ad actum prius tempore, quæ secunda. Quod conuenire nequit mutationibus instantaneis; cum in eodè instanti durationis, in quo est mutatio in subiecto, sit etiam illius

terminus: & cõsequenter in eodem instanti temporis vtraque potentia reducat ad actum.

8 Sed quis non videat, obiectiõnem istam exposcere ad rationem motus hic ab Aristot. definiti conditionem quãdam, non solum mutationibus instantaneis, sed etiam successiuis repugnantem, scilicet, mobile debere actuari per motum non solum prius natura, sed etiam prius tempore, quæ actuetur per terminum ipsius motus. Licet enim ad rationem motus necessarium sit, quod mobile extiterit prius tempore sub priuatione, tam motus, quo mouetur, quæ terminum, ad quæ mouetur; quia si tempore sub ista priuatione non antecedar, non potest dici esse in potentia subiectiua ad ista, sed solum habere potentiam subiectiuam ad illa (& ideò q. præced. nu. 21. defectu huius conditionis, tam conseruationem, quæ productionem, qua simul subiectum cum forma producitur, à ratione motus relegabamus;) tam ad hoc, vt motus dicatur relinquere subiectum partim in actu, & partim in potentia, non est necessariū, quod mobile prius tempore actuetur per motum, quæ per terminum illius (hoc enim est ita impossibile in omni motu, tam successiuo, quæ instantaneo, sicut & quod detur motus in aliqua duratione existens sine existentia termini illi correspondētis) sed fat est, quod intercedat inter hæc prioritas na-

turæ, quam non solum in mutationibus successiuis, sed etiã in instantaneis intercedere omnes fatentur.

9 Ex his ad fundamentũ, quo prima fulciebatur opinio, respõdetur, falsum esse, ad hoc, vt motus sit actus imperfectus relinquens subiectum partim in actũ, & partim in potentia, necessariõ requiri, quod prædictus motus habeat partes, & sic secundũ vnã actuet subiectũ relinquens illud in potentia ad alias, quæ supersunt (hoc enim solum requiritur, vt motus sit successiuis.) Sed quod requiritur tantũ est, quod motus sit actus talis naturæ, vt ex vi receptionis eius in subiecto ex duabus potētij subiectiuis subordinatis, quæ sunt in subiecto, vna ad moueri, & altera ad terminum motus solum prima ad actũ reducatur, manẽte secunda reducenda per terminum illius, licet in eodẽ tẽpore (si motus est successiuis) vel in eodẽ instante tẽporis (si motus est instantaneus) nõ tamẽ in eodẽ naturẽ instanti, sed in aliõ posteriori. Et ad confirmationẽ dicimus, ex eo, quod mutatio sit instantanea, solum sequi, in eodẽ instante tẽporis, in quo per ipsam actuatur mobile secundũ potētiã subiectiuam, quam dicit ad moueri, actuari etiã per terminũ illius secundũ potētiã subiectiuam, quã dicit ad terminũ prædictæ mutationis: nõ tamẽ sequitur, quod per ipsam formaliter consideratã,

& pro illo priori naturæ, quõ præcedit terminũ suũ, actuatur subiectũ secundũ vtrãq; potētiã, quã dicit; cum, vt sic, tantũ actuatur secundũ potētiã, quã dicit ad moueri, non verõ secundũ potētiã, quam dicit ad terminum ipsius mutationis.

**QVÆSTIO III.**  
*Qualiter motus distinguatur à termino ad quem ipsius?*  
I **N**ON est sermo de motu formaliter sumpto, id est, sumpto pro fluxu, à quo forma, quæ profluit ab agēte, quãdiũ est in fieri, fluens deiformiatur, sed sumpto materialiter, id est, sumpto pro forma fluente, vt in fieri, & esse imperfecto, tẽdentique ad sui perfectionẽ consideratur. Tum, quia Arist. (vt diximus in primæ quæstionis initio) in toto isto libro solum disputat de motu sumpto materialiter. Tũ etiã, quia fluxus iste, quem dicit motus pro formali, nihil aliud est, quã illa mora, seu duratio, quæ in fieri formæ, quæ profluit ab agēte, consumitur; & nullus dubitare potest, quod ista mora realiter distinguatur à termino motus; cũ prædicta mora nõ sit permanens, sicut est terminus motus. Vnde in Logica cap. de quantitat. disp. 2. q. 3. sect. 1. & 2. cum Scoto statuim⁹, in formis, quæ sunt successiue, fluxũ istum nõ distingui realiter à tẽpore materialiter sumpto, spectareq; ad prædicamentũ quantitatis non

fe-

secus, ac spectat tẽpus materialiter sumptũ. Et nunc addimus, in formis, quæ sunt in instanti, fluxũ istum nõ distingui realiter ab illo instanti, seu indiuisibili, quo partes tẽporis, in quo subiectum mutationis instantaneæ durauit sub termino à quo illius, copulatur cũ partibus tẽporis, in quo durat sub termino ad quẽ eiusdẽ mutationis. Nullus autẽ est, qui dubitet, terminũ motus, tam successiui, quã instantanei, distingui realiter à tẽpore, seu instanti, quo durat ipse terminus, dũ est in fieri: & cõsequẽter, neque dubitare poterit, quod terminus motus realiter distinguatur ab ipso motu sumpto formaliter, & pro fluxu.  
2 Solum ergo relinquitur dubitatio de motu materialiter sumpto. Et prima sententiã affirmat, motũ materialiter sumptũ non distingui realiter à suo termino ad quẽ, sed tantũ distingui ratione ratiocinata. Ita Soucinas, & Iabellus 5. Metaph. q. 4. Tolet. hic q. 3. Masius sect. 1. cap. 3. q. 4. Scotus q. 2. & plures alij. Et probant primõ ex Arist. qui hic text. 4. docet, motum non esse præter res, ad quas est motus; ac si diceret, motus non est res distincta à termino ad quẽ ipsius.  
3. Secundo, quia motus materialiter sumptus nihil aliud est, quã fieri termini ad quẽ. Sed fieri rei, & res, quæ fit, est eadẽ res in statu imperfecto, & perfecto considerata; ergo & motus, & terminus ad quẽ ipsius erũt eadẽ

res, & solum erunt distincta secundũ diuersas cõsiderationes status imperfecti, & stat⁹ perfecti.  
4. Tertiõ, quia si motus esset distinctus realiter à termino, posset (saltem de potentia Dei absoluta) dari motus sine termino. Sed hoc est impossibile: ergo ex eo, quod realiter non distinguitur ab illo.  
5. Sed vera sententiã tenet oppositũ, scilicet, inter motũ materialiter sumptũ, & eius terminum ad quẽ distinctionẽ realẽ intercedere. Ita Scotus in 2. d. 1. q. 5. §. Secundũ primam opinionem, lit. T. Aureolus apud Capreolũ in 2. d. 19. q. 1. Venetus ad cap. 3. huius libri Argentina in 2. d. 19. q. 1. estque cõmunis inter recētiores. Et probari potest ratione Scoti, quæ talis est. Quãdo aliqua ita se habet, vt vnũ possit existere in rerũ naturã sine aliõ, euident signũ est, quod non sunt idẽ realiter, sed potius realiter distincta. (si vtrũque sit positiuum) Sed terminus ad quẽ motus potest existere in rerũ natura sine motu; & aliã vtrũque est quid positiuum; ergo signũ euident est, quod motus; & eius terminus ad quẽ non sunt idem realiter, sed potius realiter distingui. Discursus est optimus. Maiorẽ (præterquam quod est Arist. 7. Physic. cap. 1. vbi sic loquitur, amplius si potest alterum sine altero esse, non erunt idẽ) probat Scotus; quia eo modo, quo de aliquibus dicuntur duo cõtradictoria,

B 2 illa



illa debent esse non idē: ergo si de duobus dicuntur hæc duo contradictoria, quod sint, & quod non sint, necessariū erit, illa in esse, & entitate non esse idē, sed diuersa. Minor probari potest exemplis. homo enim est terminus *ad quē* generationis, & tamen existit à parte rei post transactā generationē: & maior quantitas est terminus augmentationis, & tamē existit in rerum natura augmentatione transacta, & sic de reliquis.

6. Confirmatur amplius, quia duo motus realiter distincti possunt habere eundē terminū *ad quē*: ergo motus, & terminus *ad quē* ipsius non sunt idē realiter, sed potiùs realiter distincta. Consequētia est euidentis ex illo Aristotelico principio, *quæ sunt eadē vni tertio, sunt eadē inter se*, quod in præsentī non verificaretur, si motus hi distincti identificarentur realiter cū suo termino *ad quē*. Antecedēs patet in generatione hominis, & eius resurrectione, quæ distincti, & discontinui motus sunt; & tamen idem numero homo est terminus *ad quem* vtriusquē: similiter patet in generatione caloris facta ab vno igne, & conseruatione eiusdem caloris ab alio facta, quæ diuersi motus sunt, & tamen terminus *ad quē* ipsorum est idē numero.

7. Sed quia ea, quæ distinguuntur realiter, tribus modis possunt realiter distingui. Primò, vt duæ res, qua ratione Petrus, &

Ioannes realiter distinguuntur. Secundò, vt res, & modus eius extrinsecus, qua ratione sedēs distinguitur à sessione. Tertiò, vt eadē res sub diuerso modo reali essendi; qua ratione calor intentus distinguitur realiter à se ipso, dū erat in statu remisso; & similiter quæcūque res, dum actualiter existit, distinguitur, vel saltē non est idē realiter cū semetipsa, dum erat in potētia obiectiua; seu in statu puræ possibilitatis; idcō dubiū est inter auctores, qui inter motū, & eius terminū *ad quē* admittunt realē distinctionem; quoniam ex his modis motus distinguatur realiter à suo termino *ad quem*?

8. Aureolus, Venetus, atq; Argētina supra citati viderentur asserere, distinguuntur realiter primo modo ex enumeratis, scilicet, vt duæ res. Tamē hæc sententia falsa est (vt docet Scotus 3. Phyl. q. 8. cōcl. 3. eiusq; falsitatē conuincunt mēo videri rationes factæ propria sententia. Si enim motus, & eius terminus *ad quē* distinguerentur, vt duæ res, quomodo verificari posset illud dictū Arist. *motus nō est, præter res, ad quas est* itē, quæ esse posset repugnātia ad hoc, vt (saltē potētia absoluta) motus existere posset sine eius termino *ad quem*? profectò nulla, cum sit quid absolutum, & prior natura illò; & per auctores hos ponatur distinctus à termino, non vt cumque, sed vt vera res ab alia re.

9. Qui-

9. Quibus adde: ex communi proloquio, *res non sunt multiplicandæ absque urgente necessitate*. Sed non vrget necessitas ponendi motum, vt rem distinctam ab eius termino *ad quem*: ergo non est asserendum, motū, & eius terminum *ad quē* distinguuntur realiter, tanquam duas res. Minor probatur; nā ad saluandum terminū *ad quem* motus posse existere in rerū natura sine motu; & similiter motus realiter distinctos posse habere eundē numero terminū *ad quē* (hæc enim nos cogunt, inter motū, & eius terminū *ad quē* distinctionē realē adstruere) sufficit, asserere motum, & eius terminū *ad quē* esse eandē rem sub diuerso modo essendi; vt sunt esse in via, & in fieri, & esse in termino, & in factō esse.

10. Dices: si eadē res esset motus, & eius terminus *ad quem*, cū motus sit causa sui termini *ad quem*, eadem res esset causa sui ipsius. & cōsequenter idē penderet à se ipso, quod impossibile reputauit D. Aug. 1. de Trinit. cap. 1.

11. Respondetur, D. August. solum impossibile reputasse, quod idē esset causa sui ipsius, & consequēter, quod idē penderet à se ipso secundū eundē modum essendi; nam secundū diuersos modos essendi optime potest idē esse causa sui ipsius, & consequenter à se ipso depēdere, vt patet in fine, qui, vt est in intētionē, est causa sui

ipsius, vt est in executione. Quibus accedit, improprijssimē motum appellari causam sui termini *ad quem*, cū causa sit id, quod confert esse; motus verò non propriè est id, quod confert esse suo termino *ad quem*, sed id, quo confertur.

12. Ex recētioribus autē, qui nobiscum asserabant, motum realiter distinguunt à suo termino *ad quē*, quā plures sustinent, distinguunt realiter secundo modo ex enumeratis, scilicet, vt modū extrinsecum, & rem, cuius est modus. Existimant enim, falsam esse sententiā Auerrois, qui pluribus in locis, sed præcipuè lib. 5. huius operis com.

9. sustinet, motū esse formam fluentem, id est, ipsum terminū *ad quē* motus, vt in fieri, & in esse imperfecto, tēdenti que ad sui perfectionē consideratur: & veriorē esse sententiā, quā ibidē ipse Auerroes reiecit, scilicet, motū esse ipsum fluxum, seu tēdentiā, à quo forma, seu terminus *ad quē* motus, dum est in fieri, & in statu imperfecto, tendēti que ad sui perfectionē fluens, seu tendens denominatur. Ex hoc enim fundamento inferunt, motū distinguunt realiter à termino *ad quē* ipsius, non vt eadē res sub diuerso modo essendi considerata, sed potiùs vt modus extrinsecus à re, cuius est modus, eo quod fluxus, seu tēdentiā, in qua motus cōsistit, nō est ipse terminus *ad quem* in fieri, & in statu imperfecto ten-

dentique ad sui perfectionem consideratus, sed modus quidam extrinsecus ipsius.

13 Sed recentiores isti, & falsum dicunt, & extra choros saltant. Falsum dicunt; nam, si secundum ipsos motus, qui realiter distinguitur à termino *ad quem* eius, non est motus materialiter sumptus, scilicet, pro forma fluente, sed potius est motus formaliter sumptus, scilicet, pro fluxu, & tendentia, à qua motus materialiter sumptus fluens, & tendens denominatur, perperam distinguunt motum à termino *ad quem* ipsius, ut modum à re, cuius est modus; nam motus formaliter sumptus, scilicet, pro fluxu, seu tendentia, non est modus termini *ad quem* motus, sed res quaedam spectans ad diuersum prædicamentum ab illo, in quo terminus *ad quem* motus collocatur. Est enim fluxus, seu tendentia, quam motus dicit pro formali in formis, quæ sunt successiuè, quædam species quantitatis non distincta realiter a tempore, sumpto tempore materialiter, ut ex professione cum Scoto statui in Logica cap. de quantitate disp. 2. q. 3. sect. 1. & 2. & semel, atque iterum annotauimus in hac disputatione, tam in initio huius quæstionis, quam in principio quæstionis primæ.

14 Saltant præterea recentiores isti extra choros; quia etsi motus formaliter sumptus

non sit forma fluens, sed ipse fluxus (in quo neque ipsi, neque nos opponimur Auerro: hic enim, cum sustinet motum non esse fluxum, sed formam fluentem; non loquitur de motu pro formali, sed pro materiali) tamen, cum in hac quæstione inquirimus, qualiter motus distinguitur à termino *ad quem* ipsius; non est sermo (ut in initio huius quæstionis dixi) de motu formaliter sumpto, scilicet, pro fluxu; sed de motu sumpto materialiter, scilicet, pro forma fluente, id est, pro termino motus, qui, dum est in fieri, & in esse imperfecto, tendentique ad sui perfectionem, fluens denominatur. Cuius rationem reddidimus, quia de motu, ut sic, loquitur Arist. in toto isto libro. Et nunc confirmari potest, quia, si Arist. loqueretur de motu formaliter sumpto, perperam dixisset, tex. 4. *motus non est præter res, ad quas est motus*: siquidem fluxus, in quo motus formaliter consistit, non solum est res distincta à termino, ad quem est motus, sed etiam in diuerso ponitur prædicamento ab illo, in quo terminus, ad quem est motus, constituitur: cum fluxus, in quo motus formaliter consistit, sit in prædicamento quantitatis; terminus autem, ad quem est motus, sit substantia, vel qualitas, &c.

15 Dicendum igitur nobis est, motum materialiter sumptum di-

distingui realiter à termino *ad quem* ipsius tertio modo ex supra enumeratis, scilicet, ut eandem rem sub diuerso modo essendi. In hoc asserto debent nobiscum cōuenire omnes auctores, qui cum Auerro loco citato susceperunt, motum materialiter sumptum esse formam fluentem, id est, terminum *ad quem* motus, ut in fieri, & esse imperfecto, tendentique ad ulteriorem sui perfectionem, cōsideratur. Hi sunt Scotus in 4. d. 13. q. 1. art. 1. lit. M. Albertus, Simplicius, & alij expositores Arist. atque D. Tho. in hoc libro lect. 2. imò existimo, ab hoc asserto in re non dissentire auctores primæ sententiæ: solum enim cōtendunt, motum non distingui à termino *ad quem*, ut duas res; non tamē negant, hanc rem, quæ est motus, & terminus eius *ad quem*, habere diuersum modum essendi, quando dicitur motus, ab eo, quem habet, quando est terminus *ad quem* illius; sed quia ipsi existimant, solum esse appellandam distinctionem realem, quæ inter duas res versatur, ideo negant (licet falso nisi fundamento; nam distinctio realis non solum inter duas res, sed etiam inter rem, & modum eius extrinsecum; & similiter in eadem re secundum diuersos modos reales essendi considerata reperitur) distinctionem realem inter motum, & eius terminum *ad quem*, & so-

lum illis concedunt distinctionem rationis ratiocinatæ.

16 Fundamentum huius nostri asserti est; quia, si ex Auerro, Scoto, & D. Th. atque alijs motus materialiter sumptus (de quo in præsentī loquimur) nihil aliud est, quam forma fluens, id est, terminus ad quem motus, ut in fieri, & in esse imperfecto, tendentique ad ulteriorem sui perfectionem consideratur; manifestè inferitur, motum solum distingui realiter à termino *ad quem* ipsius, ut eandem rem sub diuerso modo reali essendi consideratam: siquidem in hac doctrina (mihi quidem verissima) motus, & terminus eius *ad quem* eadē est res, nihilo à se ipsa plus differens, quam per duos modos reales essendi, quos habet, quando dicitur motus, & quando dicitur terminus *ad quem* illius.

17 Ad auctoritatem Arist. & duas alias rationes, quibus auctores primæ sententiæ suam opinionem confirmabant, non est, cur respondeamus; licet enim optimè probent contra Aureolum, & alios auctores n. 8. citatos, motum materialiter sumptum non distingui realiter à termino *ad quem* ipsius, supra distinctione reali pro distinctione inter duas res; non tamē conuincunt, imò neque procedunt contra nostram sententiam, quæ sustinet, motum, & eius terminum *ad quem* distin-

qui realiter sumpta distinctione reali non pro ea, quæ versatur inter duas res, sed pro ea, quæ versatur inter eamdem rem, prout distinctis modis realibus est affecta.

18 Ex dictis in hac quaestione patet, quid sit dicendum ad quaestionem illam, quæ hic exagitari solet, scilicet, *ad quodnam prædicamentum spectet motus materialiter sumptus?* Respondetur enim cum Arist. hic tex. 4. (quem sequuntur Scotus loco num. 15. citato, Antonius Andreas tractatu de sex principijs, & communiter omnes interpretes) motum materialiter sumptum nullum constituere prædicamentum; collocari tamen reductiue in prædicamentum sui termini *ad quæ*; ita ut motus ad substantiam sit substantia; motus ad qualitatem sit qualitas, &c. Et ratio efficax est, quia (ex dictis in hac quaestione) motus non est alia res, quæ eius terminus *ad quem*, & solum differunt penes diuersos modos essendi perfecte, vel imperfecte eadem res; nam, quatenus res est in facto esse, & in statu perfecto, dicitur terminus *ad quem* motus: quatenus verò eadem res est in fieri, & in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad vltiorem sui perfectionem, dicitur motus. Sed res, dum est in fieri, & in statu imperfecto, non ponitur per se in prædicamento, sed reducitur ad prædicamentum, in quo per se eadē

res, dum est in facto esse, & in statu perfecto collocatur: ergo neque motus per se ponitur in prædicamento, sed ad prædicamentum sui termini *ad quem* reducitur.

19 Similiter patet ex dictis responsio ad aliam quaestionem, quæ hic etiã exagitari contueuit, scilicet, *quonam pacto motus distinguatur, tam à motore, quàm à subiecto motus?* nam respondetur, distinguere realiter ab utroque primo modo ex tribus n. 7. relatis, scilicet, tanquã duas res. Quia motus nõ est alia res, quæ eius terminus *ad quem*, & solum differunt penes diuersos modos essendi realiter eadem res. (vt ex dictis in hac quaestione patet) Sed terminus *ad quem* motus in omnium sententiã distinguitur, tam à motore, quàm à subiecto motus realiter, tanquã duæ res: ergo idem erit dicendum pariformiter de motu.

#### QVÆSTIO IV.

*An omnis motus in mobili subiectetur?*

1 **D**iscutitur quaestio ista solum propter motum localem, qui comuniter *latio* dicitur; nam de alijs motibus fatetur omnes subiectari in mobili, non secus, ac terminos, ad quos ipsorum in mobili subiectantur. De locali autem motu non est vnanimis cõsensus; nã sunt, qui dicant, motum localem non in mobili, sed in corpore locante subiectari, ac per cõsequens rem, quæ mouetur, non

intrinsecè, sed extrinsecè ab ipso denominari. In hanc sententiã conspirare debent omnes, qui affirmant, motum localem non esse motum productiuum alicuius *vbi*, seu præsentiae realis, quæ intrinsecè inhæreat in ipso mobili, & à quo mobile esse in loco, seu esse præsens in loco intrinsecè denominetur: sed esse tantum acquisitiuum noui loci, ex cuius coexistentiã cum mobili ipsum mobile esse in loco, seu esse præsens in loco extrinsecè denominatur. Nam, cum terminus *ad quæ* cuiuscumque motus, sit eadem res cum motu, solumque differat ex diuerso modo reali essendi (vt ex dictis quaestione præcedenti constat) fieri nequit, vt motus in alio subiecto inhæreat, quã in eo, in quo eius terminus *ad quem* inhæret. Cõstat autem, locum (cum sit *ultima superficies corporis continentis*) nõ in mobili, sed in corpore locante inhære. Hi auctores sunt Greg. in 2. d. 1. q. 4. art. 1. Soncinas 5. Metaph. q. 40. & Herbæus quodlibet. 1. q. 9. videturque D. Tho. 1. p. q. 110. & in 4. d. 44. q. 2. art. 2. & 3. contra gentes cap. 13. &c.

2 Potrò motum localem nõ esse productiuum alicuius *vbi*, seu præsentiae realis intrinsecè inhærentis in ipso mobili, sed solum acquisitiuum noui loci (quod est vnicum fundamentum huius sententiæ) probari potest; primò ex Arist. qui 8. Physic.

c. 7. tex. 59. inter alia, in quibus motus localis alijs motibus præstat, hoc enumerat, scilicet, mobile per motum localem non mutari, sicut mutatur per alios motus. Quod neutiquam affirmare posset Arist. si putaret, motum localem esse productiuum alicuius *vbi*, seu præsentiae realis intrinsecè inhærentis in ipso mobili. Verba Aristot. sunt, *atque hæc ita se habet* (scilicet, *latio* præstantiorem esse alijs motibus) *nõ solum ob ea, quæ dicta sunt, sed ob hanc etiã rationem; quia id, quod hoc motu cietur, minime, dum fertur, substantiam suã amittit. Sola nãque latio nihil in hisce, quæ insunt sibi, mutatur; vt cum qui piam alteratur. & cum incrementa, decrementa vè suscipit, in qualitate sit (vt patet) atque in quantitate mutatio.* Et confirmatur, quia Arist. tam in hoc opere, quàm aliàs, quoties de locali motu philosophatur, nullius rei, quæ per eum rei mota adueniat, mentionem facit, præterquam loci, hoc est, vltimæ superficiëi corporis cõtinëtis.

3 Secundò probari potest, quia, si per motum localem aliquid in mobili inhærens produceretur, vel id esset absolutum, vel relatiu: non absolutum, quia nõ videtur, quidnã id esse queat, neque relatiu; quia ad relationem (ex Arist. 5. huius operis) non est per se motus, sicut esset ad illud intrinsecè inhærens in mobili, quod supponitur per motum localem produci.

4 Tertiò, quia acquisitio loci est verè, & propriè motus; cum sit *actus entis in potentia secundum quod in potentia*: ergo per motum localem nulla forma inhærens mobili, sed locus dūtaxat per se acquiritur. Probo consequentia; quia, si per motū localem huiusmodi forma mobili inhærens adquiretur, cum locus etiā per motū localem acquiratur, sequeretur vnum ex duobus inconuenientibus, scilicet, vel quòd nullus motus localis esset vnus per se, vt potè, qui duplicè terminum natura differentē obtineret, vel, quòd danda essent in quolibet motu locali duo genera motuum localium, vnū ad illam formam rei mota inhærentem, & aliud ad locum, quòd nullus admittit.

5 Sed vera sententia docet, motum localem ( ac per consequens omnem motum ) in mobili subiectari, & ab eo rē motam non extrinsecè, sed intrinsecè talē denominari. Hęc sententiam tutari debent omnes, qui affirmāt, *ubi* quod est, ad quod per se motus localis terminatur, esse aliquid intrinsecè inhærens in ipso mobili; nam, (vt supra dicebamus) cū terminus *ad quem* cuiuscūque motus sit eadem res, cum motu, & solum differāt ex diuerso modo reali essendi, fieri nō potest, vt motus in alio subiecto inhæreat, quā in eo, *ubi* eius terminus *ad quem* inhæret,

Hi sunt Scotus pluribus in locis, sed præcipue quodlib. 1. 1. & in 4. d. 10. q. 1. §. *Dico ergo*. & d. 49. q. 16. & in 2. d. 2. q. 7. & cum ipso omnes eius discipuli. Ex alijs auctor sex principiorum in explicatione categoriæ *ubi*, Durādus in 2. d. 15. q. 3. Ioannes Maior d. 2. q. 2. Ochā quest. 9. ac omnis ferè schola Nominalium, Sotus hic q. 2. Toletus q. 3. Iandunus 4. Metaph. q. 4. Conimbricenses cap. 3. q. 2. art. 2. estque iam communis, & recepta ab omnibus recentioribus: imò videtur expressa in Arist. qui loquens de motu in communi, & prout sub se etiam motum localem comprehendit, tam hic cap. 3. quā 9. Metaph. cap. 9. tex. 16. non solum affirmat, sed etiā ex intentu probat, esse in mobili tanquam in subiecto; & idem præstat D. Tho. hic lect. 4. & 2. d. 12. artic. 1. ad 2.

6 Porro *ubi* quod est, ad quod localis motus per se terminatur, esse aliquid in ipso mobili intrinsecè inhærens (quod est vnicum nostræ sententiæ fundamentum) & consequenter motum localem esse motum productiuum alicuius intrinsecè inhærentis in mobili, & non solum acquisitiuum noui loci (vt asserūt auctores oppositæ sententiæ) sic ostendo. *Vbi* quod est (teste Arist. 5. Metaph. cap. 9.) ad quod per se motus localis terminatur, non est lo-

cus

cus ille, à quo res, quæ localiter mouetur, in termino prædicti motus circumscribitur: sed est illa præsentia realis, quam res, quæ mota est, dicit ad prædictum locum. Sed hæc præsentia realis etsi terminetur ad locum, intrinsecè tamen inhæret in re illa, quæ mota est: (nā hæc est, quæ formaliter præfens loco denominatur) ergo, & *ubi*.

7 Dices: *ubi* etsi non sit locus ille, à quo res, quæ mouetur localiter in termino prædicti motus circumscribitur, sed potius illa præsentia realis, quam res, quæ mota est, dicit ad prædictum locum: tamē hæc præsentia realis nō est aliquid intrinsecè inhærens in re, quæ mota est; sed tantum consistit in denominatione reali extrinseca ex coexistentia rei, quæ mota est, cum loco, à quo circumscribitur in termino illius motus, prouenienti.

8 Sed contra hoc est, primo, quòd sic philosophantes coguntur asserere, *ubi*, quod est vnum ex nouem prædicamentis accidentium non esse verum ens reale, sed denominationem extrinsecam prouenientem ex coexistentia duorum entium realium: quòd nō consonat Arist. qui in decem clausibus prædicamentalibus non denominationes extrinsecas, sed vera entia realia collocauit. Secundo, quia denominationes extrinsecæ non ter-

minant per se motum, cum non fiant per se, sed ex coexistentia eorum, quæ fiunt per se, resultent, non secus, ac resultant relationes. Sed *ubi* primo, & per se terminat motum localem (vt cum Arist. loco Metaph. supra citato omnes fatentur) nequit ergo *ubi* in prædicta denominatione extrinseca constitui, sed potius in aliqua entitate reali in re illa, quæ mota dicitur, intrinsecè inhærente.

9 His accedit, quòd ponentes per motum localem nihil produci, quòd in ipso mobili intrinsecè inhæreat, & à quo, licet non in se, saltem in ordine ad aliud, transmutetur, auferūt à motu locali rationem motus: quòd pugnat cum Aristotele, qui non solum rationi rationem motus attribuit, sed etiam docet, ipsi primario, & præcipue conuenire. Assumptum patet; nam auferunt à motu locali rationem passionis, quæ in ratione formali motus essentialiter includitur, vt ex dicendis quæstione vltima constabit.

10 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeatur, falsum esse, quòd assument auctores illius, scilicet, motum localem non esse productiuum alicuius *ubi*, seu præsentie realis: patet enim oppositum ex dictis pro nostra sententia.

11 Ad auctoritatem Aristot. qua prædictum fundamentum

roboratur, facile responde-  
mus, Philosophū in prædictis  
verbis, non negare absolutè,  
per motum localem mobile  
mutari: aliàs à motu locali ra-  
tionem passionis, & conse-  
quenter rationem motus pe-  
nitus auferre (vt num. 9. dice-  
bamus) sed solum negat mo-  
bile mutari tanta mutatione,  
quanta mutatur per alios mo-  
tus, scilicet, per alterationem,  
& augmentationem, vt satis  
apertè indicant verba illa, *vt*  
*cum quipiam alteratur, &c.* quod  
verissimū est; nam, cum termi-  
nus, tam alterationis, quā aug-  
mentationis entitas absoluta  
sit, scilicet, qualitas, vel quan-  
titas, mobile per hos motus  
mutatur absolutè, & in se ipso:  
at, cum terminus motus loca-  
lis sit quidam respectus, (vt  
statim dicam) mobile per mo-  
tum localem, non mutatur  
absolutè, & in se ipso, sed res-  
pectiuè, & in ordine ad aliud,  
scilicet, ad locum, quæ muta-  
tio ob hoc erit omnium mi-  
nima.

12 Et eodem modo possunt  
exponi similia verba, quæ ha-  
bentur in D. Thom. locis cita-  
tis, pro prima sententia, scili-  
cet, in prædictis verbis non cō-  
tendere D. Thom. mobile, per  
motum localem nullo modo  
mutari, sed non mutari tanta  
mutatione, quanta mutatur  
per alios motus. Aliàs sibi ipsi  
contrariaretur; cum 1. de cœlo,  
lect. 6. dicat, motum secun-

dum locum causare minimam  
variationem in mobili: nam, si  
causat minimam variationē,  
aliquam profecto causat, licet  
non tantam, ac alij motus, sed  
omnium minimam.

13 Ex quibus colliges, quā  
falsò nixus fundamento co-  
natus sit Martinez lib. 4. Phy-  
sic. *discutiendo* 2. non solum du-  
bitare, sed vt certum statuere,  
lationis terminum, (quem in  
quodam *ubi* seu præsentia rea-  
li, in mobili intrinsecè inhæ-  
rente statuimus) tam Aristote-  
lem, quam D. Thomam latuisse.  
Sed quid mirum, si hoc ip-  
sum attribuat omnibus Theo-  
logis, & Philosophis antiquis?  
& tamen Scotus, Durand. Ioā-  
nes Maior, Ochamus, cæteri-  
que Nominales inter antiquos  
Theologos numerati, non so-  
lum hunc lationis terminum  
agnouerunt, sed etiam in ex-  
plicando in quo formaliter  
consistat, an in aliquo absolu-  
to? an in aliquo relatiuo? non  
parum insudarunt.

14 Ad confirmationem, quā  
etiam ex ipso met Arist. desu-  
mebant, respondetur, falsum  
esse, numquam Arist. loquen-  
do de motu locali mentio-  
nem fecisse alicuius rei, quæ  
per ipsum rei motū cōueniat,  
sed tantum loci: nam 5. Meta-  
physic. cap. 9. agens de termi-  
no per se motus nō dixit, quod  
esset locus, sed dixit esse *ubi*,  
id est, præsentiam realem, quā  
habet res mota ad locum; quæ,  
cq

eo ipso quod est terminus per  
se huius motus, non poterit  
consistere in denominatione  
extrinsecæ; (ad has enim non  
datur per se motus) sed in ali-  
qua entitate reali, quæ per ip-  
sum rei motū adueniat, & in  
ipsa intrinsecè inhæreat. Quod  
si alijs in locis, dum de latione  
differit, nō meminerit *ubi*, sed  
loci, hoc est; quia locus est ter-  
minus respectus, in quo forma-  
liter consistit *ubi*; & consequē-  
ter illud extrinsecum, à quo  
*ubi* sumit suam specificationē:  
& sic per differentias loci, quæ  
nobis sunt notiores, quā in-  
trinsecæ differentiæ *ubi*, expli-  
cat nobis differentias *ubi* nos  
latitantes.

15 Ad rationem, quæ in se-  
cundo argumento adduceba-  
tur, respondetur ex Scoto lo-  
cis num. 5. citatis, *ubi*, seu præ-  
sentiam realem ad locū, quæ  
ponitur quid intrinsecè inhæ-  
rens in mobili, & per se pro-  
ductum per lationem, non esse  
quid absolutum, sed esse rel-  
ationem secundum esse (cum  
totum suum esse sit ad aliud se  
habere) sed non extrinsecè ad-  
uenientibus, quales sunt, quæ  
in tertio prædicamento collo-  
cantur; sed ex aduenientibus  
extrinsecè; & ideo vniu. ex  
sex ultimis prædicamentis cō-  
stituit. Neque obstat, quod ex  
Aristot. 5. huius operis ad rela-  
tiones non datur per se motus,  
nam hoc Aristot. affatum sō-  
lum est intelligendum de re-

lationibus intrinsecè adueniē-  
tibus, & spectantibus ad tertium  
prædicamentum; de qui-  
bus tantum ibi loquebatur: nō  
verò de aduenientibus extrin-  
secè, quales sunt, quæ sex vlti-  
ma constituunt prædicamen-  
ta. Et huius discriminis ratio-  
nem assignauimus in Logica  
disp. vnica de sex ultimis prædi-  
camentis, q. 1. n. 26.

16 Ad rationem, quæ addu-  
cebatur in tertio argumento,  
dicimus, quod etsi res, quæ lo-  
caliter mouetur, simul acqui-  
rat locum, tamen loci acqui-  
sitiō per accidens se habet ad  
motum localem, qui per se ad  
*ubi*, seu præsentiam localem  
dumtaxat terminatur (vt dixi-  
mus) ad locum verò solum  
per accidens, & in quantum  
est terminus relationis extrin-  
secè aduenientis, in qua for-  
maliter consistit *ubi*, seu præ-  
sentia localis. Vnde falsum  
reputamus id, quod in antec-  
cedenti sumitur (*acquisitiō loci est*  
*verè, & propriè motus*;) nam ad  
veram, & propriam rationem  
motus non sufficit, quod defi-  
nitiō motus (actus entis in po-  
tentia secundum quod in po-  
tentia) illi competat per acci-  
dens; sed est necessarium,  
quod illi competat  
per se.

## QVÆSTIO V.

De actione, & passione, tam inter se, quam cum motu comparatis.

**P**RO intelligentia huius questionis advertendum est, tam actionem, quam passionem dupliciter posse accipi, scilicet, formaliter, & materialiter; non secus, ac de motu supra dicebamus. Si formaliter accipiantur, sunt relationes illæ, à quibus agens, & passum talia formaliter dicuntur. At si sumantur materialiter sunt actus actiui, & passivi, quatenus talia sunt, id est, actus quibus medijs id, quod existit in potentia actiua, & id, quod existit in potentia passiva suas potentialitates exercent, primòque perficiuntur.

**2.** In præsentī ergo quæstione non est futurus sermo de actione, & passione sumptis formaliter, sed de ipsis sumptis materialiter. Tum, quia Arist. in hoc libro, dum comparat actionem, & passionem, tam inter se, quam cum motu, solum agit de illis sumptis materialiter. (ut ex dicendis constabit) Tum etiam, quia de actione, & passione sumptis formaliter, & pro respectibus constat ex dictis in Logica disput. unica de sex ultimis prædicamentis quæst. 2. sect. 1. quòd si actio sumatur pro respectibus, quos dicunt produ-  
cens ad productum, inducens ad inductum, educens ad edu-

ctum; & passio pro respectibus his oppositis, tam actio, quam passio sunt respectus intrinsecè aduenientes, collocanturque in tertio prædicamento inter relationes secundi generis. At si actio sumatur pro respectu, quem dicit id, quid transmutat, ad subiectum, quod per ipsum transmutatur, & passio pro respectu huic opposito sunt relationes extrinsecus aduenientes constituentes quintum, & sextum prædicamentum, scilicet, prædicamenta actionis, & passionis.

**3.** Et quidem de actione, & passione materialiter sumptis plura inquiri possunt. Primum est, quo pacto distinguantur in motu? ad quod respondemus ex Aristot. cap. 3. huius libri, non distingui realiter; distinguuntur tamen ex natura rei formaliter. Hanc enim distinctionem intelligit Arist. cum illa appellat ratione distincta; nam ibi rationem non sumit pro operatione intellectus, sed pro definitione, & quidditate; & idem est apud ipsum esse distinctas ratione, ac definitione esse distinctas. Imò addo eodem modo esse philosophandum de actione, & passione comparatis ad motum materialiter sumptum, scilicet, non esse ab illo realiter distinctas; sed solum distinctione ex natura rei formali, saltem in adæquata.

**4.** Fundamentum huius Aristot.

stotelicæ doctrinæ est; quia idem fieri rei, quod, in quantum est actus, quo ens existens in potentia actiua suam potentialitatem exercet, & primò perficitur, dicitur actio, & sub alia formalitate, scilicet, quatenus est actus, quo ens existens in potentia passiva suam potentialitatem exercet, & primò perficitur, dicitur passio, in quantum præter has duas formalitates includit aliam, scilicet, esse actum, quo ens existens in potètia obiectiua suam potentialitatem exercet, & primò perficitur transeundo ex non esse actualis existentia, sed pura possibilitatis ad esse actualis existentia, dicitur motus. ergo motus, actio, & passio materialiter sumpta non distinguuntur realiter, sed solum ex natura rei secundum diuersas formalitates, quas dicit eadem res. Vnde optimè docuit Arist. cap. 3. huius libri, actionem, & passionem materialiter sumptas differre, sicut viam, qua Athenis Thebas itur; & qua Thebis Athenas petuntur; nam sicut hæc est eadem realiter via, & solum distincta secundum diuersas rationes formales: ita etiam actio, & passio sunt eadem realiter via, seu motus, & solum secundum diuersas rationes formales distinguuntur. Et idem exemplificauit in interuallo, quod est inter vnum, & duo, & inter duo, & vnum: & in via, qua

hinc dicitur actiuis, illinc decliuis: & in actuali scientia, quæ, ut egreditur à magistro, dicitur doctrina, & ut recipitur in discipulo, dicitur disciplina.

**5.** Secundum, quod inquiri potest, est, in quonam consistant istæ formalitates, per quas dicimus actionem, & passionem materialiter sumptas differre formaliter, tam inter se, quam cum motu comparatas. Et dico notanter, actionem, & passionem materialiter sumptas; nam, si sermo esset de actione, & passione sumptis formaliter, dicendum esset cum Scotto in 4. d. 13. q. 1. lit. K. formalitatem, in qua consistit actio, esse relationem illam, quam exprimit *ly ab alio*, quæ ratio potest esse, vel intrinsecus, vel extrinsecus adueniēs iuxta varias acceptiones actionis formaliter sumptæ num. 2. relatas. Formalitatem verò passionis consistere in relatione, vel relationibus oppositis. Tamen in præsentī solum est sermo de formalitatibus, per quas differunt actio, & passio materialitatis sumptæ, tam inter se, quam ad motum comparatæ; nam solum de ipsis materialiter sumptis potest verificari doctrina Arist. supra allata, scilicet, actionem, & passionem non distingui realiter in motu, tam inter se, quam ad motum comparatas; distinguuntur tamen ex natura rei formaliter. Nā, si actio,

actio, & passio sumerentur formaliter, & pro respectibus, asserendum foret cum Scoto loco citato, non solum distingui realiter inter se, & ad motum comparatas, sed etiam esse respectus oppositos, atque in distinctis subiectis inhaerere; cum relatio, quam dicit pro formalis actio, subiectetur in agente; relatio verò, quam dicit pro formali passio, si sit relatio extrinsecus adueniens (qualis est transmutati ad transmutans) subiectetur in passio: si autem est relatio intrinsecus adueniens (quales sunt producti ad produciens; inducti ad induciens, educti ad educens) subiectatur in termino actionis: solumque possent actio, & passio sumptæ pro respectibus intrinsecè aduenientibus oppositis appellari idè materialiter, seu fundamentaliter, scilicet, in quantum motus, qui est conditio per se requisita ex parte fundamenti ad ipsarum resultantiam, est idem realiter; non secus, ac de via, qua Athenis Thebas itur, & qua Thebis Athenæ pctuntur, si sumatur, non pro magnitudine, super quam fiunt hi motus, sed potius pro ipsis motibus, dicendum esset, non esse eandem viam realiter, sed esse vias realiter distinctas, imò & oppositas, solumque appellari idem realiter materialiter, & propter identitatem magnitudinis, super quam fiunt.

6 Loquendo ergo de formalitatibus, per quas actio, & passio materialiter sumptæ differunt ex natura rei formaliter, tam inter se, quam ad motum, etiam materialiter sumptam, comparatæ; dicendum est, consistere in connotatione diuersorum entium in potentia, quorum sunt actus. Itaque idem fieri rei et si sit actus entis in potentia actiua, secundum quod in potentia actiua est, & etiam sit actus entis in potentia passiuua secundum quod in potentia passiuua est; & demum sit actus entis in potentia obiectiua secundum quod in potentia obiectiua est; tamen quatenus est actus entis in potentia actiua, secundum quod in potentia actiua est, induit rationem formalem actionis, & quatenus est actus entis in potentia subiectiua secundum quod in potentia subiectiua est, induit formalem rationem passionis: & demum quatenus præter has rationes actus habet, quod sit actus entis in potentia obiectiua, secundum quod in potentia obiectiua est, induit rationem motus. Hoc colligo ex Arist. qui nullo alio modo nobis explicuit has formalitates, per quas actio, & passio materialiter sumptæ differunt ex natura rei formaliter quæ per istas connotationes distinctorum entium in potentia. Sic enim loquitur in tertia definitione motus, *motus est actus acti-*

*actiui, & passiuui, vt talia sunt, seu (vt alij vertunt) motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est.* Circa quam definitionem optimè plures annotarunt, quod etsi per ipsam explicet nobis Aristot. rem, quæ est motus; sed non formaliter vt motus est; sed vt est formaliter actio, & passio.

7 Ex quibus infero, quam pulchrè dixerit subtilis Doctor in 1. dist. 30. & 35. & 43. & in 2. dist. 1. quæst. 2. ad absolutum in causa immediate sequi absolutum in effectu, & postea in effectu resultare respectum ad causam, & in causa respectum ad effectum: (si causa sit quid creatum, & consequenter capax suscipiendi aliquod accidens) nam etiam si inter causam, & effectum (in his, quæ fiunt per motum) necessariò medient actio, & passio, & motus materialiter sumpta, tamen actio, & passio, atque motus materialiter sumpta nihil aliud sunt, quam ipsemet effectus in fieri, & in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad vltiorem sui perfectionem consideratus: & insuper etiam si actio, & passio, & motus materialiter sumpta differant ex natura rei formaliter; tamen formalitates istæ, per quas differunt, non consistunt in aliquibus relationibus; sed in connotationibus diuersorum entium

in potentia, respectu quorum sunt actus secundum quod sunt in potentia; per quas connotationes, & si actio, & passio, & motus materialiter sumpta possint, & debeant relatiua denominari; sed non secundum esse; sed solum secundum dici; quæ eo ipso secundum esse entia absoluta erunt.

8 Tertium, quod inquiri potest, est, quo pacto formalitates istæ actionis, & passionis, & motus coordinenter inter se? Prima sententia affirmat; ita coordinari, vt formalitas motus se habeat, vt subiectum quo respectu formalitatis actionis, & respectu formalitatis passionis. Ita Curfus Carmelitanus disput. 17. quæst. 3. num. 22. Et probari potest ex Aristot. qui cap. 3. videtur hoc asseruisse istis verbis: *Omni- nino autem dicere est, quod neque actio, cum passione, neque doctio cum disciplina idem proprie est, sed cui insunt hæc, motus est.*

9 Sed Authores isti aut locutur de formalitatibus actionis, & passionis, sumptis actione, & passione formaliter & pro respectibus; aut de formalitatibus actionis, & passionis sumptis actione, & passione materialiter, & pro connotationibus diuersorum entium in potentia, quorum sunt idem numero actus. Si loquantur de actione, & passione sumptis pro

respectibus, & saltāt extra choros; insuper & falsum dicunt. Saltant extra choros; nam in præsentī quæstione non comparamus rationes formales actionis, & passionis sumptis actione, & passione formaliter, & pro respectibus; sed materialiter, & pro connotationibus diuersorum entium in potentia, quorū sunt idem numero actus. Insuper dicunt falsum, quia falsum est, respectus illos, in quibus actio, & passio formaliter sumptæ consistunt, esse in motu, tanquam in subiecto: quod inde conuinci potest; quia destructo subiecto, destruuntur etiam accidentia, quæ in illo inhaerent: & tamen destructo, seu transacto motu, non destruuntur relationes, à quibus agens, & patiens talia denominantur.

10 Si verò loquamur de formalitatibus actionis, & passionis, sumptis actione, & passione materialiter, implicatio est, quòd istæ formalitates sint in formalitate motus, tanquam in subiecto; nam, cum istæ formalitates sint idem realiter cū formalitate motus (vt num. 3. cum Arist. statuimus, atque fatentur aduersarij.) si istæ formalitates essent in formalitate motus, tanquam in subiecto, idem realiter esset subiectum sui ipsius & consequenter realiter pederet, saltem in genere causæ materialis, a se ipso, quod omnes fatentur implicare.

11 Neque verba Aristot. pro hac prima sententia adducta, ipsi fauent: nam (vt annotat Scotus loco quarti citato ante litter. M.) verba illa; *sed cuius sunt hæc* (scilicet actio, & passio) *motus est*, vertunt alij; *sed cui insunt hæc, motus inest*. Per quod denotatur, non quòd actio, & passio insunt in motu; sed quòd in subiecto, in quo insunt actio, & passio, inest etiā motus.

12 Secunda sententia docet, formalitatem motus includi quidditatiuè, & essentialiter in formalitatibus actionis, & passionis; & consequenter motū esse quid superius ad actionem, & passionem: non secus ac formalis ratio animalis, quæ essentialiter, & quidditatiuè includitur in homine, & equo, est quid superius ad hominem, & equum. Ita Scotus in præsentī quæst. 2. concl. 3. qui consequenter affirmare tenetur, distinctionem formalem, qua dictum est distingui motum, tam ab actione, quam à passione, esse inadæquatam.

13 Sed merito hæc sententia ab omnibus alijs Authoribus repellitur. Et ratio efficax est, quia si formalitas motus essentialiter, & quidditatiuè includeretur in formalitatibus actionis, & passionis, non posset dari actio, & passio, sine motu; sed possunt dari: ergo formalitas motus non inclu-

di-

ditur essentialiter in formalitatibus actionis, & passionis. Minor probatur instātia creationis; quæ verè actio est, & tamen non est motus, cum non habeat subiectum, quod sit in potentia ad ipsam; & ad eius terminum. Et similiter instantia productionis, qua simul subiectum cum forma producit; quæ vera actio, & passio est; & tamen non est motus: nam motus præter entitatem actionis eductiuæ connotat etiam subiectum eius extetifse in potentia ad formam cum reali illius priuatione. Idemque in actione conseruatiua contingit.

14 Dicendum igitur nobis est, formalitates actionis, & passionis includi essentialiter, & quidditatiuè in formalitate motus. Ducor ad hoc asserendum primò, quia formalitas motus non solum, non potest existere sine formalitatibus actionis, & passionis; sed neque adæquatè concipi: ergo signum cuius est, quòd in formalitate adæquata motus formalitas actionis, & passionis includantur.

15 Secundò, quia omne superius essentialiter, & quidditatiuè includitur in suo inferiori. Sed actio, & passio sunt quid superius ad motum: ergo essentialiter, & quidditatiuè includuntur in illo. Minorem probo primò, quia actio, & passio non solum reperiuntur in

motu; sed etiam reperiuntur in cōseruatione, & in productione, qua subiectum simul cum forma producit; quæ non induunt rationem motus: ergo actio, & passio sunt quid superius, & commune tam ad motum, quam ad cōseruationem, & productionem prædictam. Secundò, quia illud dicitur superius respectu alicuius, à quo non valet subsistendi cōsequētia. Sed ab actione, & passione respectu motus nō valet subsistendi consequētia. (Etsi enim bene valeat, est motus? ergo est actio, & passio: non tamē cōtra, est actio, & passio? ergo motus) ergo actio, & passio sūt quid superius ad motum.

16 Et si quis roget, quidnam asserendum veniat de formalitatibus actionis, & passionis ad inuicem comparatis? dicendum est, neque formalitatem actionis includi essentialiter, & quidditatiuè in formalitate passionis; neque è contra formalitatem passionis in formalitate actionis. Quia etiā si passio non possit existere sine actione, tamē formalitas passionis potest adæquatè concipi sine formalitate actionis, & è cōtra. Quod contingere nequiret, si vna in alia formalitate includeretur. Vnde in tertia definitione, qua Arist. motum definiuit, nō formaliter, & vt motus est; sed vt actio, & passio est, ita tradidit definitiones formalitatis actionis, & formalitatis passionis, vt



in definitione formalitatis actionis (qualis est, *est actus actiui, quatenus tale*) nullatenus includerit definitionem formalitatis passionis (quæ talis est, *est actus passiui quatenus tale*) neque è cōtra. Quod secus contingit in prima definitione, qua motum definiuit formaliter, & vt motus est, dicēs: *Est actus entis in potentia secundum quod in potentia*: nam in hac definitione inclusæ sunt definitiones formalitatum actionis, & passionis: vt diximus quæst. 1. num. 16. & 17.

17. Ex quibus infero, quod, etsi actio, & passio distinguantur ex natura rei formaliter, tam inter se, quàm ad motum comparatæ; sed non eodem modo; nam inter se comparatæ distinguuntur distinctione formali adæquata: at comparatæ ad motum distinguuntur distinctione formali inadæquata; non secus ac diximus in Logica, disp. 1. vniuersaliū, quæst. 2. sect. 2. naturas, quæ denominantur vniuersales, distingui ex natura rei formaliter à naturis, quæ denominantur particulares, in quibus essentialiter includuntur.

18. Sed contra id, quod statuimus (scilicet formalitates actionis, & passionis essentialiter, & quidditatiuè includi in formalitate motus) sunt aliqua argumenta. Primò sic ali-

qui argumentantur. Si motus est essentialiter, & quidditatiuè actio, & similiter passio: ergo actio essentialiter, & quidditatiuè erit passio; & è contra passio erit essentialiter actio. Probant consequentiam ex illo Aristotelico affatu: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, eadem identitate, quæ sunt vnum in tertio.

19. Respondetur negando consequentiam: quia illud proloquium intelligendum tantum est de eis, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè; non autem de eis, quæ sunt eadem vni tertio inadæquatè, vt contingit in actione, & passione comparatæ ad motum. Quod conuincitur manifestè instantia animalis, & rationalis, quæ etiam si sint idem formaliter cum homine; quia tamen hæc idētitas, quàm vnum quodque dicit, non est adæquata; sed inadæquata, non ideo inferitur, quòd sint idem formaliter inter se comparata.

20. Secundò obijciunt alij. Actio, & passio constituunt duo specialia prædicamenta; motus autem nullum constituit prædicamentum; sed ad prædicamentum sui termini reducitur. Item actio, & passio sunt quid completum in suo genere; motus vero in suo genere non est quid perfectum, aut completum;

et

ergo implicationem inuoluit, formalitates actionis, & passionis imbibere essentialiter in formalitate motus.

21. Respondetur, hanc objectionem æquiuocatione scaterere. Formalitates enim actionis, & passionis, quæ constituunt duo specialia prædicamenta, & consequenter sunt quid completum, atque perfectum in suo genere, sunt formalitates, in quibus consistunt actio, & passio sumptæ formaliter, & pro respectibus extrinsecè aduenientibus transmutantis ad trāmutatum: de quibus nunc nō est sermo. Solū enim in præsentī est sermo (vt ad abigendum hanc æquiuocationem dicitur) de formalitatibus in quibus consistunt actio, & passio materialiter sumptæ, & vt sunt actus actiui, & passiui, quatenus talia. Et de his formalitatibus falsum est esse quid completum, & perfectum, cōstituereque duo specialia prædicamenta, cum potius sint quid incompletum, & essentialiter in perfectum, & reductiuè ponuntur in prædicamento sui termini, non secus ac formalitas, in qua consistit motus materialiter sumptus. Legite Scotum in 4. d. 13. q. 1. à litter. H.

22. Quartum, quod inquiri potest, est, vbi nam subiectetur actio, an in agente, an in passio? Et sermo est de actione transeunte, nam actionem immā-

nentem subiectari in agente, fatentur omnes. De hac re non modica controuersia esse solet inter Authores; sed orta (nifalor) ex æquiuocatione huius nominis: & sic facta distinctione facile omnes concordabimus Authores. Pro quo recole id, quod initio huius præmissimus quæstionis, scilicet tam actionem, quàm passionē posse accipi & materialiter, & formaliter. Si actio, & passio formaliter sumantur, nihil aliud sunt, quàm relationes illæ, à quibus agens, & passum (quæ sunt relatiua secundum esse) talia formaliter dicuntur. At, si sumantur materialiter, sunt actus actiui, & passiui, quatenus talia sunt, id est, actus, quo medio id, quod existit in potentia actiua, & id, quod existit in potentia passiua, suas potentialitates exercent, & primò perficiuntur.

23. His prælibatis dico primò. Si actio accipiatur formaliter, & pro respectu, à quo aliquis agens denominatur, actio non in passio; sed in agente subiectatur. Ita Scot. in 4. d. 13. q. 1. litter. D. quem omnes sectantur alumni, estque expressa sententia D. Thom. in 2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. & 2. contragentes cap. 9. & de potentia quæst. 7. artic. 9. ad 7. & quæst. 8. art. 2. Quem sectantur Caietani. 1. par. quæst. 23. art. 1. Nazarius ibidem con-

trou. vnic. & plures alij. Et probatur rationibus Scoti.

24. Primò, quia ibi subiectatur relatio, vbi est ipsius fundamentum. Sed potentia actiua, quæ est fundamentum relationis, à qua agens formaliter tale denominatur ( iuxta ea, quæ docuimus in logica cap. de *aliquid*, disp. 2. q. 1. sect. 2. ) non est in passio sed in agente : ergo neque etiam subiectabitur in passio; sed potius in agente, relatio, à qua agens formaliter tale denominatur.

25. Secundo, quia, si relatio, quæ est forma, à qua agens tale formaliter denominatur, non in agente; sed in passio subiectaretur, sequeretur, quòd passum denominaretur formaliter agens. Quod est absurdum. Sequela patet: nam in quocumque est forma aliqua; illud est simpliciter tale secundum formam illam. Omnino irrationabile videtur ( inquit Scot. ) quòd forma sit in aliquo inherens, seu ipsum informans, & non constituat ipsam informatum secundum ipsam.

26. Dico secundo. Si actio materialiter sumatur, scilicet pro actu actiui, quatenus tale est; id est, pro actu, quo medio existens in potentia actiua, suam potentialitatem exercet, & primo perficitur; actio non subiectatur in agente; sed in passio. Ita Arist. docet expressè in hoc libro text. 20. & 3. de Anima text. 138. quem om-

nes interpretes secuntur. D. Thom. super hæc loca, Scotus loco citato litt. I. & expressius 3. Physic. q. 8. Et ratio efficax est, quia actio materialiter sumpta & prout est actus, quo medio existens in potentia actiua suam potentialitatem exercet, est idem realiter cum passione, sumpta etiam passione materialiter, & prout est actus, quo medio existens in potentia passiua exercet suam potentialitatem ( vt ex Arist. supra docuimus ) & ad motum materialiter sumptum comparata, non solum est idem realiter cum illo; sed etiam essentialiter, & quidditatiuè in ipso includitur. Sed in sententia Arist. indubitatum est, passionem, & motum, non in agente; sed in passio subiectari: ergo idem affirmandum est de actione sumpta, non formaliter, & pro respectu; sed materialiter, & pro actu actiui, quatenus tale.

27. Quintum denique quod inquiri potest, est, an creatio sit actio? Et omnia satis prolixa controuersia, quæ de hac re inter Thomistas increuit ( ortaque quidem ex falsa suppositione; scilicet actionem, quæ quintum constituit prædicamentum, non esse relationem extrinsecus aduenientem transmutantis ad transmutatum, quam dicit efficiens ad subiectum, quod per motum transmutatur; sed esse viam illam, seu tendentiam, qua media efficiens

ficiens producit effectum: quæ via, secundum ipsos, non est ipse effectus in fieri, seu in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad vltiorem perfectionem consideratus; sed quidam modus accidentalis ipsius effectus; vt ex relatis, & refutatistam in Logica disp. vnic. de sex vltimis prædicamentis q. 2. sect. 1. quam in q. 3. huius disp. constat aperte) tria à nobis sunt statuenda.

28. Sit primū assertum. Si nomine actionis intelligatur actio, quæ est quintum prædicamentum, creatio non est actio. Ratio efficax est, quia actio, quæ est quintum prædicamentum, formaliter consistit in relatione extrinsecus adueniente transmutantis ad transmutatum, quam dicit efficiens ad subiectum, quod per ipsam transmutatur ( vt diximus in Logica loco citato ) sed in creatione nullum datur subiectum, quod per ipsam creationem transmutetur; cum fiat ex nullo subiecto præsupposito: ergo nec dari poterit relatio transmutantis ad transmutatum; quæ est, in qua actio, quæ constituit quintum prædicamentum, formaliter consistit.

29. Sit secundum assertum. Si actio sumatur pro respectu producentis ad productum ( quæ est actio, à qua efficiens respectu sui effectus agens formaliter denominatur, estque relatio intrinsecus adueniens, at-

que in tertio prædicamento relationis in secundo relationum genere collocatur ) creatio non est actio, quæ sit intrinsecè in ipso Deo creante; sed est actio, sumpta actione pro denominatione extrinsecus proueniente à relatione reali opposita existente in creatura. Ratio efficax est, quia etiam si Deus per creationem formaliter dicatur agens respectu termini creationis; tamen forma, à qua formaliter denominatur agens respectu termini creationis, non est aliqua relatio realis in ipso existens; sed est quædam denominatio extrinsecus à relatione reali existente in creatura proueniens.

30. Sit tertium assertum. Si actio non sumatur formaliter, scilicet pro aliquo ex suprascriptis respectibus; sed materialiter, scilicet pro actu actiui, quatenus tale, creatio est actio. Ratio efficax est, quia actio, vt sic, nihil aliud est, quam fieri effectus, seu, quod idem est, ipse effectus, prout in fieri, & in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad vltiorem sui perfectionem consideratur, in quantum est actus, quo medio ens existens in potentia actiua suam exercet potentialitatem: nã negari non potest, in creatione dari fieri rei, quæ creatur, non secus ac in generatione, qua Deus in stanti aliquid generat, datur fieri rei, quæ generatur. Et solum est hoc discrimen inter fie-

vi rei, quæ creatur, & fieri rei, quæ generatur, quod fieri rei, quæ generatur, recipitur in aliquo subiecto, sicuti & forma, quæ per generationem fit: inde non solum habet, quod sit actio; sed etiam habet, quod sit passio. At fieri rei, quæ creatur, nõ recipitur in aliquo subiecto; sicuti neque recipitur effectus, qui per creationem fit: vnde licet habeat, quod sit actio, non tamen habet, quod sit passio, neque quod sit motus.

3-1. Neque contra hoc est id, quod cum Arist. supra docuimus, scilicet, actionem in ista materiali acceptance esse idem realiter tam cum passione, quã cum motu. Quod videtur non posse compati cum separatione reali tam à passione, quã à motu. Nam respondetur, prædictam doctrinam esse intelligendam de actione materialiter sumpta, quæ recipitur in aliquo subiecto, & simul est cum passione, & motu: nõ secus ac, cum dicimus formalitatem a-

nimalis esse idem realiter cum formalitate rationalis, sermo est de formalitate animalis, quæ reperitur in homine, & simul est cum formalitate rationalis; non verò de formalitate animalis, quæ in equo reperitur, & nõ est simul cum formalitate rationalis; sed cum formalitate animalis.

3-2. Nec similiter est cõtra hoc id, quod docuimus in Logica disp. vnic. de sex vltimis prædicamentis q. 2. sect. 1. cum Gilberto Porretano, scilicet esse proprietatem actionis infere passionem, id est, quod posita actione necessario ponatur passio (vt ibi explicabamus.) Respondetur enim, illã esse proprietatem actionis, sumpta actione pro relatione extrinsecus adueniente transmutantis ad transmutatũ, quæ est, quæ constituit quintum prædicamentum; non verò actionis materialiter sumptæ, & proprie rei, quatenus est actus actui: quæ est actio, de qua nunc loquimur.

## DISPUTATIO SECVNDA.

### De infinito.

**D**E infinito quatuor sunt examinanda. Primum: *Quid? & quotuplex sit?* Secundum: *Qualiter intelligenda veniant aliqua conditiones infiniti?* Tertium: *Vtrum detur de facto? vel saltem per vires nature possit dari infinitum?* Quartum: *Vtrum de potentia Dei absoluta dari possit infinitum in actu, tam secundum extensionem continuam, quã discretam?*

## QVÆSTIO PRIMA.

### Quid? & quotuplex sit infinitum.

**P**Lures sunt acceptiones infiniti, vt constat ex Arist. in hoc libro text. 34. Primò dicitur infinitum, quod non potest pertransiri, eo quod nullã habeat molem; vt punctum. Sed hæc acceptio est nimis impropria: quinimò punctum propriè nec dicitur infinitum, neque infinitum, quia non est quantũ, vt notauit Arist. text. 24. in 2. Physic. 2. Secundò dicitur infinitũ, quod vix potest pertransiri, id est, non nisi cum magno labore: in qua acceptance via longa nimis, dici solet infinita: & similiter copiosa aliqua multitudo. Tertio dicitur infinitũ, quod etsi natura sua sit pertransibile, tamen nos propter impedimentum extrinsecum, vel imbecillitatem nostrã non possumus pertransire: in qua acceptance profunditas maris dici solet infinita. Sed etiam hæc acceptance infiniti sunt improprie; nã via longa: copiosa multitudo, & profunditas maris proprie finita sunt.

3. Quarto dicitur infinitum; quod habet transitum inconsummabilẽ, id est, in quo semper potest ulterius progredi, & nunquam peruenitur ad finẽ. Et hæc est propria huius nominis acceptio. Vnde optimè aduertunt aliqui expolitores,

quod etsi nomen *infinitum* in hac propria acceptance sumptum, quoad modum significandi dicatur negatiuè (infinitum enim quoad modum significandi idem valet, ac non finitum; seu carens fine) tamen quoad rem significatam verè denotat aliquid positium, sicut alia sunt similia nomina, vt irrationale, incorruptibile, imensum, &c. In præsentia ergo quæstione sermo solum est de infinito in hac vltima, & propria acceptance sumpto.

4. Infinitum ergo in hac propria acceptance sumptum sic antiqui definiebant (vt refert Arist. text. 62. huius libri.) *Infinitum est, cuius nihil est extra.* Quã definitionem ex professo impugnat Arist. à text. 63. & in illius impugnatione tria docet. Primum est, hæc definitionem competere toti, seu perfectò. Secundum est, hanc definitionem esse propriam finiti, infinitoque repugnare. Tertium est (& habetur text. 66.) infinitum potius habere rationem partis, quã totius.

5. Posset tamen alicui videri, non esse bene concinnata ea, quæ Philosophus in huius definitionis impugnatione edocet: nã licet totũ, seu perfectũ benè definiatur, cuius nihil est extra; id est, cui nihil deest co-

rum, quæ ad eius integritatem spectant: tamen hinc solum debuit inferre Arist. hanc definitionem non esse propriam infiniti, siquidem convenit etiam finito, quod est quid totum, & perfectum: non verò esse propriam finiti: repugnareque infinito: & insuper infinitum potius habere rationem partis, quam totius; siquidem infinitum in se tale est, ut nihil eius sit extra: est etiam infinitum in se quoddam totum, & perfectum, & insuper non est pars; sed cõstas partibus infinitis: quo modo omnes locuntur, & ita sanè loqui oportet.

6 Propter hæc dicendum est, verba illa definitionis antiquorum (*cuius nihil est extra*) sic Aristotelem intellexisse, infinitum est quod post determinatum, quid acceptum nihil restat accipiendum. Et in hoc sensu optimè docuit, definitionem hæc esse propriam finiti, & repugnare infinito: de cuius ratione (ut infra dicam) est, quòd semper aliquid sit extra; id est, quòd quantuncumque portionem determinatam de ipso accipiamus, semper extra hanc restet amplius, & amplius accipiendum. Et consequenter nominet totius, seu perfecti intellexisse Arist. id, quod per determinatam acceptionem partium penitus potest absolui. Quo pacto optimè etiã docuit, infinitum non esse totum, quid seu perfectum. Addidisse

verò infinitum potius habere rationem partis, seu in infinito cerni magis rationem partis respectu nostræ acceptionis; quia in infinito semper accipimus partes, & partes: & nunquam totum.

7 Sed quamvis hæc rectè dicta sint, & iuxta mentem Arist. tamen negari nequit, posse verba diffinitionis antiquorum in sensu alio propiori, & fortasse magis ad ipsorum mentem explicari; nimirum, ita ut *cuius nihil est extra* non sit idem, ac cui nihil deest eorum, quæ ad eius spectant integritatem; sed idem ac extra quod nihil penitus remaneat in illo gradu, & ordine: v. g. magnitudinem infinitam esse, extra quam non reperiatur alia magnitudo: infinitos homines esse, extra quos nullus alius homo reperiatur. Et si in hoc sensu verba definitionis infiniti traditæ ab antiquis accipiantur, nõ solum est certum, prædictam definitionem non competere finito, etiam quod est totum, & perfectum; sed dubitari potest, an infinitum dicat tantam amplitudinem, ut illo dato nihil remaneat extra illud in illo gradu, & ordine. De quo quæstione sequenti.

8 Alio modo definiuit Arist. eodem textu 62. infinitum in hac quarta, & propria acceptione sumptum, nimirum, infinitum est, *cuius semper est aliquid extra*. Quæ definitio, cum tra-

tradatur ab Arist. ut opposita definitioni, quam de infinito tradiderunt antiqui, non est intelligenda in sensu illo secundo, in quo num. 7. dicebamus posse intelligi verba definitionis antiquorum, ita quod faciat hunc sensum, infinitum esse id, quod non includit omnem id, quod est in illo gradu, & genere, in quo est ipsum infinitum, v. g. magnitudinem infinitam esse, quæ non includit omnem magnitudinem: & numerum infinitum hominũ esse, qui non includit omnes homines: sic enim intellecta definitio Arist. esset nimis absurda. Sed intelligenda est in illo primo sensu, in quo num. 6. dicebamus, intellexisse Arist. verba definitionis antiquorũ; ita quòd faciat hunc sensum, infinitum est, *cuius partibus quibuscumque acceptis, semper restant alia, & alia accipienda*. In quo sensu definitio Aristotelica optima est: & aptè nobis explicat naturam infiniti: etenim in linea finita octo palmorum post acceptos octo palmos nihil restat accipiendum: at in linea infinita acceptis & octo, & ceterum, & mille palmis, & quavis maxima portione, semper restat multo plus accipiendum.

9 Circa secundum, quod inquitur quæstio; dicendum est, infinitum primò dividi in infinitum per essentiam, & in infinitum per participationem. Infinitum per essentiam dici-

tur illud, quod est tale simpliciter, & in omni genere: & sic non solum includit omnem perfectionem possibilem, vel actu, & formaliter (si perfectio sit simpliciter simplex, id est, in sua ratione formali nullã imperfectionem includens) vel virtualiter, & eminenter (si perfectio non sit simpliciter simplex, id est, in sua ratione formali aliquam imperfectionem includens) sed etiam excludit à se omnes imperfectiones: quales sunt compositio, potentialitas, & dependentia ab alio in aliquo genere causæ. Huiusmodi infinitum solum est Deus. Infinitum per participationem appellatur illud, quod solum est rationale secundum quid, & in aliquo determinato genere; & sic non solum non includit in se omnem perfectionem; sed etiam admittere potest plures imperfectiones; ut sunt compositio, potentialitas, & dependentia ab aliquo in aliquo genere causæ. Huiusmodi infinita sunt omnia infinita creata, quæ dantur, vel saltem potentia Dei dari possunt.

10 Rursum infinitum per participationem, seu secundum quid, & in aliquo determinato genere dividitur ab Arist. cap. 7. huius libri in infinitum in actu, quod appellari solet infinitum, Categoriè, & quòd absolute, & sine addito de ipso verificatur, quòd sit infinitum, & in infinitum in po-

rentia, quod etiam appellari solet infinitum sine categoria, mathematicè, eo quod non absolute de ipso verificatur, quod sit infinitum, sed cum addito diminutive, scilicet in potentia. Infinitum in actu dicitur, cuius partibus quibuscumque acceptis semper restant in actu alia, & alia accipiendæ. Infinitum verò in potentia appellatur, cuius partibus quibuscumque acceptis semper restant in potentia alia, & alia accipiendæ.

1.1. Demum tam infinitum in actu, quam infinitum in potentia subdividi solet in infinitum secundum intensiorem, & in infinitum secundum extensionem. Infinitum secundum intensiorem dicitur illud, quod in latitudine qualitativa habet infinitatem. Infinitum verò secundum extensionem, quod habet infinitatem secundum latitudinem quantitativam. Quod subdividi potest (non secus ac ipsa latitudo quantitativa) in infinitum secundum extensionem discretam, quale est multitudine infinita; & in infinitum secundum extensionem continuam. Quod adhuc subdividi potest secundum extensionem continuam permanentem; ut sunt infinita secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; & in infinitum secundum extensionem continuam successivam; ut sunt infinita secundum tempus, & durationem.

## QVÆSTIO II.

Qualiter intelligenda veniunt aliquæ conditiones infiniti?

1. AD exactam intelligentiam naturæ infiniti maximè necessarium erit, ut explicemus, qualiter intelligenda sint aliquæ conditiones, quæ ipsi attribuuntur, & ut in plurimum consistunt in negatione quarundam affectionum, quæ ex opposito conveniunt finito.
2. Primò dicitur, infinitum mensurari non posse. Hæc conditio intelligenda est de mensuratione, quæ fiat per mensuram finitam, & determinatam: per hanc enim non possumus certificari de quantitate infiniti, quia, quantumcumque successivè repetatur, non potest absolvi quantitas infiniti. Tamen per mensuram infinitam, & indeterminatam bene potest mensurari infinitum: nã si daretur vna quantitas infinita, & illi comparata altera quantitas eiusdem rationis, inveniatur illi proportionata, per priorem quantitatem certificaremur de magnitudine quantitatis posterioris, scilicet, quod esset infinita: sic data infinitate generationum humanarum in se sentent. Arist. de eternitate mundi certificaremur, quod infinita essent animæ rationales. Aliæque huiusmodi considerationes fieri solent.
3. Secundò dicitur, infinitum non posse numerari, seu esse

in-

innumerabile: quod non solum de infinito discreto; sed etiam de continuo ratione finarum partium potest optime intelligi. Et ratio est clara; quia illud numeratur, in quo ita eius unitates per mentem, seu intellectum, ordinamus, ut incipiendo à prima ad ultimam perveniamus; quod infinito planè repugnat. Unde Aristot. text. 41. hinc probat, non posse dari infinitum secundum numerum, nimirum, quia numerus potest numerari: infinitum autem non potest numerari, seu est innumerabile. Quæ ratio an sit efficax ad excludendum infinitum, secundum multitudinem; an solum apparens? expendemus quæstione ultima numero 38.

4. Tertiò dicitur infinitum ignotum; id est, non posse perfecte, & adæquatè cognosci. Ita loquitur Aristot. tom. I. Physicor. text. 35. quam in hoc lib. text. 65. Quod intelligendum est de cognitione successiva, & quæ fiat per partes determinatas: sic enim ita implicat, infinitum adæquatè cognosci, ac implicat adæquatè pertransiri, numerari, & mensurari mensura finita, & determinata: cum illi, qui successivè, & per partes determinatas infinitum cognosceret, semper remaneret, plus accipiendum, seu cognoscen-

dum; immo semper remaneret infinitum. Tamen totum infinitum simul, & per modum unius bene potest cognosci. Imò quod hoc pacto de facto à Deo non solum cognoscatur; sed etiam comprehendatur, nullus catholicorum potest dubitare: sic enim Deus se ipsum comprehendit; & tamen est infinitus per essentiam: & per scientiam (quam Theologi simplicis intelligentiæ appellant) cognoscit, & comprehendit uniuersa possible, quæ actu sunt infinita: & per scientiam (quam Theologi appellant visionis) cognoscit, & comprehendit hominum cogitationes, nec non, & Angelorum; quæ secundum omnes non cessabunt in die iudicii; sed futuræ sunt in infinitum. Quæ cogitationes & si non sint extituras simul; sed successivè; & ideo consideratæ secundum suam realem existentiam, non dicantur actu infinitæ; sed infinitæ in potentia; tamen, si considerentur, ut habent esse obiectivam in scientia visionis Dei, omnes sunt simul, & consequenter, ut sic debent infinitæ, non in potentia; sed in actu nuncupari.

5. Sed duo supersunt dubia. Primum est, an infinito aliquid possit addi, vel detrahi? Respondeo, quod infinito continuo nihil potest addi, aut subtrahi qua parte infinitum est;

est;

est; benè tamen, qua parte est finitum: v. gr. si esset linea hinc incipiens, & tendens in infinitum, nō posset illi aliquid addi, vel detrahi ea parte, qua infinita est, quia id planè esset terminus, & finis ipsius lineæ; benè tamē posset aliquid addi, vel detrahi ex hac parte, qua finita est. Si autem esset linea vtrimque infinita, posset aliquid de medio auferri, vel addi, sed nō aliter. Infinito autem discreto, vt est infinitum, secundū multitudinem, etsi non possint addi, vel detrahi ab ipso aliqua vnitates, quæ sint primæ, vel vltimæ in illa multitudine; quia in multitudine infinita implicat assignare primam, vel vltimam vnitatem; possent tamē addi, aut detrahi plures vnitates absq; prædicto ordine primæ, & vltimæ: nam non potest esse dubium, quòd data infinita Angelorū multitudine, posset Deus decem, aut ceterum, aut mille, aut quamcumque aliam multitudinem finitam ex illis Angelis annihilare, & iterum producere, seu ipsam reproducere, & hoc salva manente infinitate illius multitudinis Angelorum. Vndè commune fert axioma. *Si ab infinito finita tollas, semper remanet infinitum.* Et ratio est, quia alias solum constaret illa infinita multitudo Angelorum, ex illa finita Angelorū multitudine, quæ ablata est, & ex illa, quæ remanet, quod est contra rationem

multitudinis infinitæ.

6 Secundum dubium est, an vnum infinitum possit esse maius alio? & procedit dubium facta comparatione inter infinita eiusdem rationis, v. grat. inter duas multitudines infinitas; inter duas superficies infinitas, & c. nam hac solum ratione potest ritè fieri talis cōparatio.

7 Partem affirmatiuam videntur sequi aliqui Auctores, D. Thom. 3. part. quæst. 10. artic. 3. ibidem Caëtan. & Ferrara 3. contra gentes, cap. 57. Masius 3. Physic. cap. 8. sect. 1. Valentia 1. part. quæst. 7. de Deo, puncto 3. Et probari solet aliquibus instantijs. Nam, si daretur infinitum secundum multitudinem, in illa multitudine esset infinita multitudo numerorum parium; & similiter esset infinita multitudo numerorum imparium, & tamen in multitudine illa conflata ex numeris paribus, & imparibus essent plures numeri, quàm in multitudine infinita conflata ex solis numeris paribus. Item si Deus produceret infinitam hominum multitudinem, tunc non solum essent infiniti homines, sed etiam essent infiniti eorum capilli, & tamen in multitudine infinita capillorum essent plures capilli, ac essent homines in multitudine infinita hominum. Et demum in sententia Aristot. de æternitate mundi non solum essent infiniti anni, sed

sed etiam essent infiniti dies, infinitæque horæ; & tamen in multitudine infinita horarum plures essent horæ, quàm in multitudine infinita dierum essent dies, & in multitudine infinita dierum plures essent dies, quàm essent anni in multitudine infinita annorum.

8 Sed pars negatiua (scilicet, vnum infinitum non posse esse maius, vel minus alio) est verior, magisque apud Auctores recepta. Ita Scotus in 2. distinct. 1. quæst. 3. §. *Tenentes*, versiculo, *Ad vltimum*, Licheus quod lib. 5. Maironius in 1. distinct. 43. quæst. 10. Gregorius ibidem, dist. 44. quæst. 4. art. 2. Basolius in 2. distinct. 1. quæst. 5. Imò videtur, D. Thom. tam loco supra citato, quàm 1. 2. quæst. 34. art. 3. ad 2. & in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 3. ad 1. & Ferrariensis 1. contra gentes, cap. 69. Durandi in 1. dist. 19. quæst. 1. Gabrielis in 2. dist. 1. quæst. 3. Ex quibus plures cum Scoto aduertunt, æqualitatem etiam esse affectionem propriam quantitatis finitæ, & vnum infinitum nō esse æquale alteri positiuè, & veluti per commensurationem, sed solum posse dici æquale negatiuè per negationem excessus, & defectus.

9 Et fundamentum est, quia ad rationem maioris pertinet excessus; ad rationem minoris defectus, & ad rationem æqualis commensuratio, & propor-

tio, quæ omnia in extremis finitatem, & determinationem necessariò includūt. Vndè optime annotauit Scotus loco citato, quantitatem primò diuidi infinitam, & infinitam; & rursus quãtitatem finitam subdividi in maiorem, & minorè; æqualem, & inæqualem, relicta omninò extra huiusmodi affectiones quantitatis infinita; quæ sicut caret termino, ita & fundamento requisito ad hoc, vt alteri simili quantitati comparata maior, vel minor; æqualis, vel inæqualis esse possit; nã solum vna quantitas dicitur maior altera, quando excedit terminum alterius, & minor, quando terminum alterius nō attingit, & æqualis, quando termini vtriusque ita proportionantur, vt vnus, neque excedat, neque excedatur ab altero, & inæqualis, quando termini vtriusque, non habent istam proportionem.

10 Ad instantias, quibus opposita suscebat sententia, respondetur, falsum esse id, quod in ipsis præsupponitur, scilicet, in multitudine infinita conflata, ex infinitis numeris paribus, & imparibus esse plures numeros, quàm in multitudine infinita conflata, ex solis numeris paribus: licet enim in priori multitudine sint aliqui numeri, qui non sunt in posteriori; non ideo, dicendum est, in priori multitudine esse plures numeros, quàm in posteriori;

cum

cū vtraque multitudo habeat numeros, sine termino, & sine fine: & vbi non est terminus, nec finis, nec maiōritas, nec minoritas, nec excessus, nec defectus esse potest. Et similiter in casu, quod Deus produceret infinitos homines, in multitudine infinita capillorum non essent plures capilli, quā essent homines in multitudine infinita hominum. Et denum in casu, quod mundus fuisset ab æterno (vt putauit Arist.) in multitudine infinita dierū non essent plures dies, quā essent anni in multitudine infinita annorum: neque in multitudine infinita horarum essent plures horæ, quā essent dies in multitudine infinita dierum. Quod si hæc doctrina aliquos in nauisam prouocat, id prouenit, quia falsa ducuntur imaginatione apprehedentes infinitum (de cuius ratione est nō habere terminum, aut finem) ac si esset finitum cum termino, & sine, ratione cuius possit excedere, vel excedi ab alio finito.

11 Est autem aduertendum, quod, & si vnum infinitum nō possit esse maius, aut minus alio; neque æquale, vel inæquale alteri; quia huiusmodi affectiones (vt dictum est) solum competere possunt quantitibus finitis: tamen contingere potest, vt partes, ex quibus vnū infinitum coalescit, si seorsim ad partes ex quibus coalescit

aliud infinitum, comparentur, sint maiores, vel minores: vt exemplificari potest in multitudine infinita cētenariorum, & multitudine infinita binariorum, & similiter in multitudine infinita montium, & multitudine infinita formicarum; vbi centenarius maior est binario, & mons maior formica. Tamen caue, ne inde inferas cum Auctoribus prioris sententiæ, multitudinem infinitam constatam ex centenariis esse maiorem, seu includere plures vnitates, quam multitudinem infinitam constatam ex binariis, aut multitudinem infinitam constatam ex montibus includere maiorem molem, seu occupare maius spacium, quā multitudinem infinitam constatam ex formicis: nam, si centenarius dicitur includere plures vnitates, quā binarius; & mons dicitur habere maiorem molem, seu occupare maius spacium, quam formica, hoc est, quia tam cētenarius, quā binarius, tam mons, quā formica sunt, seu habent finitam, & determinatam quantitatem: cuius oppositum cōtingit in infinita multitudine centenariorum, binariorum, montium, & formicarum.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

*Vtrum de facto, vel saltem per vires naturæ dari possit infinitum?*

1 NON est sermo de infinito per essentiam; nam de hoc duo sunt certa. Primum est dari actu in rebus aliquod infinitum ex his, scilicet, Deum. Secundum est, præter Deum, nullum aliud ex his infinitis dari; imò neque per vllam virtutē dari posse: aliās darentur in rebus duo Dij, vel saltem dari possent, quod est manifestus error in fide. Sequela patet; nam conditiones, quas ad hoc infinitum q. 1. n. 9. exigebamus, soli Deo possunt competere.

2 Neque etiam est sermo de infinito per participationem secundum intensionem; nam ex dictis 1. lib. disput. 5. quæst. 6. à num. 27. vsque ad finem quæstionis constat, qualitates creatas secundum intensionem naturæ suæ exposcere terminum intrinsecum: & consequenter non solum non dari de facto qualitates infinite intensas; sed neque posse per vllam potentiam intendi in infinitum. Quod est idem, ac asserere, qualitates secundum intensionem, non solum non esse infinitas actu; sed neque esse infinitas in potentia.

3 Solum igitur est sermo de

infinito per participationem secundum extensionem. Et adhuc non de omni, sed solum de infinito secundum extensionem discretam, & secundum extensionem continuam permanentem; nam de infinito secundum extensionem successiuam agemus cum Aristot. 8. lib. huius operis inquirendo, *an mundus fuerit ab æterno?* & consequenter, *an detur infinitum secundum tempus?*

4 Aristot. non solum hic, sed etiam 1. de cœlo refert sententiam veterum Philosophorum, qui non solum dicebant, per vires naturæ dari posse infinitum in actu, tam secundum extensionem continuam permanentem, quā secundum extensionem discretam; sed etiam affirmabant, de facto dari. Et ferè hi omnes posuerunt hoc infinitum, tanquam primum rerum principium: diuerso tamen modo; Nam Thales, & alij, qui elementum aliquod, vel plurium collectionem fecerunt primū rerum principium; dixerunt, hoc principium esse actu infinitum secundum extensionem continuam permanentem. Democritus, & alij, qui res constituebant per atomos, affirmabant, hos atomos esse infinitos secundum extensionem discretam.

5 Et omissis rationibus, quibus isti Philosophi probabant, dari infinitum in actu, ( quia

omnes procedunt ex falsa sup-  
positione, scilicet, hæc infini-  
ta esse primum rerum princi-  
pium) probari potest dari in  
rerum natura infinitum in actu,  
vel secundum extensionem  
continuum permanentem, vel  
secundum extensionem dis-  
cretam; ex quibusdam peri-  
poreticis principijs. Primo, ex  
Aristot. cap. 4. huius libri fini-  
tum, vel infinitum sunt pro-  
prietates quantitatis: ergo, ne  
aliqua pars huius disiuncti va-  
cet. vtraque quantitate conue-  
nit: ac per consequens dabitur  
de facto aliqua quantitas infi-  
nita; sicuti datur aliqua quan-  
titas, quæ sit finita.

6 Secundo, in quolibet con-  
tinuo sunt actu infinitæ partes  
proportionales; & similiter  
infinita indiuisibilia, quibus  
copulantur. Aliàs non esset di-  
uisibile in semper diuisibilia.  
Sed de facto dantur in rerum  
natura plura continua: ergo  
etiam dantur actu plura infini-  
ta. saltem secundum multitu-  
dinem, seu numerum.

7 Tertiò, in sententia Ari-  
stot. de æternitate mundi, ne-  
cessariò fatendum est, gene-  
rationes hominum fuisse infi-  
nitas: ergo, cum animæ homi-  
num, secundum fidem, sint  
immortales, infertur necessa-  
riò ex hoc Aristotelico prin-  
cipio, nunc actu existere ani-  
mas hominum in multitudine  
infinita.

8 His non obstantibus, te-

nenda est sententia, quam  
Aristot. tum lib. isto à tex. 40.  
vsque ad 56. tum etiam 1. de  
cælo cap. 5. à tex. 33. vsque  
ad 76. statuit contra hos Phi-  
losophos antiquos, quam om-  
nes eius interpretes sequuntur,  
videlicet, dari quidem de fa-  
cto secundum extensionem,  
tam continuum, quam discre-  
tam infinitum in potentia; nõ  
verò dari infinitum in actu;  
imò neque per vires naturæ  
dari posse.

9 Priorem partem huius as-  
serti probare possumus (quan-  
tum attinet ad extensionem  
continuum permanentem) in  
quacumque magnitudine re-  
rum animatarum, quæ, cum  
non habeant terminum in-  
trinsecum sui augmenti (vt ex  
libro 1. disput. 5. quæst. 6. con-  
stat) sequitur, quod sit infinita  
in potentia secundum prædi-  
ctam magnitudinem: liqui-  
dem in illa non poterit affig-  
nari pars ita magna, quin pos-  
sit dari alia maior, & maior  
vsque in infinitum. Et (quan-  
tum attinet ad extensionem  
discretam) in numero cogita-  
tionum hominum, & Ange-  
lorum, quæ futuræ sunt in in-  
finitum; & consequenter nu-  
merus earum est infinitus in  
potentia; cum non possint af-  
signari tot cogitationes ho-  
minum, & Angelorum, quin  
possint dari, imò dandæ sunt  
plures, & plures aliæ in infini-  
tum.

10 Posteriorem partem (sci-  
licet, de facto non dari; imò  
neque per vires naturæ dari  
posse infinitum in actu, tam  
secundum extensionem con-  
tinuum, quam discretam) pro-  
bare possumus. Nam in pri-  
mis, quòd de facto non de-  
tur, colligitur ex illo Sapientia  
11. *Omnia in mensura, & nu-  
mero, & pondere fecisti.* Infini-  
tum enim in actu non habet  
mensuram, numerum; nec  
certam determinationem, quæ  
per ly *pondere* potest intelligi.  
Et comprobatur experientia,  
qua experimur, nec dari ali-  
quam magnitudinem, quæ  
non sit certis terminis defini-  
ta; nec etiam extare infini-  
tas rerum species, nec in ali-  
qua specie infinita indiuidua.  
Deinde, quòd etiam dari non  
possit per vires naturæ, com-  
probat ipsa limitata virtus re-  
rum naturalium: licet enim  
detur infinitum in potentia,  
tam secundum extensionem  
continuum permanentem, quàm  
secundum extensionem dis-  
cretam; (vt nuper compro-  
bauimus) tamen ad hoc, vt  
hæc infinita in potentia ad  
actum reducantur, non suffi-  
cit virtus limitata, & finita;  
qualis est in rebus naturalibus,  
sed requiritur virtus illimi-  
tata, & infinita; aliàs, effe-  
ctus excederet virtutem suæ  
causæ.

11 Ad primum argumen-

tum respondetur ex Scoto 2.  
Metaphys. quæstione 6. illud  
dictum Aristot. (*in finitum, vel in-  
finitum sunt proprietates quanti-  
tatis*) esse intelligendum de  
finito in actu, & de infinito  
in potentia; & insuper præ-  
dicta verba non esse diuin-  
ctiue, sed copulatiue sumen-  
da; ita vt sensus illorum ver-  
borum sit, proprietatem quan-  
tatis esse finitam actu, & in-  
finitam in potentia. Et in hoc  
sensu constat ex dictis, vtrum-  
que membrum competere quæ-  
titati, tam continuæ, quam  
discretæ.

12 Pro solutione secundi ar-  
gumenti est aduertendum, ea  
omnia, quæ constituunt essen-  
tialiter aliquod ens per se, ef-  
se (dum illud actualiter con-  
stituunt) vnum ens actu, &  
simpliciter; plura autem in  
potentia, & secundum quid.  
Cuius ratio est, quia illud so-  
lum dicitur vnum ens actu,  
& simpliciter, quòd habet ef-  
se indiuisum in se, & diui-  
sum à quocumque alio. Ea  
autem omnia, quæ essentia-  
liter constituunt aliquod ens  
per se, non habent esse inter  
se diuisum, sed potius con-  
iunctum, & vnum tertium  
constituens. Arque hinc pro-  
uenit, vt anima, & corpus  
Socratis, dum actu constituunt  
Socratem, non dicantur esse  
plura entia actu, & simpli-  
citer, sed potius actu, & sim-  
plici-



pliciter dicantur esse vnum ens, Socrates, scilicet, solum enim sunt, & possunt appellari plura in potentia, & secundum quid; eo quod possunt ad inuicem separari, & desinere constituere Socratem. Et similiter hinc fit, vt duæ medietates integrantes tabulam non dicantur actu, & simpliciter duæ tabulæ, sed vnæ; plures verò in potentia, & secundum quid, scilicet, in quantum possibile est, quod discontinuentur, & sint plures tabulæ.

13 Hoc supposito, ad secundum argumentum respondetur, in quolibet continuo esse quidem partes proportionales, & indiuisibilia, quibus copulantur infinita in potentia, & secundum quid, non verò actu, & simpliciter. Et ratio est, quia ex partibus proportionalibus, tanquam ex materia, & ex indiuisibilibus, tanquam ex forma, essentialiter componitur continuuum, & fit vnum per se, ac per consequens, neque partes proportionales, neque indiuisibilia, quibus copulantur existunt in continuo, vt actu, & simpliciter plura; sed vt actu, & simpliciter vnum, & infinita in potentia, & secundum quid.

14 Quod si aliquis obieciat. Partes proportionales, & indiuisibilia actu, & formaliter

sunt in continuo: ergo perpetuam dicimus, partes proportionales, & indiuisibilia in continuo non esse actu, & simpliciter infinita. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam ad hoc, vt aliqua dicantur secundum numerum, seu quantitatem discretam esse infinita actu, & simpliciter, non sufficit, quod actu, & formaliter sint in aliquo, imò neque sufficit, quod prout sunt in illo, actu, & realiter distinguantur inter se, vt ex professio ostendam 6. libro, disputatione 1. questione 1. sed etiam est necessarium, quod actu sint disiuncta, & diuisa inter se; quia (vt dictum est) vnitates, ex quibus componitur numerus, seu quantitas discreta, pro formali dicunt in diuisionem in se, & diuisionem à quocumque alio.

15 Dices: etsi hoc argumentum non conuincat, dari in continuo infinitum secundum numerum, seu quantitatem discretam, quod actu, & simpliciter sit tale, sed solum quod sit tale in potentia, & secundum quid: conuincere tamen dari de facto infinitum secundum magnitudinem, seu extensionem continuam permanentem: siquidē impossibile videtur, quod aliquid sit diuisibile in infinitas partes extensionis, seu quod idem est,

est, quod in potentia contineat numerum infinitarum partium extensionis, & quod ipsum secundum extensionem non sit actu, & simpliciter infinitum.

16 Respondetur nihilominus. Et ratio est, quia, ad infinitum, quod actu, & simpliciter sit tale secundum magnitudinem, seu extensionem continuam permanentem, non sufficit, quod sit diuisibile in infinitas partes extensionis permanentis, sed etiam est necessarium, quod istæ partes extensionis sint æquales vni certæ, & non communicantes inter se, quod in continuo non contingit; nam infinitæ partes proportionales extensionis, in quas est diuisibile, non sunt æquales vni certæ, cum semper sint minores, & minores: & licet in ipso possint assignari per intellectum infinite partes æquales vni certæ, v. gr. in continuo duorum cubitorum tres cubitos inuenies, si secundam medietatem primi primæ medietati secundi copulaueris; & quatuor erunt, si quartam partem primi tribus partibus secundi coaptaueris; & sic in infinitum: tamen istæ partes infinitæ æquales vni certæ, quæ in ipso per intellectum assignari possunt, non sunt non communicantes inter se, sed potius sunt inter se communicantes.

17 Ad tertium respondetur, ex illo principio Aristotelico de æternitate mundi necessario inferri id, quod contendit argumentum, scilicet, non solum præterisse infinitas generationes hominum; sed etiã nunc actu existere infinitam multitudinem animarum. Tamen illud principium Aristotelicum non solum esse falsum, sed etiam esse erroneum: cum Fides doceat, cuncta Deum in principio temporis creasse. Sed quo pacto (quæso) Principem philosophiæ ab implicatione in dictis liberabimus? qui ex vna parte ponit, nullum dari infinitum in actu, & ex alia fatetur, mundum fuisse ab æterno. Ex quo principio (vt dicebamus) non solum necessario infertur, infinitas hominum generationes præterisse; sed etiam, supposita veritate de immortalitate animarum, necessario conuincitur, nunc de facto existere infinitam animarum multitudinem.

18 Respondent aliqui, Aristotelem non implicasse in dictis; quia, quando asseruit, non dari infinitum in actu, solum locutus est de infinito in actu rerum permanentium; non verò de infinito in actu rerum successiuarum; vt sunt generationes hominum, & aliorum entium corruptibilium. Neque ex eo,

quòd generationes hominum fuerint in sententia Arist. infinitæ, colligi debet, (inquiunt isti) quòd ex mente Arist. etiam nunc actu existat infinita animarum multitudo; quia Arist. vel non cognouit immortalitatem animæ rationalis: vel, si cognouit existimauit cū Pitagora, easdem animas (numero finitas) de quibusdam corporibus egressas rursus, ac sæpius alia corpora informaturas.

**19** Sed quia verius est id, quod plures existimant, scilicet, Aristotelem immortalitatem animæ rationalis agnouisse; & incredibile apparet, philosophiæ Principem ad Pitagoricas fabulas cōfugisse; magis placet, quod alij respondent, scilicet, Arist. non implicasse in dictis; quia, quando asseruit, non dari infinita in actu, solum locutus est de infinito in actu rerum permanentiū corporaliū: ac per consequens non esse contra istud assertum id, quod ex illo Aristotelico principio de æternitate mundi inferebamus, scilicet, non solum esse fatendum in hoc principio, infinitas hominum generationes præterisse; sed etiam nunc de facto simul existere infinitam animarum rationalium multitudinē. Porro Aristotelem solum negasse infinitum in actu rerum corporaliū permanentium, non verò infinitum in actu rerum

successiuarum & similiter rerum permanentium spiritualiū, non solum indicat D. Tho. 2. contra gentes cap. 81. sed etiam colligitur ex tex. 39. & 75. huius libri.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum de potentia absoluta dari possit infinitum in actu, tam secundum extensionem continuam, quam discretam?*

**1** Statuimus in præcedenti quæstione, secundum extensionem permanentem, tam continuam, quam discretam dari infinitum in potentia de facto in rerum natura, non tamen dari infinitum in actu, imò neque per vires naturæ dari posse: restat explicandum, an saltem virtute diuina, & potentia Dei absoluta dari possit infinitum in actu secundum istas duas extensiones?

**2** Partem negatiuam (scilicet secundum extensionem permanentem, tam continuam, quam discretam, non posse dari infinitum in actu, adhuc virtute diuina, & potentia absoluta Dei) tenent, quam plures auctores, D. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. & 4. quem ferè omnes discipuli sequuntur, quos recensere molestum esset. D. Bonauentura in 1. d. 43. art. 1. q. 3. Ricardus ibidem q. 5. & 6. Durand. q. 2. Aureolus art. 1. & 2. Ochamus quodl. 3. q. 5. Henricus quodlib. 1. q. 7. & 8.

3 Pro

**3** Pro hac sententia citant aliqui Scotum, tum in 2. d. 1. q. 3. tum in 3. d. 13. q. 4. sed immeritò; nam in hoc posteriori loco, solum docet, qualitatem secundum intensionem habere terminum intrinsecū, nec posse in infinitum intendi. Imò ex principijs, quæ ibi assumit ad hoc probandum, infra ostendam ex mente Scoti dari posse potentia Dei absoluta infinitum in actu secundum extensionem permanentem, tam continuam, quam discretam. In priori autem loco solum exagitat quæstionem illam, *vtrum mundus potuerit esse ab æterno?* & quamuis, §. *Contra istam positionem*. referat argumenta, quibus Henricus conatus est ostendere, implicare contradictionem dari infinitum in actu secundum extensionem successiuam: nihil tamen dicit in tota illa quæstione, ex quo colligi possit, implicare contradictionem dari infinitum in actu secundum extensionem permanentem; quæ est, de qua in præsentem est sermo.

**4** Minus potest citari pro hac sententia Aristoteles; nam iste eo præsertim docuit, non posse dari infinitum in actu in rebus permanentibus corporeis; quia existimauit, hanc rerum vniuersitatem, non voluntate Dei, sed necessariò ita ab æterno constituisse. Ex quo errore alium accumulauit, scilicet, aliud vniuersum esse nõ posse.

Hoc autem errore supposito ex his, quæ videmus, rectè colligit, non posse esse infinitum. Quod perinde est in eius sententia, atque probare, nunc actu non esse. Omnes enim rationes, quibus vtitur, tam hic cap. 5. quam 1. de Cælo cap. 5. & sequentibus, vel ex generatione, & nutritione, vel ex alijs, quæ experientia constat, desumptæ sunt. Ex quibus non licet inferre, absoluta Dei potentia infinitum fieri non posse ex mente Arist.

**5** Ad hanc sententiam probandam, quam plurimæ rationes adducuntur, quæ ad tres classes reduci possunt. In prima collocantur rationes, quæ procedunt contra quodcumque infinitum. In secunda rationes, quæ procedunt speciatim contra infinitum secundum magnitudinem, seu extensionem continuam permanentem. In tertia rationes, quæ procedunt speciatim contra infinitum secundum multitudinem, seu extensionem permanentem discretam.

**6** Contra quodcumque infinitum prima ratio est; quia, cū potentia Dei sit simpliciter infinita, implicabit vtrique finiri, seu exhauriri. Sed si Deus produceret aliquod infinitum in actu, potentia Dei finiretur, seu exhauriretur: nequit ergo absque implicatione aliquod infinitum in actu à Deo produci. Secunda, quidquid fit à Deo,

D4

cadit

cadit sub certam agentis intentionem. Sed implicat, quòd infinitum cadat sub certam agentis intentionem (aliàs haberet certam, & determinatam sphaeram) ergo & quòd à Deo producat. Tertia, dato infinito debent dari in eo infinitæ partes vel discretæ, si sit infinitum secundum extensionem discretam, vel continuæ, si sit infinitum secundum extensionem continuam. Tunc signata aliqua certa parte, inquiri, an detur quædam alia distans ab illa infinitè? si detur: ergo infinita distantia clausa duobus terminis. Si nō detur: ergo nulla distat ab alia infinitè: ergo omnes distāt finitè. ergo totum ex his collectum est finitum.

7 Contra infinitum secundum magnitudinem, seu extensionem continuam permanentem est prima ratio. Implicat, quòd idem sit simul mobile, & immobile. Sed, si daretur ens naturale habens infinitam extensionem continuam permanentem, hoc ens naturale esset simul mobile, & immobile secundum locum: ergo implicat, quòd detur. Minor probatur; nam illud ens naturale, eo ipso quòd esset naturale, constaret natura, & consequenter haberet in se principium passiuum motus: & insuper, ex eo, quòd haberet infinitam extensionem, implicaret illi motus, vt late

probat Arist. 1. de Cœlo, & ab omnibus admittitur.

8 Secunda ratio desumitur ex doctrina Euclidis libro 3. propositione 23. videlicet, omnes lineas rectas ductas à centro eiusdem circuli versus circumferentiam, quo ab eo longiori tractu dissident, eo à se ipsis longius distare. Ex hac enim doctrina sic conficitur argumentum. Si daretur corpus habens infinitam extensionem continuam permanentem, sequeretur, dari infinitum non infinitum: ergo implicat, quòd detur. Probo sequelam; nam, si à centro illius corporis extraheretur duæ lineæ rectæ versus circumferentiam, cum haberet illud corpus infinitam extensionem, absque dubio protraherentur illæ lineæ in infinitum: ergo ex doctrina Euclidis tradita etiam distarent inter se in infinitum, & consequenter daretur distantia infinita clausa duabus lineis, siue duobus extremis, quod est dare infinitum non infinitum, & manifesta repugnantia.

9 Tertia ratio. Si dari potest infinitum secundum extensionem permanentem, creet Deus virgam secundum longitudinem actu infinitam; & diuidat illam in duas partes; & ea parte, qua diuisa est, annihilat ex qualibet parte virgæ duos palmos; postea velit Deus, illas duas partes vir-

gæ reunire sine additione materiæ, sed eas mouendo ex vtraque parte. Tunc sic; illi virgæ, quæ ex reuisione illarum duarum partium resultaret, possent præfigi duo termini, inter quos claudatur: ergo dabitur infinitum clausum terminis, quod est implicatio. Assumptum probo; nam in reuisione necessariò deferret quælibet pars illius virgæ duos palmos spatij, quos antea occupabat: ergo tangendo vtriusque extremitatē versus illos palmos vacui, verum esset dicere, *hi sunt termini huius virgæ.*

10 Quarta ratio. Sit linea vtrinque infinita, scilicet, versus orientem, & versus occidentem; potest Deus absque dubio hanc diuidere in quolibet certo puncto; diuidat ergo in puncto A. & tunc lineam illam, quæ erat versus occidentem, ponat versus orientem. (Quod potest facere sine motu locali illam destruendo, & postea reproducendo) vel penetratam cum alia, quæ erat versus orientem, vel parallelam cum illa. Iuxta hunc casum peto, an in quocunque puncto fieret diuisio, semper vna linea esset æqualis alteri, ita ut qua parte finitæ sunt, inciperent semper ab eodem initio? vel potius vnum certum punctum sit, in quo, si fiat diuisio lineæ, sint æquales, in omni autem alio pun-

cto vna euaderet longior, altera breuior ea parte, qua finitæ sunt? Primum dici nō potest: quia, si post factam diuisionem in puncto A. vbi lineæ remanent æquales, auferatur palmus ab vna linea, & addatur alteri; hæc euaderet longior alia: ergo idem omnino fuisset, si antea diuisio facta esset in puncto B. per palmum distantem à puncto A. nihil enim refert, quòd talis variatio fiat postea, vel facta fuerit antea. Si dicatur secundum, id manifestè demonstrat, ambas eas lineas esse prorsus finitas, sicut sunt aliæ lineæ eductæ à centro ad circumferentiam circuli: siquidem punctum illud planè esset in rigore medium totius illius lineæ, quæ dicebatur, vtrinque infinita, & omne aliud punctum declinaret à medio, & vbi est medium, ibi planè sunt extrema; nam mediū dicitur, quod distat æqualiter ab extremis: ergo tota linea est simpliciter finita.

11 Quinta ratio Non potest creari materia, sine forma substantiali: ergo neque sine determinata magnitudine. Probatur consequentia: nam quælibet forma substantialis finita, & limitata sibi vendicat accidentia finita, & limitata: ex quibus vnum est quantitas, seu magnitudo. Et confirmatur; quia implicat dari actu minimum mag-

nitutinis: ergo & maximum, quale esset infinitum.

12 Contra infinitum secundum multitudinem, seu extensionem discretam permanentem primario ratio est. Omnis multitudo debet esse sub aliqua specie numeri. Sed nulla species numeri potest esse infinita; nam de ratione numeri est posse numerari; infinitum autem numerari non potest: ergo neque vlla multitudo poterit esse infinita.

13 Secunda ratio. Si infiniti homines conspirarent admitendum singulos lapides in aceruum, illi lapides essent infiniti: resumat vnusquisque suum lapidem, sequitur, aceruum exhaustum iri; quia tot lapides erunt ablati, quot fuerint coniuncti; & non exhaustum iri; quia infinitum non habet finem, neque consumitur ablatione finiti.

14 Tertia ratio. Data quadam multitudine infinita, oportet concedere posse illi aliquid addi, & similiter detrahi, salua manente infinitate illius (vt quæst. 2. n. 5. statuimus) & insuper negare oportet, per huiusmodi additionem, vel detractionem illam infinitam multitudinem fieri maiorem, vel minorem; nam (vt q. 2. nu. 8. docuimus) affectiones istæ maioris, & minoris quantitati infinitæ nullatenus possunt conuenire. Hæc autem duo inter se repugnant; nam intelligi nõ

potest, fieri additionem sine augmento, & detractionem sine diminutione; nam eo ipso quod multitudini aliquid additur, habet totum, quod antea, & aliquid amplius; & contra eo ipso quod ab aliqua multitudine aliquid auferitur, id quod auferitur, habet minus ab eo, quod antea habebat. Præterea totum est maius sua parte. Sed id, quod resultat ex infinita multitudine, & ex illo, quod additur, habet rationem totius; & infinita multitudo, & illud, quod additur, induunt rationem partium: ergo illud infinitum, quod resultat, erit maius illo infinito, ex quo, & ex illo, quod additur, resultat.

15 Quarta ratio. Si daretur vna multitudo infinita hominum, inquiram, quot hominum binarij, vel denarij, vel millenarij essent in illa vna hominum infinita multitudine? non potest responderi, quod essent finiti; alias tota illa multitudo esset finita, siquidem absoluisset per ablationem finitorum binariorum, vel denariorum, vel millenariorum: ergo fatendum erit necessarid, quod in illa vna infinita multitudine hominum essent infiniti binarij hominum, infiniti denarij, & infiniti millenarij. Ex quo tres implicationes sequuntur. Prima, quod illa infinita multitudo hominum esset vna, & non esset vna: esset vna, quia hoc

hoc supponimus; nõ esset vna, quia in ipsa essent plures infinitates, scilicet, infinita multitudo binariorum, denariorum, millenariorum, &c. Secunda, quod posset Deus ab illa infinita multitudine hominum auferre infinitos homines, relictis adhuc alijs hominibus infinitis; & quod non posset auferre infinitos homines relictis adhuc alijs hominibus infinitis. Posset auferre infinitos homines, relictis adhuc alijs hominibus infinitis; quia vbi sunt plura infinita, potest Deus vnus auferre relictis alijs: vt patet in casu, quod Deus crearet infinitos homines habentes binos oculos; posset enim Deus auferre infinitudinem oculorum relictâ infinitudine hominum: imò ex infinitudine oculorum posset auferre infinitudinem oculorum dextrorum relictâ infinitudine oculorum sinistrorum. Non posset auferre infinitos homines relictis adhuc alijs hominibus infinitis, quia hi, qui auferrentur, essent vtique illi infiniti homines, qui facti sunt, & haberent infinitos binarios, denarios, & millenarios. Tertia, quia posset Deus creare infinitos homines singulos habentes singulos numos aureos; & tamen si Deus auferret ab eis hos numos aureos, posset postea (nullis numis aureis de nouo additis) restituere cuiuslibet homini binos, & denos, & millenos numos au-

reos, quod implicationem inuoluit. Patet sequela; quia in illa infinita multitudine numerorum aureorum essent (vt asseritur) infiniti binarij, infiniti denarij, & infiniti millenarij. Et insuper confirmari potest; nam, si ex illa infinitudine numerorum aureorum non posset Deus restituere singulis hominibus, qui sunt in illa infinita hominum multitudine, binos, aut denos, aut millenos numos aureos, sequeretur, quod restituendo Deus singulis hominibus binos, aut denos, aut millenos numos aureos in aliquo finito numero hominum aurei numeri deficerent, & consequenter, quod per ablationem finitorum binariorum, aut denariorum, aut millenorum numerorum aureorum consumeretur illa infinita multitudo numerorum aureorum; quod repugnat cum natura infiniti.

16 Quinta ratio Si Deus potest facere infinitum secundum multitudinem, fatendum erit, quod sicut potest creare infinitas formicas incipiendo hinc versus orientem occupantes infinitum spatium; ita & creare poterit infinitos montes; imò infinitos mundos, incipiendo etiam hinc versus orientem occupantes infinitum spatium. Tunc rogo, an spatium infinitum, quod occupant infinitæ formicæ, adæquet spatium, quod occuparent infiniti montes, seu

infiniti mundi, an non; sed potius occuparent minus spatium? Primum videtur incredibile; nam si spatium, quod occupat vnus mons, seu vnus mundus multoties exuperat spatium, quod occupat vna formica, (vt per se manifestum est) quo pacto credibile apparet, quod spatium, quod occupant infinitæ formicæ, adæquet, & non multoties exuperetur à spatio, quod occupant infiniti montes, seu infiniti mundi. Si dicatur secundum, manifestè apparet, aliquod derelinqui spatium post formicas infinitas ab ipsis non occupatum, occupatum tamen à montibus, vel mundis infinitis: quia supponimus hinc ab eodem signo cum montibus, seu mundis incipere formicas, sibi inuicem cõtiguas; & consequenter totum spatium occupatum à formicis erit vtrinq; clausum terminis; quod repugnat spatio infinito.

17 Sexta, & vltima ratio sit, qua vtitur quidam Scotista in manu scriptis. Non possunt dari actu infinitæ species: ergo nec poterunt dari actu infinita indiuidua alicuius speciei. Antecedens supponit, tanquam certum: & videtur colligi ex doctrina Scoti in 3. d. 13. q. 4. quia, si ibi Scotus negat, qualitatem posse intendi in infinito, quia, cum perfectio intensionis sit perfectio entitatiua cõstituens qualitatem in perfectio-

ri gradu entis (licet indiuiduali, & intra eandem speciem) si qualitas infinite intenderetur, qualitas esset entitatiuè infinite perfecta: quod creaturæ repugnat; potiori ratione tenetur negare, species, posse multiplicari in infinitum; siquidem species differunt inter se perfectione entitatiua; & sic vna est perfectior alia perfectione entitatiua, non qualicūque; sed specifica, & essentiali: & consequenter, si darentur species infinitæ, daretur aliqua habens perfectionem entitatiuè infinitam, quod creaturæ repugnat. Cõsequentiam verò probat; quia, si darentur infinita indiuidua alicuius speciei, in illa infinita multitudine indiuiduorum, necessariò essent constituendæ infinitæ species numerorū; cum binarius differat specie à ternario; & ternarius à quaternario; & sic de reliquis.

18 His tamen non obstantibus, probabilior mihi apparet opposita sententia, scilicet, potentia Dei absoluta dari posse infinitum in actu secundum extensionem permanentem, tam continuam, quàm discretam. Ita quàm plurimi auctores, Ochamus quodlib. 2. q. 5. & in 1. d. 44. q. 1. Gregorius d. 43. q. 4. Aliaccensis d. 42. q. 13. art. 3. Gabriel in 2. d. 1. q. 3. & ibidem Argentina q. 2. art. 2. & Holchor q. 2. art. 5. Et ex Scotistis Maior in 1. d.

44. q. 1. Basolius, & Maironius d. 43. Atque ex recentioribus Vazquez 1. p. disp. 26. Hurtado disp. 13. physica; reputantque probabiliorè Conimbrienses hic cap. 8. q. 2. art. 4. & Duradus pro opposita sententia citatus, dicens, esse Auicennæ, & Algacel. Et colligitur manifestè ex Scoto; nam in 3. d. 13. q. 4. §. Ad primam quæstionem explicans illud dictum Arist. ex 3. Physic. tex. 69. *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, id est, quantum producibile est, tantum produci potest actu, docet, hoc asfatum, etsi non habeat verum, nec sit intelligendum in successiuus, vt est tempus, & similiter diuisio continui per partes proportionales; quia partes istorum non possunt simul reduci ad actum, sed successiuè vna post aliam; tamen esse verum, & intelligendum in permanentibus, in quibus, vt partes eorum reducuntur ad actum, non est necessaria successio, & quod vna fiat post aliam; sed reduci possunt ad actum simul, & in eodem instanti, etiamsi sint infinitæ, dummodò agens sit infinitæ virtutis. Et hinc colligit, quod possit Deus producere qualitatem actu infinite intensionem, si semel admittatur, quod qualitas sit intensibilis in infinitum. Ex hac enim doctrina manifestè inferitur, secundum Scotum potentia absoluta dari posse infinitum in

actu secundum extensionem permanentem, tam continuam, quàm discretam, siquidem extensiones istæ sunt infinitæ in potentia; & insuper eius partes sunt permanentes: & in permanentibus (ex mente Scoti) quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu, id est, quantum producibile est, tantum produci potest.

19 Imò ex hac doctrina Scoti efficax desumitur argumentum pro nostra sententia; quod sic reformari potest. In obiectis, quæ in suo augmento non habent terminum, sed augeri possunt in infinitum, Deus cognoscit infinitas partes, licet non actualiter existentes, saltem possibiles existere; quis hoc neget? sed omnis extensio quantitativa, tam continua, quàm discreta, in suo augmento non habet terminum, sed potest augeri in infinitum: ergo in quacumque extensione quantitativa, tam continua, quàm discreta cognoscit Deus infinitas partes, licet non actualiter existentes, saltè possibiles existere. Modo sic. In quacumque extensione quantitativa, tam continua, quàm discreta Deus cognoscit infinitas partes possibiles? ergo poterit Deus sua potentia absoluta hanc infinitam potentiam, seu possibilitatem partium ad actum reducere, quoties extensio quantitativa fuerit.

fuerit permanens. Probo consequentiam: quia si in successiuis aliquando non tantum contingit esse in actu, quantum contingit esse in potentia; id est, non tantum produci potest, quantum producibile est (vt videri est in diuisibilitate continui in partes proportionales, quæ etiam si sit infinita in potentia, non potest, adhuc à Deo, hæc tota potentia ad actum reduci: & similiter in extensione temporis, quæ etiam si sit infinita in potentia, non tamen potest tota hæc potentia, adhuc à Deo, ad actum reduci) hoc solum prouenit, quia, cum successiua sint, non potest tota illa potentia simul ad actum reduci; sed successiue per partes; qua ratione non potest infinitum exauriri, etiam à Deo. Quæ ratio non habet locum in permanentibus; quia eo ipso, quod permanentia sunt, potest tota ipsorum possibilitas, seu potentia, etiam si sit infinita, simul, & absque successione ad actum reduci, si agens, à quo reducitur, est infinitæ virtutis; quale est Deus.

20 Et confirmatur primò hæc nostra sententia. Maior est diuina potestas, quam virtus infinitorum ignium, si essent. At, si essent infiniti ignes, possent simul infinitas combustiones edere: ergo easdem poterit Deus se solo efficere, supposito; quod cognoscit ipsas, vt possibiles, & alias non est ne-

cessarium, quod illas efficiat successiue, vnam post aliam; sed possit omnes simul, & in eodem instanti efficere.

21 Confirmatur secundò. Si Deus ageret ex necessitate naturæ; produceret infinitum secundum extensionem quantitatiuam permanentem, tam continuam, quam discretam; siquidem ageret ad vltimum suæ potentæ, quæ infinita virtutis est; & alias hæc infinita virtus impediri non posset ex impossibilitate obiecti; cum omnes admittant, extensionem quantitatiuam, tam continuam, quam discretam posse in infinitum augeri. Nec etiam impediri posset ex modo reducendi hanc infinitam possibilitatem, seu potentiam ad actum; quia, cum hæc extensiones permanentes sint, non esset necessarium, quod infinita earum potentia, seu possibilitas ad actum reduceretur successiue pars post partem; sed posset tota simul, & in eodem instanti reduci: ergo idē nunc infinitum, si velet, posset producere. Probo consequentiam: quia modò non est minor eius potentia, seu virtus, quam tunc esset.

22 Potest præterea hæc nostra sententia probari argumento communi; quod sic concinnari potest. Deus suam potentiam absolutam efficere valet quidquid repugnantiam non inuoluit. Sed ratio infiniti cath-

thegorematici non repugnat extensioni quantitatiuæ permanenti, tam continuæ, quam discretæ: ergo, &c. Minorem probo: nam in primis ratio infiniti cathegorematici non repugnat huic extensioni, in quantum est ens cum primū, & perfectissimum omnium entium sit infinitum cathegorematicum. Nec etiam illi repugnat, in quantum est ens creatum; quia enti creato, in quantum tali, solum repugnat esse infinitum per essentiam, non verò esse infinitum per participationem (vt fatetur D. Thom. 1. p. q. 7. art. 3. & quodlib. 9. art. 1. & alibi sæpè.) Nec demum illi repugnat, in quantum quantitas est; quia ratio infiniti optimè compatitur cū ratione quantitatis: immo infinitum dicitur ab Arist. affectio, seu proprietas quantitatis. Nec refert, quod respondet D. Thom. 1. p. q. 7. art. 3. ad 2. et si infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi; tamen esse contra rationem cuiuslibet speciei eius; quia species magnitudinis sunt bicubita, tricubita, &c. Nam (vt benè aduertunt recentiores) si ratio infiniti non est contra rationem magnitudinis in communi; sed potius illius affectio, seu proprietas, prius diuidenda erit magnitudo in infinitam, & finitam: & postea magnitudo finita in bicubitam, tricubitam, &c.

23 Propter hæc aliqui recen-

tiores ex his; qui negant posse dari, adhuc potentia Dei absoluta infinitum secundum extensionem quantitatiuam permanentem, tam continuam, quam discretam, ingenuè fatentur, se non habere rationem à priori, qua demonstrare possint, rationem infiniti cathegorematici repugnare extensioni quantitatiuæ permanenti, tam continuæ, quam discretæ. Tamen, quia per rationes, quæ ab ipsis adductæ sunt contra huiusmodi infinita plura deducuntur absurda expositione horum infinitorum, hinc dicunt, optimè a posteriori demonstrari, rationem infiniti cathegorematici repugnare naturæ extensionis, tam continuæ, quam discretæ. Quod si nos rationes ab ipsis factas solueremus; fatentur, quod hoc sufficeret ad partem affirmatiuam fundandam, etiā si nulla alia ratio inueniretur pro infinito.

24 Sed age, conemur soluere rationes, quæ ab ipsis adductæ sunt contra huiusmodi infinita. Sed prius aduertamus, illas infinitas partes, quas (vt n. 19. diximus.) Deus cognoscit in quocunque obiecto, quod augeri potest in infinitum, & si ad propriam existentiam comparata non appellentur infinitæ cathegorematicæ; & actus, quia non omnes actualiter existunt; sed partim existunt, & partim sunt in potentia ad existendum; sed potius appellentur infinitæ

syncategorematicè, & in potentia tamè comparatè ad cognitionem diuinam, & consideratè vt habent in illa esse obiectiuum, esse appellandas infinitas, nō syncategorematicè, & in potentia; sed categorématicè, & actu. Quod demonstrari potest à definitione ad de finitum. Infinitū syncategorematicū, & in potētia dicitur illud, quod partim est in actu, & partim in potentia; sicut è contra infinitū categorématicum, & actu appellatur illud, quod totum est in actu. Sed infinitæ illæ partes, quas Deus cognoscit, omnes actu terminant cognitionem diuinā, & nullo modo potest dici, quod partim actu terminent illam cognitionem, & partim sunt in potentia ad illam terminandam: (esset enim hoc attribuire Deo maximam ignorantiam) ergo comparatè ad cognitionem diuinam, & consideratè, vt habent esse obiectiuè in illa, non debēt infinitæ syncategorematicè, & in potentia; sed potius categorématicè, & actu nūcupari; licèt ad propriam existentiam comparatè infinita syncategorematicè, & in potentia nūcupentur. Quod consultò aduerro, vt sciant aduersarij, omnia inconuenientia, quæ cōtra infinitum in actu secundū extensionem quantitatiuam permanentē, tam continuā, quàm discretam nobis obijciunt, non solum militare cōtra infinitum

in reali existentia; sed etiā contra istud infinitum obiectiuū, & non solum nobis; sed etiā ipsis incumbere illas soluere: nam quidquid ipsi nobis obijciunt, possumus nos retorquere cōtra ipsos in infinito obiectiuo: & sic quidquid ipsi responderent nobis, intelligant sibi à nobis fore respondendum.

25 Ad primam rationem ex adductis contra quodcunque infinitum respondetur, ex eo, quod Deus produceret vnū infinitum (puta infinitā multitudinem hominū) non sequi, potētiam Dei finiri, seu exhauriri nā semel producto vno infinito (puta infinitam hominum multitudinē) posset producere quā plurima alia infinita in alijs materijs; immo in quolibet infinito ex productis posset, quā plurimas partes addere; & similiter annihilare, & iterū eandem producere, salua manente natura infiniti: vt ex q. 2. num. 5. constat.

26 Sed dices, demus casum, in quo Deus produceret nō solum vnum infinitum; sed etiā omnia infinita, quæ potest producere in omnijs materijs possibilibus: immo & quod in quolibet ex prædictis infinitis adderet omnes partes possibles addi (rationes enim, quibus supra probauimus, posse Deum producere infinitum in actu secundū extensionem quantitatiuam permanentem, tam continuā, quàm discretā, aut nihil

con-

contineunt; aut hoc totam demonstrant.) Saltem in illo casu finiretur, seu exhauriretur infinita potentia Dei.

27 Respondetur hoc argumentum nos posse etiam cōtra aduersarios in infinito obiectiuo retorquere: nam cum Deus actu cognoscat nō solum vnū, sed etiā omnia infinita possibilis, & similiter omnes partes possibles illis addi, inquiram de isto infinito obiectiuo, an ad diuinam omnipotentiam comparatū illam finiat, & exhauriat? Quod si respondeant, hoc infinitum obiectiuum re vera finire, & exhaurire diuinam omnipotentiam: aliās esset aliquid possibile, ad quod se posset extendere diuina omnipotentia, quod nullo modo caderet sub actuali cognitione Dei: quod est absurdum; cum sit ponere in Deo aliquam ignorantiam. Hoc etiā nos ipsis respōdemus, scilicet, quod in dicto casu finiretur, & exhauriretur diuina omnipotentia, sumpto finiri, & exhauriri, non pro eo, quod eithabere terminum, & finem; siquidē illa infinita, eo ipsò quod talia sunt, nec terminum, nec finem haberent; sed pro eo, quod est, habere effectum adæquatum negatiuè, id est, nec maiorem, nec minorem, quàm ipsa postulat. Neque ex hoc sequitur aliqua imperfectio in diuina omnipotentia; sicuti neq; sequitur in diuina cognitione ex eo,

quod de facto ita infinita cognoscat, vt nihil sit, ad quod se possit extendere ultra id, quod de facto cognoscit. Et ratio est, quia non posse produci aliud præter iā producta, oriretur, nō ex imperfectione diuinæ omnipotentia, sed ex repugnantia obiecti: sicut non cognosci à Deo aliud, præter id, quod cognoscitur, prouenit ex repugnantia obiecti, & non ex imperfectione scientiæ.

28 Immo retorqueo argumentum; quia nisi posset fieri infinitū actu, semper præscriberetur terminus diuinæ omnipotentia; quia semper id, quod actu produceretur, necessariò esset finitū. Dices; est id, quod de facto producit diuina omnipotentia, necessariò debeat esse finitum; tamen te colligere esse infinitā, quia finitum, quod producit, potest producere successiuè in infinitum. Sed contra; quia ex eo, quod aliqua potentia possit producere aliquod finitū successiuè in infinitum, etsi optimè colligatur, illam potentiam esse infinitam syncategorematicè, & in potentia, minimè autem, quod sit infinita categorématicè, & actu. Aliās ex eo, quod Angelus potest facere circulationes cæli, quæ finitæ sunt, successiuè in infinitum, ego colligerem, virtutem motricem in Angelis esse categorématicè, & actu infinitā: quod est absurdū. Ad colligē-

E

dum

dum ergo ex effectibus, diuinā omnipotentiam esse actū, & categorematicè infinitam necessarium omnino erit, ut fateamur, posse de facto, producere effectum infinitum. Tantum abest a veritate, ut ex eo, quod de facto diuina omnipotentia produceret infinitum in actu, colligant aduersarij, quod diuina omnipotentia esset finita, & limitata.

29 Ad secundam rationem fatemur libenter, quidquid fit à Deo, cadere sub determinatam, & certam intentionem Dei, id est, sub determinatam eius voluntatem directam infallibili cognitione. Sed negamus implicare cadere infinitum sub determinatam, & certam intentionem Dei. Nec obstat, quod infinitum non habeat determinatam, & certam sphaeram: nam Deus non solum potest certo, & infallibiliter dirigere ad suos fines id, quod est finitū, & habens certam, & determinatam sphaerā; sed etiam, quod est infinitum, & nullam certam, & determinatam sphaeram habet.

30 Ad tertiam rationem, quæ etiā militat contra infinitū obiectiuū, & ideo retorqueri potest in ipsos aduersarios inquirendo ab eis, an in illo infinito, quod Deus cognoscit, cum in eo cognoscat infinitas partes, vel continuas, vel discretas iuxta naturam infiniti, cognita vna cognoscat aliā infinitè di-

stantè à priori, quā cognoscit? Si dicant, quod sic: ergo cognoscit Deus infinitā distantiam clausam terminis. Si dicant, quod nō: ergo nullā partē cognoscit Deus distantē ab alia infinitè: ergo omnes cognoscit Deus distare ad innicem comparatas distantia finita: ergo cognoscit, totū ex illis collectum esse finitum.

31 Respōdetur ergo tā pro nobis, quā pro ipsis aduersarijs, in hoc ipso consistere naturā infiniti, ut quacūque parte signata nō possit assignari alia distantia à priori infinitè, sed post quācūque partē assignatā restēt alia, & alia magis, ac magis distātes sine termino. Nulla igitur pars distributiue, & singillatim sumpta est, quæ infinitè distet ab alia parte. Et cum infers, omnes finitè distare, distinguendū est, omnes distributiue, concedo: omnes collectiue, nego. Vnde malè infertur, totū ex his collectū esse finitū: nā hic nō licet argumentari à distributiuo ad collectiuū, sicut nec valet; quælibet pars est palmaris: ergo tota quantitas est palmaris: & sic in alijs plurimis exemplis.

32 Ad primā rationē ex adductis cōtra infinitū secundum magnitudinē seu extensionē continuam permanentem respondetur, solum esse implicationem, quod idem sit mobile, & immobile secundum eādē rationē. At in hypothesi, quod daretur corpus naturale affe-

ffectum infinita extensione continua permanenti, nō sequeretur, quod idem esset mobile, & immobile secundum eādē rationem, sed potius secundum diuersas; videlicet ens naturale esset mobile secundum suā naturā; esset immobile ratione extensionis infinitæ, à qua impeditur, ne possit suas operationes naturales exercere. Nec video, cur repugnet, corpus naturale constitui in tali dispositione, in qua nec motum, nec alias similes operationes naturales exercere valeat. Immo de fide credimus corpus Christi manere in Eucharistia sine extensione locali: in qua dispositione, nec ambulare valet, nec alias similes operationes naturales exercere. Hoc etiam argumentum militat cōtra infinitum obiectiuū: & sic potest etiam contra aduersarios retorqueri.

33 Ad secundam rationem dicimus, illam doctrinam Euclidis posse optimè exemplificari in magnitudine finita; in qua ipse, & alij mathematici illam exemplificant: nam, cum quantitas finita sit capax figure, potest optimè in ea assignari circulus, & centrum, & circumferentia: secus verò in magnitudine infinita, in qua, cum sit incapax figuræ, nec potest assignari circulus, nec centrū, nec circumferentia: & consequenter nec potest casus admitti. Quæ solutio libèter debet am-

plecti ab aduersarijs: nam si casus duarum linearum, quæ recto tramite extrahuntur à centro circuli versus circumferentiā illius desumptus ex doctrina Euclidis exemplificari, & verificari possent in infinito secundum magnitudinē à Deo producto, etiam exemplificari, & verificari possent in infinito secundum magnitudinē obiectiuē existentem in cognitione diuina. Quod infinitum obiectiuum cum ab ipsis admittatur, in ipso eisdem implicationibus premi possunt, quibus nos opprimere contendunt.

34 Ad tertiam rationem dicimus, militare etiam cōtra infinitum obiectiuū, & sic in ipso retorqueri posse in aduersarios: nam Deus cognoscit, virgā augeri posse in infinitū: & de hac virga possibili, quæ, ut terminat cognitionē Dei, estq; in illa obiectiue, habet, quod sit infinitè extensa, cognoscit etiā Deus, quod possit diuidi; & similiter cognoscit, quod post diuisionem, ea parte, qua diuisa est, possunt annihilari ex qualibet parte virgæ duo palmi: & tunc inquiri ab aduersarijs, an cognoscat Deus, esse possibile, quod illæ duæ parte virgæ reuoluantur sine additione materiæ, sed solum eas localiter mouendo ex vrraque parte? Si dicant, Deum cognoscere, hoc esse possibile, militabit contra ipsos idem inconueniens, quod nobis obij-



ciebant, scilicet, per diuinam cognitionem posse præfigi illi virgæ, quæ ex reuisione illarum duarum partium resullaret, duos terminos, scilicet, illos duos palmos vacui, quos vtraque ex parte, qua infinita est, deferere: & cõsequenter, quod Deus cognosceret, infinitum clausum terminis. Si verò dicant, Deum non cognoscere, hoc esse possibile, sed potius cognoscere esse impossibile: hoc ipsum in nostro casu ipsis respondimus aduersarijs, scilicet, quod facta illa diuisione, & annihilatione duorum palmorum ex qualibet parte virgæ, etsi posset Deus illas partes virgæ reunire, vel per rarefactionem aliquarum partium, vel per nouarum partium additionem, esse tamen impossibile, quod reuiuatur eodem modo, quo ponitur in argumento, scilicet, eas localiter mouendo ex vtraque parte. Et ratio huius est, quia implicationem inuoluit, quod corpus infinitum secundum se totum localiter moueatur; cum de ratione motus localis sit desertio termini à quo; & acquisitio termini ad quem: quod repugnat corpori infinito, eo quod non habeat terminum, sed occupet spatium infinitum, & sine termino.

35. Ad quartam rationem (quæ etiam militat contra infinitum obiectuum; & sic in illo retorqueri potest in aduersarios) respondetur, data linea vtrin-

que infinita (scilicet, versus orientem, & versus occidentem) posse optimè Deum illam diuidere quolibet certo puncto; & semel diuisa posse etiam Deum lineam illam, quæ erat versus occidentem, ponere versus orientem (illam destruendo, & iterò producendo) vel penetrantem cum alia, quæ erat versus orientem, vel parallelam cum illa. Tamè in isto casu ineptè ab aduersarijs inquiritur, an; si in quocumque puncto fieret diuisio, semper vna linea esset æqualis alteri? vel potius vna certum punctum sit, in quo, si fiat diuisio, lineæ sint æquales, in omni autem alio puncto vna euaderet longior, altera breuior? siquidem in quocumque puncto, quo fieret diuisio, prædictæ lineæ manerent infinitæ; & sic ad inuicem comparatæ nec possent appellari æquales; nec inæquales; nec vna maior, & altera minor: quia affectiones istæ (vt in q. 2. statuimus) solum conuenire possunt finitis quantitatibus. Et cum inquiritur, an; quando Deus lineam, quæ erat versus occidentem, reproduceret versus orientem parallelam cum alia; istæ due lineæ ex parte, qua finitæ sunt, inciperent ab eodem puncto? Respondetur, hoc pendere à voluntate Dei producentis, in quocumque enim puncto facta fuisset hæc diuisio, posset Deus lineam, quæ erat versus occidentem, reproducere versus orientem parallelam cum alia, ita vt ex par-

parte, qua finitæ sunt, inciperet ab eodem puncto distate versus occidentem, vel versus orientem à puncto, quo incipit alia linea præexistens, plures palmos, immò plures lineas: nã ad hæc omnia esset capacitas in illa linea reproducta, eo ipso, quod infinita est, & sine termino.

36. Ad quintam rationem respondetur, & esse falsum antecedens, quod in ea assumitur; & esse malam consequentiam, quæ ex tali antecedenti colligitur. Est falsum antecedens, quia falsum est, potentia Dei absoluta non posse dari materiam sine forma: potest enim creari à Deo materia sine forma (vt lib. I. disp. 3. q. 6. sect. 1. statuimus.) Est mala consequentia, quia etiam si entia naturalia non viuètia ad suum esse, & conseruari requirant determinatas qualitates; sed non determinatam quantitatem; cum possint augeri in infinitum, vt ostensum est I. lib. disp. 5. q. 5.

37. Ad confirmationem, quæ in quinta ratione adducebatur, respondetur, quod si hæc esset bona consequentia. Implicat dari actu minimum magnitudinis: ergo & implicat dari actu maximum, quale esset infinitum: hæc etiam esset legitima; non implicat dari actu minimum multitudinis, qualis est vnitatis; ergo neque etiam implicabit actu dari maximum, quale esset infinitum, sicut ergo aduersarij concessio antecedenti negant istam consequentiam; ita & nos

concesso antecedenti priore negamus consequentiam. Et ratio est, quia dari actu minimum in quantitate continua est contra eius essentiam, quæ est esse semper diuisibilem in partes proportionales minores, & minores: at quantitatem continuam permanentem esse infinitam actu, non est contra eius essentiam; neque oppositum ab aduersarijs demonstratur. Cur autem infinita potentia, quæ est in quantitate continua ad diuidi in partes proportionales minores, & minores non possit adhuc potentia absoluta ad actum reduci, benè tamè infinita potentia, quæ est ad augeri in quantitatibus permanentibus, tam continuis, quam discretis, ratione assignauimus in hac q. n. 19. 38. Ad primam rationem ex adductis contra infinitum secundum multitudinem, seu extensionem discretam permanentem respondetur negando maiorem, scilicet omnem multitudinem debere esse sub aliqua specie numeri: nam sicut magnitudo in communi prius diuiditur in finitam, & in finitam, & postea sola magnitudo finita est, quæ diuiditur in bicubitam, tricubitam, &c. (vt n. 22. dicebamus) ita nunc dicimus, multitudinem in communi prius diuidi in finitam, & in finitam, & postea sola multitudo finita est, quæ subdividitur in varias species numeri. Quam maiorem etiam aduersarij coguntur denegare: nã collectio

omnium rerum possibilium, quæ sunt obiectivæ in cognitione Dei, est quædam multitudo, & tamen non potest esse sub aliqua specie numeri; cum omnis species numeri sit finita, illa autem multitudo, ipsis etiam contententibus, sit infinita.

39 Ad secundam rationem respondetur, quod sicut in casu, quod infiniti homines simul conspirarent admittendum singulos lapides in aceruum, ille aceruus evaderet infinitus; ita in casu, quod omnes simul conspirarent ad tollendum singulos lapides, ille aceruus infinitus lapidum, exhauriretur: Neque hoc est contra rationem infiniti: quia solum est de ratione infiniti non posse exhauriri per ablationem finiti; non vero per ablationem infiniti. Quam solutionem cogitur amplecti aduersarij in infinito obiectiuo: nam Deus cognoscit, infinitas sicut consumendas esse, si eas distribueret hominibus infinitis.

40 Ad tertiam rationem negamus, hoc assertum, *infinito potest aliquid addi, vel detrahi*, pugnare cum isto asserto, *infinitum fieri non potest maius, vel minus*: nam optimè hæc duo asserta inter se coherent. Et cum obijcitur, non posse intelligi fieri additionem sine augmento, neque subtractionem sine diminutione, respondetur, quod si id, cui sit additio, vel à quo ali-

quid detrahitur, sit finitum, & habens terminum, verissimum est; tamen si sit infinitum, & consequenter non habens terminum, nec finem, falsissimum est: nam solum vna quantitas per additionem dicitur augeri, seu fieri maior, quando per illam additionem terminum præfixum, quem antea habebat, prætergreditur: & solum dicitur per subtractionem minui, seu fieri minor, quando per illam subtractionem terminum præfixum, quem antea habebat, non attingit. Unde si non habet terminum præfixum, nec per additionem augeri, nec per diminutionem minorari villo modo poterit. Ex quo vltimus sequitur, quod quando aliquid additur infinito, etsi fatendum sit, habere de nouo aliquid, quod antea non habebat; sed nullo modo est affirmandum, quod habeat aliquid amplius; nam id, quod de nouo habet, non ampliat, nec augmentat ipsum; sicut contingit in rebus finitis. Et è contra, quando aliquid detrahitur ab infinito, etsi fatendum sit, non habere aliquid, quod antea habebat, sed nullo modo est affirmandum, quod habeat aliquid minus; nam id, quod detrahitur ab ipso, non minuit illud; sicut contingit in rebus finitis. Ad illud principium mathematicum; *totum est maius sua parte*, ex quo deducebatur in eadem ratione, vnum infinitum non esse ma-

ius alio, quia illud infinitum, quod resultat ex infinita multitudine, & ex illo, quod de nouo additur, induit rationem totius, & infinita multitudo, & illud, quod de nouo additur, induit rationem partium, respondetur ex Scoto super tertio Physicorum q. 9. §. *Ad tertium dico*, duobus modis posse aliquid dici totum respectu alterius. Primum, quia continet illud, & aliquid aliud. Secundò, quia non solum continet illud; & aliquid aliud; sed etiam, quia excedit illud in quantitate, & ad illud dicitur proportionem maioris inæqualitatis. In priori sensu fatetur Scotus, rationem totius, & partis posse reperiri inter quantitates infinitas: at in posteriori docet solum posse reperiri rationem totius & partis inter quantitates finitas: & sic solum de illis esse verificandum illud principium, *omne totum est maius sua parte*.

41 Ad quartam rationem respondetur, quod in hypotesi, quod Deus produceret infinitam hominum multitudinem, in illa vna infinita multitudine hominum essent infiniti binarij hominum, & infiniti denarij, & infiniti millenarij, &c. (vt argumentum bene probat.) Neque ex hoc sequitur aliqua implicatio, quæ in infinito obiectiuo non possit contra aduersarios retorqueri: siquidem in illa infinita hominum possibilitate multitudinem, quam Deus

cognoscit, cogitur aduersarij admittere, Deum cognoscere infinitos binarios hominum possibilem, infinitos denarios, infinitos millenarios, &c. Aliàs (vt ipsi nobis obijciunt) illa multitudo esset finita; siquidem absolui posset per cognitionem finitorum binariorum, vel denariorum, vel millenariorum. Quod aduerto, vt noscant aduersarij, qui ex hoc asserto tres implicationes deducebant, non solum nobis; sed etiam ipsis incubere illis satisfacere. At pro omnibus, illis satisfaciamus.

42 Ad primam dicito, ex eo, quod in vna infinita multitudine hominum sint infiniti hominum binarij, denarij, &c. non sequi, illam infinitam multitudinem esse vnam, & non esse vnã; sed, quod sequitur, est, esse vnam infinitam multitudinem includentem in se infinitas multitudines se inuicem communicantes. Ad secundam negamus, quod posset Deus ex hac infinita hominum multitudine auferre infinitos homines, relictis adhuc infinitis hominibus. Et cum dicitur, vbi sunt plura infinita, potest Deus vnum auferre, relictis alijs, respondetur hoc esse verum, quando illa plura infinita non sunt se communicantia, vt probat instantia ibi adducta infinitorum hominum habentium binos oculos. Sed non est verum, quando illa plura infinita sunt se communicantia, vt sunt

infinitudines binorum, denariorum, millenariorum, &c. quæ in vna infinita multitudine reperiuntur. Ad tertiã dicimus, quòd, si Deus crearet infinitos homines singulos habètes singulos numos aureos, posset postea (nullis numis aureis additis) restituere cuilibet homini binos, aut denos, aut millenos numos aureos. Quòd si hoc implicare videtur his, qui falsa imaginatione ducti apprehendunt infinitum admodum finiti cum termino, & sine; sed nõ nobis, qui postposita hac falsa imaginatione infinitum apprehendimus (vt natura sua postulat) sine termino, aut sine: & sic vnum infinitum ad aliud comparatum dicimus, nec esse maius, nec minus, etiã si singulæ partes, ex quibus vnũ cõstat, ad singulas partes alterius comparatæ illas in magnitudine, vel multitudine excedant bis, decies millies, &c.

43 Ad quintam rationem (quæ etiã militat cõtra infinitum obiectiuũ, & sic etiã in illo retorqueri potest cõtra ipsos aduersarios: siquidẽ sicut cognoscit Deus infinitas formicas possibiles hinc versus orientem, quæ occuparent infinitum spatium, ita & infinitos mōtes, & infinitos mundos) respondetur, quòd in hypotesi, quòd Deus produceret infinitas formicas incipiẽdo hinc versus orientem, occupantes infinitum spatium; & similiter crearet infinitos mon-

tes; immo infinitos mōdos incipiẽdo etiã hinc versus orientem occupantia infinitum spatium, incipere inquiri ab aduersarijs, an spatium infinitum, quòd occuparent infinitæ formicæ, adæquaret infinitum spatium, quòd occuparent infiniti montes, vel infiniti mundi? an non, sed potius occuparent minus spatium? nam (vt sæpè dictum est) affectiones æqualis, vel inæqualis; maioris, vel minoris, solum cõuenire possunt quãtitatibus finitis, & habentibus terminum, ratione cuius fieri possint huiusmodi cõparationes; secus verò quãtitatibus infinitis, & quæ nullum habent terminum, seu finem. Neque ista est bona illatio; spatium, quòd occupat vnus mons, seu vnus mundus, multoties exuperat in magnitudine spatium, quòd occupat vna formica: ergo spatium, quòd occupant infiniti montes, seu infiniti mundi, multoties exuperabit spatium, quòd occupant infinitæ formicæ: nam arguitur à finitis, in quibus locum habent istæ comparationes maioris, vel minoris; æqualis, vel inæqualis, ad infinita, in quibus prædictæ comparationes non possunt habere locum.

44 Ad sextam, & vltimam rationem, quæ fundabatur in doctrina Scoti (quæ, si aliquid probaret, probaret vtique, non solum non posse dari secundum

dum multitudinem infinitum in actu, sed neque infinitum in potentia; siquidem hæc infinitudo in potentia est, quam ibi negat Scotus intensiori qualitatis.) Respondetur ex doctrina ibi tradita ab Scoto, etsi bene inferatur, species, tam prædicamenti substantiæ, quàm qualitatis non posse multiplicari in infinitum; sed deueniendum esse ad aliquam ita summè perfectam, vt nõ possit alia perfectior produci; non tamẽ inferri species quantitatis, vt sunt binarius, ternarius, &c. nõ posse multiplicari in infinitum, sed potius inferri oppositum; siquidem perfectio, qua vna species quantitatis exuperat aliam, non est perfectio intensiua, sicut est perfectio; qua vna species de prædicamento substantiæ, vel de prædicamento qualitatis aliam exuperat; sed potius est perfectio extensiua: & in doctrina Scoti solum est

inconueniens processus in infinitum secundum perfectionem intensiuam, eo quòd perfectio intensiua est perfectio entitatiua, id est, constituens rem, quæ intenditur, in perfectiori gradu entis, vel individuali, vel specifico iuxta qualitatem intensiõis: non verò est inconueniens processus in infinitum secundum perfectionem extensiua; eo quòd perfectio extensiua non est perfectio entitatiua, id est, constituens rem, quæ extenditur, in perfectiori gradu entis; sed tantum illam in eodem gradu entis, quem antea habebat, multiplicat, & diffundit: ac per consequens ex processu in infinitum secundum extensionem non inferitur, dari posse infinitum secundum perfectionem entitatiuam, seu in genere entis, & simpliciter, sicut sequitur ex processu in infinitum secundum intensiõem.

## LIBER QVARTVS DE PHYSICO AVDITV, SEV auscultatione.

TEXTVS. *Similiter autem necesse est, naturali de loco, &c.*

*Summa Textus huius libri.*

**I**N hoc quarto libro per quatuordecim capita disputat Arist. de loco, vacuo, & tempore, quæ sunt affectiones cõmunes entis naturalis, ipsi extrinsecæ. Vnde liber hic intrinsecè præ-

præcipuas partes diuiditur. In prima per quinque priora capita disputat Aristot. de loco. In secunda à capite sexto vsque ad nonum inclusiuè, disputat de vacuo. In tertia à capite decimo vsque ad vltimum disputat de tempore.

Ad primam partem accedendo in primo capite docet Arist. ad Physicum spectare agere de loco. Tum quia, quæ sunt, omnes existimant, abicubi esse; quod verò non est, nullibi esse. Tum etiam quia omnium motuum maximè communis, & maximè proprius, quem vocamus lationè, est secundum locum. Deinde multis rationibus conuincit, non solum esse locum, sed etiam esse quid distinctum à corporibus locatis. Et tandem sex rationes obijcit, quibus ostendi videtur, non dari locum.

In secundo capite posita quadam diuisione loci in proprium, & communem, inquit; quid sit locus? & propositis quibusdam rationibus ad suadendum, locum esse formam; vel materiam, pluribus alijs rationibus conuincit, locum neque esse formam, neque materiam, neque totum ex his compositum, neque aliquid accedens intrinsecè inhaerens locato, sed potius quid ei extrinsecum, & ab eo separabile.

In tertio capite vt rationibus adductis, tam ad probandum, non esse locum, quam ad probandum, non esse formam, vel materiam, satisfieri posset, primo enumerat modos, quibus aliquid esse in alio dicitur. Primus est, quo pars est in toto. Secundus, quo totum est in partibus. Tertius, quo species est in genere. Quartus, quo genus est in sua specie. Quintus, quo forma est in materia, vel subiecto. Sextus, quo effectus est in efficiente. Septimus, quo media sunt in fine. Octauus, & maximè proprius, quo aliquid est in vase, vel in loco. Deinde in controuersiam vocat. Vtrum aliquid in se ipso esse possit aliquid ex modis essendi in alio enumeratis? Cui sub distinctione respondet, dicens, aliquid posse esse in se ipso secundum alterum, non verò secundum se, id est, mediatè, & ratione alterius, non verò immediatè, & ratione sui: hoc patet in toto, quod licet non possit dici esse in se ipso immediatè, & secundum se; (vt inductione facta per omnes modos essendi in alio enumeratis constare poterit) tamen optimè dici valet esse in se ipso mediatè, & ratione partium: nam, si totum est in partibus, & partes sunt in toto (vt ex dictis constat) totum vtique erit in se ipso mediatè, & ratione partium. Ex his facile esse dicit, soluere rationem, qua Zeno locum medio tollere conabatur: quæ ratio talis erat. Si locus esset aliquid, sequeretur, quod ille locus esset in alio loco, & ille in alio; & sic in infinitum. Nam, cum tam multis modis (inquit Aristot.) aliquid in alio

alio esse dicatur, non oportet, quidquid est in aliquo, vt in loco esse dicatur: locus ergo in aliquo est, non tamquam in loco, sed vel vt in suo toto, aut sicut passio, aut qualitas in suo subiecto. Similiter infert, locum non posse esse formam, vel materiam; quia ex quo locus est ad modum vasis continentis, & non est aliquid corporis contenti, sequitur, quod locus non est materia, neque forma; quia materia, & forma sunt partes corporis contenti.

In quarto capite, vt naturam loci inuenire, & appositè definire queat, in primis enumerat proprietates loci, quæ sunt immediatè continere locatum; non esse partem illius; esse illi æqualens; non deseri ab vnoquoque, & esse separabilem à locato; habere sursum, & deorsum; & tandem esse, in quo quiescat locatum. Ex quibus tria colligit. Primum est, corpus continens secundum se totum non esse locum illius, quod continetur; aliàs locus non esset æqualis locato. Secundum est, quando aliquid est in aliquo continuo sibi, & indiuiso, non est in illo, tamquam in loco, sed potius vt pars in toto. Tertium est, cum continens est diuisum a contento, & sunt ad inuicem contigua, tunc contentum est in vltimo continens, tamquam in loco. Cuius ratio est, quia de solo illo vltimo continens possunt verificari omnes proprietates loci supra enumeratæ: nam non posse verificari de forma, neque de materia, neque de illo spatio, seu interuallo intercepto inter latera corporis continentis, quæ sunt, quæ loci naturam imitantur, pluribus rationibus ipse demonstrat. Vnde docet, locum sic optimè definiri, *est terminus continentis immobilis primò*. Et docet, per ly *immobilis* distingui locum à vase; cui et si proprietates loci supra enumeratæ conueniant, sed non hæc, cum vas simul moueatur cum locato.

In quinto capite ex tradita definitione loci ostendere aggreditur, quænam corpora, & quibus modis in loco sint. Ac primò docet, ea secundum se, & absolute esse in loco, quæ ab alio corpore continentur: siquid verò extrinsecè aliud corpus non habeat, vt vniuersum, id non posse prædicto modo locum obtinere nisi ratione partium. Deinde enumerat modos quibus res in loco esse possunt, dicens, aliqua esse in loco *potestate*; alia *actu*; alia *per se*; alia *per accidens*. *Potestate*, vt partes continui, quæ ita in eo insunt, vt ab illo diuisæ non sint, diuidi tamen possunt. *Actu*, vt eadem partes, cum ab se mutuo diuisæ sunt; ita verò, vt vna alteram tangat, & in modum acerui contineat. *Per se*, illa, quæ ratione sui in loco sunt, vt Socrates, arbor, &c. *Per accidens*, quæ sunt in eo, quod per se in loco est, vt anima, quæ est in corpore; vel quæ sunt in loco per aliud, vt vniuersum, quod, cum non conti-

tineatur ab alio corpore non est per se in loco, sed per aliud, videlicet partium beneficio. Præterea dicit, omnia esse in cælo, tamquam in loco: non quod cælum locus sit, sed cæli aliquid, vltimus (inquam) finis quiescens, quo corpus mobile tangit. Quod intelligit de loco communi; nam de loco proprio docet, terram esse in aqua; aquam in æthere, & æther in cælo; cælum autem non amplius in loco esse. Deum dicit, supposita hac definitione loci non esse difficile, argumēta, quæ eum de medio tollere videbantur, dissolvere: quod ipse præstat per singula discurrendo.

Accedendo ad secundam partē, in sexto capite docet Arist. ad Philosophum spectare agere de vacuo, non secus ac agere de loco propter affinitatem, quæ inter vacuum, & locum est. Et in primis adducit rationem, quæ Anaxagoras probabat, non dari vacuum contra plebem, quæ errore decepta existimabat, vbi nullum erat corpus, quod in sensus caderet, ibi necessariò dari vacuum: quam sic efformabat. Id, quod aère plenum est, vacuū non est: sed spatium, quod vacuum esse dicitis, plenum est aère: ergo non datur vacuum. Antecedens ostendebat Anaxagoras instantia vtrium, qui, si inflati sunt, comprimunt, & conuolui nequeunt; certe non nisi ob aëris corpulentiam compressioni obnitentem: item instantia clepsydram, quæ non antea aquam admittunt, quam aër inclusus facessat. Hanc viam refellendi vacuum improbat Arist. eo quod non sit ad rem: quamuis enim vulgus vacuum tollat; non tamen confutat verum vacuum, in quo nullum re vera corpus sit, quale nonnulli Philosophorum induxerunt; vel corporibus insertum, vt Democritus, & Leucippus autumarunt; vel ab eis diuulsum, vt plures alij Philosophi docuerunt. Vnde adducit rationes, quibus isti Philosophi ducti sunt ad affirmandum dari huiusmodi vacuum verum; quæ vel ex motu locali, vel ex densatione, compressioneque corporum, vel ex viuentium variatione, vel ex experimento cinerum, quibus plenum vastantum liquoris excipit, quantum absque illis excepisset, detumpræ sunt.

In septimo capite adducit duas definitiones, quibus antiqui Philosophi naturam vacui declarabant, quas vt insufficientes refellit; dicitque vacui sic fore definiendum. *Est locus non repletus corpore, & prius tamen repleti.* Ex quo statuit contra Philosophos antiquos, neutiquam vacuum in rerum natura dari, neque insertum rebus, neque ab eis diuulsum. Quod in hoc capite demonstrat soluendo rationes, quibus veteres Philosophi in capite præcedenti ipsum inducere conabantur, ostendendo neque ad motum

rum localem, neque ad corporum compositionem, neque ad viuentium ac eretionem necessarium esse.

In octavo capite probat per rationes, non dari vacuum in rerum natura. Et quia assertores vacui, illud esse affirmabant ad saluandum motum localem, pluribus rationibus ostendit; ex positione vacui non solum non saluari motum localem, sed potius e medio tolli. In nono capite prosequitur Arist. impugnationem vacui contra illos, qui propter motum localem ponendum esse dixerunt deducendo illos ad aliquam incontinentiam. Deinde ostendit, male alios Philosophos docuisse, vacuum propter rarefactionem, & condensationem esse constituendum: Tū quia isti coguntur asserere, non omnis motus vacui causam esse; siquidem raritas, quæ leuitas committatur, non nisi motui, quo sursum itur, deservit: & densitas, ex qua grauitas oritur, non iuuat, nisi motui, quo pondera deorsum tendunt. Sequitur præterea contra eorum dogmata, vacuum non esse causam motus, tã quã id, in quo res mouetur, quod ad spatium pertinet; sed tã quã id, à quo fertur; quo modo vt res inflati; quia leues, natantes sustinent. Quod quàm absurdum sit, multis inconuenientibus sibi demonstrat. Tū etiã, quia causam, cui rarescant, & densentur corpora, non ad inane; sed ad materiam quæ raritati, & densitati; aliisque accidentibus subiecta est; referendam esse affirmat. Quod vt planè intelligatur, quædam ex his, quæ de natura materie, eiusque facultate in primo libro huius operis explicata sunt, inculcat.

Accedendo ad tertiam partē in decimo capite incipit agere de tempore; & duo inquit. Primum, an sit? Secundum, quid sit? Et quoad priorem questionem attinet, adducit duas rationes ad probandum, tempus non esse primum id, quod constat partibus, quæ re ipsa non extant, non est, sed tempus constat ex partibus præteritis, & futuris, quæ re ipsa non extant: ergo tempus non est. Secunda, id, quod est diuisibile in partes, nequit actu in rerum natura esse, nisi vel omnes partes eius existant, vel aliqua saltim. Sed nulla pars temporis existit: ergo tempus non est in rerum natura. Minorem probat, quia præteritum euauit, futurum nondum est, momentum autem, quod nunc existit, non videri partem temporis; nam pars entis quæ mensurat totum, ipsamque componit; tempus autem nec mensuratur, nec componitur ex momentis. Circa secundam questionem proponit tres sententias, & ipsas improbat. Prima est assertio tempus esse circulationem totius cæli: hæc improbat duabus rationibus. Prima, quia quælibet pars temporis est tempus; sed non quælibet pars circulationis est circulatio: ergo tempus non est circulatio. Secunda, quia, si tempus esset circulatio cæli, sequeretur, quod plures essent cæli, quod plura essent tempora: quod est ini-

inimaginabile. Secunda sententia asserbat, tempus esse ultimam sphaeram. Quam sententiam fatuam appellat, non solum propter assercionem (fatuam enim est, tempus, quod quid successuum est, in re permanente, ut est, ultima sphaera, collocare.) Sed etiam propter rationem, qua ad id probandum utebatur; quae talis erat. Omnia sunt in ultima sphaera, & omnia sunt in tempore: ergo ultima sphaera est tempus. Ratio quidem fatua, cum procedat ex puris affirmatiuis in secunda figura. Tertia sententia asserbat, tempus esse motum. Hanc improbat primò, quia vnusquisque motus est in illo, cuius est motus. Sed tempus est idem apud omnes: igitur tempus non est motus. Secundo, quia omnis motus est velox, vel tardus; sed nullum tempus est velox, vel tardum: ergo nullum tempus est motus. Minorem probat, quia velox, vel tardum definitur tempore; tempus autem non definitur tempore.

In capite vndecimo docet, etsi tempus non sit motus, nusquam tamen esse sine motu: cuius rei argumentum affert, quòd nisi motum percipiamus, non credimus, tempus esse fluxum. Vnde infert, ad cognoscendum, quid sit tempus, necessariū esse investigare, quid sit ipse motus (nam tempus esse aliquid ipsius motus, inde probat, quia illud est motus, vel aliquid ipsius motus, quod non potest percipi sine perceptione motus; sed tempus non potest percipi sine perceptione motus, ut dictum est, & non est motus, ut capite praecedenti probatum est: ergo est aliquid ipsius motus.) Ad hoc inuestigandum duo inquit. Primum est, quo pacto se habeat cōtinuitas ad magnitudinem, super quam res fertur, & ad motum, & ad tempus? Et dicit, cōtinuitatem primò competere magnitudini; & per hanc motui, & per hunc tempori. Si enim magnitudo non sit cōtinua, nequaquam motus, qui super ipsam fit, cōtinuitatem obtinebit, nec tempus, si motus sit interruptus. Secundum est, quo pacto se habeant prius, & posterius ad magnitudinem, super quam res fertur, & ad motum, & ad tempus? Et dicit, quòd eodem pacto, ac cōtinuitas: nam rationem prioris, & posterioris primò cernimus in magnitudine (cuius partes propriè situm vèdicant, quae prioris, & posterioris ratio importat) deinde in motu, postremò in tempore: dicitur enim prior motus pars ea, quae in priori parte magnitudinis fit, & ea posterior, quae in posteriori. Itè ea pars temporis prior habetur, quae priorem motus partem metitur, posterior, quae posteriorem. Monet quoque Arist. prius, & posterius re quidè ipsa, & subiectio idem esse cum motu; distingui tamen ratione, seu definitione: nam alia est ratio motus, qua motus, & alia qua prior, & posterior. His suppositis dicit, tempus esse aliquid ipsius motus secundum rationem prioris, & posterioris. Quod inde probat, quia

se-

secundum illud, tempus est aliquid ipsius motus, quo perspecto in motu percipitur tempus; & quo non perspecto, etià si quodcumque aliud perspiciatur, tempus non percipitur. sed percipièdo in motuationem prioris, & posterioris percipitur tempus, & hac ratione non perspecta, etià si percipiatur motus, non percipitur tempus: ergo tempus est aliquid ipsius motus, secundum rationem prioris, & posterioris. Minorem probat instantia vehementis delectationis, ubi etià si percipiamus motum delectationis, quia tamè in isto motu non attendimus ob nimiam delectationem ad distinguendum dum prius, & posterius, ideo non percipimus tempus, nisi valde modicum, dato adhuc, quòd sit magnum. Ex his colligit Arist. quid sit tempus, dicens, tempus est numerus motus secundum prius, & posterius. Quam definitionem sic declarat, id, quo plus; aut minus in motu iudicamus, est numerus motus; sed tempore iudicamus plus, aut minus in motu, hoc est; motum maiorem, vel minorem esse: igitur tempus est numerus motus. Deinde aliqua notat, ex quibus solui possunt duae rationes, quas capite antecedenti fecerat ad probandum, tempus non esse: & similiter soluit dubitationem quandam, quam praecedenti capite proposuerat; videlicet, sit ne vnus, idemque nunc in tempore, an plura? dicens, in tempore quolibet nunc esse vnus, & idem secundum id, quod est; esse autem aliud, & aliud secundum esse; sicuti & Coriscus quando est in theatro, & quando est in foro, etsi sit vnus, & idè secundum id, quod est, est tamen alius; & alius secundum esse. Deinde assignat aliquas proprietates ipsius nunc. Prima, quòd est notius ipso tempore. Secunda, quòd ita comitatur tempus, ut si tempus non est, nunc non sit, & è contra. Tertia, quòd ita se habeat ad tempus, sicut punctus ad lineam; sed cum hoc discrimine, quòd punctus potest bis, vel pluries sumi idem numero in linea; secus nunc in tempore. Quarta, quòd nunc non est pars temporis, sicuti neque punctus est pars lineae. Quinta quòd nunc non competit ratio temporis, bene tamè ratio mensurae; nam sicut tempus mensurat partes motus, ita nunc mensurat in indiuisibilia motus, quae dicuntur mutata esse.

In duodecimo capite assignat sex temporis proprietates. Prima est, esse continuū. Secunda, quòd in tempore quodammodo est assignare minimū, & quodammodo non. Tertia, quòd tempus non dicitur velox, aut tardū, sed longū, aut breue; multū aut paucū. Quarta, quòd eorū, quae simul sunt, est idè tempus, & eorū, quae non sunt, simul non est idè tempus. Quinta, quòd sicut cōtingit, eūdem motu iterari, ita & idè tempus, ut autumnus, hyems, ver, & aestas. Sexta, quòd non solum tempore mensuramus motum, sed etià motu mensuramus tempus, ut cōtingit in horologio. Deinde docet, quo pacto se

se

se habeat tempus ad ea, quæ tēpore continentur. Et primò dicit, motum esse in tēpore nihil aliud esse, quàm tēpore mensurari. Et aduerit, dupliciter posse dici aliquid esse in tempore. Primò, quia est, quando tempus est; quæ modum vt alienū, & impropriū explodit. Secundò, quia est in tēpore, vt in numero: quod dupliciter accidit: vel enim est in numero, tãquam aliquid ipsius; quo pacto, unitas, & par, & impar, cæteraq; numeri affectiones in numero sunt; vel tanquam in eo, à quo mensuratur; secundum quã notionem decem equi, & decem lapides in denario sunt. Primò ex his modis dicit esse in tēpore *nunc*, & prius, & posterius, cæteraque huiusmodi. Secūdo verò modo dicit esse in tempore motum. Ex quibustria infert. Primum est, ea, quæ sunt in tempore, excedi à tempore; sicuti res, quæ sunt in numero, exceduntur à numero, nam quocunque dato numero, alius maior esse potest. Secundum est, quòd entia, quæ sunt in tempore, patiuntur a tempore, & obliuiscuntur propter tēpus. Tertiu est, ea, quæ semper sunt, quatenus semper sunt, non esse in tempore; quia nec numerantur tempore, nec continentur tēpore, nec aliquid patiuntur à tempore. Docet prætereà, etiam quietem esse in tempore, seu tēpore mensurari, non per se; sed per accidēs, ratione (in quã) motus, cuius est priuatio: aduertit enim, non omne immobile quietescere; sed illud, quod priuatum est motu, & aptū natum moueri. & quia tempus, non motum duntaxat, & quietem metitur; sed etiam res motui, & quieti subiectas, dicit, tempus non esse mēsuram istarum rerū, prout magnitudine prædita sunt; sed quatenus motum, & quietem subeunt. Quo fit, vt ea, quæ prorsus immobilia sunt, nequaquam tempore mensurentur; sicuti neque ea, quæ semper non sunt, vt fragmenta. Item, quæ ortum, & occasum subeunt, in tempore esse, dicit; cum ea omnia tempus excedat; & in vnijersum omnia, quæ aliquando sunt, & aliquando non sunt, vt præterita & futura.

In tertio decimo capite explicat quædã vocabula, seu aduerbia ad tempus spectantia, quæ sunt *nunc*, *aliquando*, *iam*, *nuper*, *olim*, *subiò*; dicēs, *nunc* posse propriè, & impropriè accipi. Propriè acceptum significat illud instans, quòd tēpus præteritum cū futuro necdūt; est que terminus illius, & principium istius. Impropriè verò sumptum significat illud tēpus, quod præsentis momento, seu instanti propinquum est, siue præteritū, siue futurū sit: qua ratione dicere solemus, Socratem *nunc* venisse, seu *nunc* venturū esse. *Aliquando* significat tempus præteritum, & determinatum à præsentis momento remotū, siue præteritū, siue futurū: qua ratione dicere solemus, *expugnata aliquando fuisse Troiam*; & mundū *aliquando fore* de-

*deflagradum*. *Iam* significat idē, quòd *nunc* impropriè acceptū, scilicet, illud tēpus, quod præsentis momento, seu instanti propinquum est, siue præteritū, vt cum dicimus, *iam* scripsi, siue futurum, vt cum dicimus, *iam* scribam. *Nuper* significat partem temporis præteriti instanti præsentis proximam: itaque latius patet *iam*, quàm *nuper*. *Olim* significat partem temporis præteriti à præsentis instanti admodum remotam. *Subiò* significat tempus ita parū, vt sub sensum vix cadere possit. Deinde id, quod capite præcedenti dixerat, apertius exponit, scilicet, cur tempus, interitus magis, quàm generationis causa dicatur, dicens, etsi omnia in tempore oriantur, & occidant; & idēd Simonides tempus sapientissimum appellabat; quia tempore homines sapientiam adipiscantur: tamen melius Paro Pythagoricus ipsum insipientissimum appellasse, eo quòd tempore omnium rerū memoria intercitat: cuius rationem assignat; quia in tempore est mutatio rei naturalis à dispositione, quam habet, & non potest mutari ad generationem; quia iam genita est: ergo ad corruptionem, & interitum. Quibus accedit, quòd, cū generationis causa sæpè manifesta sit, corruptionis verò, præsertim naturalis, quam senectus inuehit, magis lateat, fit inde, vt rerum occasum magis, quàm ortum ad tempus referamus. Aduertit autem Arist. corruptionem attribui tempori, non quia ab ipso, tãquam a causa proueniat, sed quia eo intercurrēte fit.

In quarto decimo capite proponit Arist. & soluit quasdam questiones ad rationē, & unitatem temporis pertinentes. Prima est, quare tempus dicatur esse vbique? scilicet, in terra, mari, & coelo. Et respondet; quia vbique reperitur motus, cuius inseparabilis affectio tēpus est. Secunda est, vtrum tempus sine anima esse possit? Respondet, quòd si nulla esset anima, adhuc benè esset tempus: sed si nulla potest esse anima, nullum potest esse tempus, maneret autem id, quod subiecto tempus est, scilicet, motus. Quibus innuit, de ratione temporis non esse actu esse numerum motus, sed aptitudinem. Tertia est, cuiusnam motus tēpus sit numerus? cui respondet, cuiuslibet motus tempus esse numerū. Quod inde probat, quia omnis motus mensuratur tempore: ergo cuiuslibet motus tēpus est numerus, seu mēsuram. Antecedens patet; nam omnis motus fit in tēpore, & nil aliud intelligimus, per motū fieri in tēpore, quàm mensurari tempore. Sed obijcit contra hoc, quia fieri potest, vt simul duo corpora moueantur diuersis motibus: ergo, si tēpus cuiusvis motus numerus sit, duo erunt tempora simul. Respondet negando sequelā; nam eodem tēpore mēsurantur omnes motus, qui simul fiunt, etiãsi prædicti motus non solum numero, sed specie differant. Quod probat à simili; nam diuersorum secundū speciem, & separatorū ad inuicem benè est idem numerus: ergo & motuum simul existentū benè est idem tēpus, non obstat, quòd

quod illi motus sint diuersæ speciei, & ad inuicē se parati. Antecedēs patet; quia idē est numerus decem canum, & decē equorum. Et tēnet consequentia; quia, sicut numerus est mensura illorum, quæ numerantur, ita tēpus est mensura motuum. Dīscūrit insuper, quod nā tempus omnium motuum, temporūque regula, & mensura sit? & decernit, illud tempus esse regulā, & mensurā aliorum, quod in motu maxime æquali infidet, qualis est supremi globi conuersio: tum, quia maxime nota, & vulgata est: tum etiam, quia inter motus principatum obtinet: id verò, quod in quolibet genere primum est, reliquorum mensura habetur; & hæc in littera totius libri.

*Annotationes circa litteram huius libri.*

**1** Circa primam rationem, qua in 1. cap. huius libri probat Arist. ad Physicū spectare agere de loco, annotādum est, Arist. illā desumpsisse ex antiquioribus Philosophis, qui sic illam efformabāt. De passionibus communibus omnī enti habet determinare naturalis. Sed esse in loco est passio communis omnī enti: ergo de loco debet determinare naturalis. Minorem huius rationis sic probabant. Quod nō est, nusquam est: igitur, quod est, alicubi est; ac per consequens esse in loco erit passio communis omnī enti.

**2** Tamen commentator relatus à Scotō in expositione huius textus, dicit, quod etiā hæc ratio fuerit famosa apud antiquos; tamen vera est inutilis; nam falsa est maior, quam assumit; quia de passionibus cōmunibus omnī enti determinare non pertinet ad naturā; sed ad metaphysicum. Similiter est falsa minor; quia multa sunt entia, quæ nō sunt in loco circūscriptiue (qui est modus essendi in loco, de quo disputat naturalis) vt patet in substantijs separatis, & etiam in vltima sphaera. Item ratio, qua minorem probant, peccat fallacia; quia est argumentatio ab oppositō antecedentis ad oppositum consequentis; & similis huic rationi. Quid quid nō est animal, nō est homo: ergo quid quid est animal, est homo.

**3** Circa diuisionem, qua cap. 2. locum diuidit in proprium, & cōmunem, annotandum est, locum proprium dici, qui primò, ac immediate rem continet; qualis est superficies cōcaua aeris, Socratem ambientis. Cōmunem verò, qui nō primò, & immediate rem continet, vt cœlum respectu Socratis, quem aliorum corporum interiectu ambit. De loco ergo proprio disputat Arist. in hoc libro, & illius proprietates assignat cap. 4. & sic nō mirum, quod proprietates illa (scilicet, esse æqualem locato) loco communi nō conueniat; sicuti neque illam immediate continere locatum.

4 Circa

**4** Circa illam proprietatem loci, quam inter alias enumerat Arist. scilicet, nō deferri ab vnoquoque locato, dubitant interpretes, qualiter sit intelligenda? videtur enim opponi cum alia, quam statim posuit, scilicet, locum esse separabilem à locato. Sed breuiter dicendum est, ita esse intelligendam, vt locus nō deferatur ab omni prorsus locato, ita vt vacuus relinquatur, quinimò semper in locum, vnde discedit; vnum locatum succedat alteri. Circa aliam proprietatem, scilicet, esse in quo quiescat locatum, aduertendum est, solum esse proprietatem loci connaturalis; nam à loco repugnanti, & violento corpus naturale potius fugit, neque in eo quiescere potest. Circa aliam proprietatem, scilicet, locum habere sursum, & deorsum, annotandum est, etsi sex sint diuersæ positiones loci, has duas tantum hic enumerasse Aristot. quia hæc duæ tantum conueniunt loco in ordine ad totum vniuersum; hæc enim tantum sunt omnibus corporibus communes.

**5** Circa caput quintum dubitant interpretes, quid intelligat Arist. nomine vniuersi: cum dicit, id, quod extra se corpus non habet, vt vniuersum, nō posse esse in loco secundum se, & absolute; sed solum ratione partium. D. Th. & alij nonnulli dicunt, nomine vniuersi intelligere Arist. vltimam sphaeram. Sed hæc expositio difficultatem patitur; nam vltima sphaera nō solum nō est in loco secundum se, sed neque ratione suarum partium; cum partes eius nō solum sint continuæ, sed etiam ratione materiæ, quæ indiuisibilis est, nō possunt discontinuari; & ad hoc, vt vna pars alicuius totius dicatur esse in alia, tanquam in loco, necessarium est, quod nō sint continuæ, vel actū, si dicitur esse actū in alia, tanquam in loco; vel potentia, si solum dicitur esse in alia, tanquam in loco potestate. Magnus Albertus; & Auerroes dicunt, nomine vniuersi intellexisse Arist. totam corporei mundi congregate. Sed hæc expositio etiam patitur difficultatem; nam id ipsum, quod hic appellat Arist. vniuersum, inferius appellat cœlum, quo nomine appellari requirit tota corporei mundi congregatio: imò expresse ipsum distinguit ab æthere, aqua, & terra, dicens, omnia esse in cœlo, tanquam in loco communi; & tanquam in loco particulari terram esse in aqua; aquam in aere; & aërem in æthere; ætherē in cœlo; cœlum autem nō amplius in loco esse. Magis ergo placet expositio omnium Grecorum interpretum, qui nomine vniuersi dicunt intelligere Arist. cœlestem dumtaxat mundum, qui ratione partium, id est, orbium; quibus constat, quorum inferiores à superioribus continentur, in loco est; nō autem secutum se totum, cum extra cœli complexum nullum sit corpus.

**6** Circa ea, quæ docet Arist. à capite sexto vique ad nonum de vacuo, adnotandum est, tres esse vacui acceptiones. Primò accipitur



vacuū pro eo, in quo nihil est, Secūdo pro eo, in quo non est corpus sensibile: & his duobus modis accipitur vacuum improprie: & ideo Arist. in sexto capite duas definitiones, quibus aliqui ex antiquis has duas acceptiones vacui declarabāt, vt ineptas, & nō explicātes verā rationē vacui reijcit. Primā, quia, si vacuū esset, in quo nil est, punctū esset vacuū. Secundā, quia, si vacuū esset, in quo non est corpus sensibile, locus in quo esset aer, esset vacuum. Tertio modo accipitur vacuū pro spatio receptiuo corporis naturalis, priuato tamen corpore naturali: quæ est propria acceptio huius nominis, & quam Arist. his verbis optime definiuit, *est locus non repletus corpore*. Et hoc verū vacuū adhuc diuersimodè explicatur, seu intelligitur à Doctoribus, quādo nunc disputāt de vacuo; & explicabatur, atque intelligebatur à Philosophis illis antiquis, cōtra quos statuit Arist. nō dari vacuū in rerū natura; nam secundū Doctores hoc vacuū nō est aliquod spatiū habens dimensiones positiuas; sed tantūmodo est ibi possibilitas ad tātas dimensiones positiuas cū carentia cuiuscūque dimētionis in actu. At secundū illos antiquos Philosophos hoc vacuū est spatiū actu dimētionatū, licet nō habēs substantiā, nec qualitates naturales. Quod maximè notandū est; nā (vt benè aduertit Scot. quodl. 1. 1. §. De secūdo, lit. E.) aliquæ rationes, quas facit Arist. ad probandum, non posse dari vacuum, etsi benè concludant cōtra vacuum actu dimensionatū, quod ponebant antiqui Philosophi, sed non cōtra vacuum, nō actu, sed solū in potentia dimensionatum, quod ponunt Doctores. Et idem aduertit Aretinus lib. 4. Physic. de rationibus, quas facit Arist. ad probandum ex vacui positione tolli cōtra medio motum locale.

7. Circa illa verba, quibus cap. 1. 1. soluit Arist. quæstionē, de vnitāte, & pluritate *nunc*, quā cap. 1. 0. proposuerat, nimirum in tempore, quodlibet *nunc*, & esse vnū, & esse plura; nam est vnum secundum id, quod est, est autē aliud, & aliud secundum esse: magna est cōtrouersia inter interpretes in explicando sensum istorum verborum; quā latè refert Aretinus in annotationibus ad physicam Scoti textu 1. 04. lit. G. sed placet expositio Scoti in 2. d. 2. q. 2. vers. *ad Philosophum dicit*, lit. D. vbi dicit, quodlibet *nunc* in tempore dupliciter considerari posse. Primò secundū se, id est, secundum suam entitatem, & rationem formale; & sic nō solū est vnum, sed est quid indiuisibile. Et hoc (inquit) voluit Arist. cū dicit, esse vnum secundum id, quod est. Secundò potest considerari non secundū se, sed in ordine ad partes tēporis præteriti, & futuri, quas copulat, & vt sic habet aliud, & aliud esse; nam respectu tēporis præteriti habet esse finem, & respectu tēporis futuri habet esse principium. Et hoc voluit Arist. (inquit) cum dicit, esse aliud, & aliud secundum esse, id est, secundum denominationes extrinsecas finis, & principij, quas accipit ex collatione, qua per

per intellectum comparatur ad partes tēporis præteriti, & futuri, quas copulat, seu continuat. Et per hanc distinctionem optime soluit Arist. dubitationem, quam circa vnitatem, vel pluralitatē *nunc* proposuerat: quod ex vna parte videtur esse vnum, in quantum, scilicet, vnit, & continuat partes tēporis. & ex alia videtur esse plura, in quantum, scilicet, est finis præteriti, & principium futuri, & per hoc distinguit tempus elapsum à futuro.

8. Circa proprietates *nunc*, quas enumerat Arist. primò est animaduertendū, *nunc* dici notius tēpore; quia, cū *nunc* distinguat (vt modò dicebamus) tēpus præteritū à futuro, per ipsū *nunc* denotamus in cognitionē partium tēporis, id est, cognoscimus, quæ pars sit præterita, & quæ futura. Secūdo annotandū est, ideo *nunc*, & tēpus concomitari, ita vt benè valeat, *nunc* non est? ergo tempus non est; & è contra; quia *nunc* est quoddam indiuisibile continuans partes tēporis; & sic à destructione continuatiui, quale est *nunc*, optime infertur destructio cōtinui; quale est tēpus: & è cōtra.

9. Circa proprietates tēporis, quas in isto capite enumerat Arist. primò annotandū est, quod cū tēpus pro materiali dicat durationē, quæ est quantitas cōtinua successiua; & pro formali dicat rationē mensuræ, quā Arist. in definitione motus numerū appellat, nō quia in re duratio illa, quæ est mēsurā motus, discreta sit; quia potius (vt dictū est) est continua; sed quia ad mensurandum motū per illā, nos ipsam per intellectū in partes certas, & determinatas secamus, quas horas, vel menses, vel annos appellamus. Hinc est, vt tēpori non solū cōueniat esse longū, & breue, quæ est proprietas quantitatis continuæ, & cōuenit tēpori pro materiali, qua ratione quantitas continua est; sed etiā illi cōueniat esse multū, aut paucū, quæ est proprietas quantitatis discretæ; & conuenit tēpori pro formali, qua ratione per intellectū induit rationē numeri, seu quātītatis discretæ. Et secundū has duas rationes, quæ in tempore reperiuntur, est etiā intelligenda illa secunda proprietas, quā Arist. enumerat, scilicet, in tempore quodāmodo est assignare minimum, & quodāmodo non; nam ea parte, qua tempus est numerus, in eo datur minimum, vt in numero horarum vna hora: & ea parte, qua est quid continuum, in eo non datur minimum, sed est diuisibile in semper diuisibilia.

10. Demū circa ea, quæ docet Arist. loquens de his, quæ sunt, vel nō sunt in tēpore, notandum est, ex mente Arist. connexionē propositionum, quæ simpliciter necessariæ sunt, vt hominem esse animal rationale, &c. non cadere sub mensura tēporis, sed esse perpetuam & sempiternā veritatis; quod nos etiam docuimus lib. 1. disp. de essentia, & existentia entis naturalis.

11 Circa litteram huius libri tria veniunt disputanda iuxta numerum eorum, quæ in ipso pertractat Aristot. Prima disputatio erit de loco corporum naturalium. Secunda de vacuo. Tertia de tēpore.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De loco corporum naturalium.

**D**E loco corporum naturalium quinque exagitari possunt. Primum, *quid sit?* Secundum, *quo pacto immobilitas, sit de ratione loci?* Tertium, *quibus rebus conveniat esse in loco?* Quartum, *utrum duo corpora quantitativè extensa possint esse simul in eodem loco?* Quintum, *an potentia Dei absoluta possit idem numero corpus esse in duobus locis adæquatis circumscriptivo modo?*

## QVÆSTIO PRIMA.

### Quid sit locus?

**I**N nomine loci intelligimus (vt aduertit Scotus q. 1. super 4. Physicorū) illud, per quod convenienter respondemus ad quæstionem inquirentem, *ubi est hoc?* habēs omnes conditiones, seu proprietates, quas Aristot. cap. 4. enumeravit, & insuper immobilitatem, quæ est differentia, per quam idem Aristot. eodem capite locum à vase distinxit, quod in cæteris alijs conditionibus, seu proprietatibus cum loco conveniebat.

2 Hæc autem quæstio vnum supponit, & inquirit aliud. Supponit, vt certum, dari in rerum natura locū. Quod non solum docuit Arist. cap. 1. tex.

3. sed etiam probavit esse quid distinctum à corporibus locatis, experientia, qua videmus, idem receptaculum (quod locum appellamus) nunc occupari ab aqua, nunc ab aere: quod fieri non posset, si receptaculum, siue locus non esset quid extrinsecum, & distinctū à corporibus receptis, seu locatis. Sicut enim ex transmutatione, quæ est secundum formas substantiales, optimè deducitur esse in rebus quoddam primum subiectum, quod omnibus illis subsit, & in quo prædictæ formæ sibi inuicem succedant; ita ex transmutatione corporum secundum locum, qua videmus, quod vbi prius erat vnum corpus, ibi succedit aliud,

aliud, & rursus aliud, manifestè colligitur, dari in rebus aliquod commune receptaculū corporum, in quo sibi inuicè succedant, & non quaecumque; sed tale, quod sit ipsis corporibus extrinsecum, & ab ipsis separatum; imò & ab omni eo, quod est in ipsis corporibus, & ad motum ipsorū mouetur, siue sit pars intrinseca, & essentialis illius, siue sit ipsius accidens.

3 Inquirit autem, quid locus sit? & omiſſis illis duabus sententijs, quarum meminit Philosophus cap. 2. huius libri; quarum prima asserbat locū esse materiam: secunda verò affirmabat esse formam; quia eas nō solum reijcit, sed etiam palam ostendit esse falsas, ex eo, quod locus est separabilis ab ente naturali, quod dicitur esse in loco; secus verò materia, & forma, cum illud intrinsecè componant. Prima sententia esse potest, quæ tribuitur Stoicis, & nonnullis Academicis, nimirum, locum non esse terminum, id est, vltimam superficiem corporis continentis (vt affirmat Arist. cap. 4.) sed esse illud interuallum, seu spatium, quod est inter latera continentis locatum.

4 Non tamen omnes isti Philosophi hoc interuallum, seu spatium, in quo locum constituebant, eodem modo declarabant; nam aliqui dicebant, prædictum interuallū esse quid

positiuum, nimirum, trinam dimensionem ab omni substantia, & qualitate denudatā. Qui est sensus, in quo præcipuè ab Arist. sententia ista impugnatur. Alij verò asserbant, hoc interuallum, seu spatium non esse quid positiuum, sed quid priuatiuum; nam sola mente concipimus illud, vt longum, latum, & profundum; re autē, neque longitudinem, neque latitudinem, neque profunditatem habet; est tamen aptum in se recipere corpora habentia trinam dimensionē. In quo sensu Scotus q. 2. super 4. Physic. etsi sententiam istam non sequatur, sed potius eam impugnet; affirmat tamen esse multum probabilem, nec posse euidenter impugnari. Et idē affirmant Conimbricenses super cap. 5. q. 1. art. 2. & Toletus q. 1. conclus. 3. ipsam, vt probabilē, defendit. Imò absolute ipsam defendunt Vallesius in lib. de sacra Philosophia cap. 41. & Hurtado disp. 14. de loco.

5 Porro locum non esse terminum, seu (quod idem est) vltimam superficiem corporis continentis, sed potius esse illud interuallum, seu spatium, quod est inter latera corporis continentis, multis rationibus suaderi solet. Prima, vna ex proprietatibus loci est, quod sit æqualis locato. Sed vltima superficies corporis continentis non est æqualis locato; bene

tamen interuallum, seu spatium, quod est inter latera corporis continentis: ergo locus non est vltima superficies corporis continētis, sed potius prædictū interuallum. Minor probatur; nam locatum habet trinam dimensionem, quod non cōuenit superficiēi, quæ solūm habet binam, benè tamen spatium, seu interuallum, quod ab aliquibus in trina dimensionē carente omni substantia, & qualitate collocatur.

6 Secūda, de ratione loci est, quod sit immobilis: sed vltima superficies corporis continētis non est immobilis; cūm moueatur ad motum corporis continentis (vt patet in vltima superficie aeris circumscribēte turrim) ergo locus non est vltima superficies corporis continentis; sed potius erit spatium, seu interuallum, quod est inter latera corporis cōtinētis, quod immobile perseuerat, etiam si à corporibus, passim abeuntibus, tam continentibus, quàm contentis deleatur.

7 Tertia, locus est id, ad quod tendunt corpora per motum localem, vt ibi conseruentur. Sed corpora per motum localem non tendunt ad vltimam superficiem corporis cōtinētis, neque ibi conseruātur, sed ad interuallum, seu spatium, quod est inter latera corporis continentis: ergo interuallum hoc, & non superficies erit locus. Confirmatur, quia loci

propriū est, corpora ad se allicere; allecta fouere ac conseruare: (vt cōstat ex his, quæ tradidit Arist. hic tex. 40. 48. & 49.) at superficies vltima corporis continentis, cūm sit quātitas, nullā habet vim allicienti, fouēdi, & cōseruandi: ergo superficies hæc non erit locus.

8 Quarta, ex Arist. hic tex. 3. & 34. illud est locus, in quo diuersa corpora sibi inuicē succedūt: sed in eadem superficie corporis continentis non possunt duo corpora sibi inuicem succedere; benè tamen in eodem interuallum, seu spatium: ergo hoc interuallum, & non superficies erit locus. Minor probatur; quia non videtur verisimile naturaliter, quod aer cōsimiliter diuidatur per corpus succedens, sicut erat prius diuisus per aliud corpus, quod recessit.

9 Quinta; quia, si locus esset superficies, & nō interuallum, seu spatium prædictum, sequeretur, quod idem numero corpus esset in diuersis locis, quod naturaliter fieri non potest. Sequela patet; nam terra non est in aliqua vna superficie, sed in duabus, aeris, scilicet, & aquæ.

10 Sexta, si corpus poneretur in vacuo, esset in loco, & tamen non esset circumscriptura superficie alicuius corporis continentis: locus ergo non est superficies corporis continentis; sed potius spatium.

11 Septima, quia, si superficie

cies

ies vltima corporis continētis esset locus, sequeretur, quod aliquis moueretur localiter, & tamen non mutaret locum: quod videtur impossibile; nā moueri localiter nihil aliud est, quàm esse continuè alibi, & alibi, id est, in alio, & alio loco. Sequela patet in casu, quod aliquod corpus vnā eum aère circundante ipsūm moueatur localiter, tūc illud corpus continuè maneret in eodem loco; quia maneret in eadem vltima superficie corporis continentis; & tamen ipsūm moueretur localiter, vt supponimus.

12 Secunda sententia docet, locum, neque esse vltimam superficiē corporis continentis, neque esse illud spatium, seu interuallum, quod est inter latera corporis continentis; sed esse *vbi*, seu præsentiam realem, quæ est terminus per se motus localis, & inrinctè inhæret in re, quæ localiter mouetur (vt ex dictis in lib. 3. disp. I. q. 4. cōstat) & in istorū sententia non consistit in aliquo respectu extrinsecè adueniente, quem res, quæ est in loco, dicat ad vltimā superficiem corporis continentis (vt sustinet Scotus) neque in aliquo respectu transcendentali, vel secundūm dici, quem res, quæ dicitur esse in loco, dicat ad spatium illud, quod imaginamur inter latera corporis continentis (vt sustinent Hurtado, & alij, qui affir-

māt, locum esse spatium imaginarium) sed in quodā modo reali absoluto, & omnino independente, tam ab extrinsecis corporibus, quàm à spatio imaginario. Ita Martinez in illustratione super quinque priora capita huius libri.

13 Quod si illi obijcias, neque Arist. neque aliquem ex Philosophis antiquis, qui tantō tempore insudarunt in assignando, quid locus esset, illū constituisse in hoc *vbi*, seu reali præsentia; respondet, causam fuisse; quia hoc *vbi*, seu realis præsentia, in qua locus consistit, illos latuit: quod si nouitisset, omnes illos in hac reali præsentia, seu *vbi* rationē loci constituisent: cūm in eo omnes conditiones ad naturā loci requisitæ reperiantur. Nam in primis est quid reale. Secūdo est quid immobile. Tertio est terminus per se motus localis. Quarto continet intra se locatū, estque etiam illi æquale, cūm per totum locatum sit diffusum. Et demum quinto est id, à quo, tanquam à fundamento proximo, oritur tum relatio distantia, vel propinquitatis; tum etiam differentia positionum.

14 Tertia sententia affirmat, locum, neque esse illud interuallum, seu spatium, quod est, seu imaginamur inter latera corporis continētis locatum, neque esse *vbi*, seu præsentiam realem, à qua locatum denomi-

mi-

minatur præfens loco, seu esse in loco; sed esse terminum, seu (quod idem est) vltimam superficiem corporis continentis immobilem. Hæc est Arist. sententia in cap. 4. huius libri, & quæ à nobis amplectenda est, quam omnes Peripatetici sequuntur, Scotus q. 2. & 3. super 4. Physic. & in 2. d. 2. q. 6. §. *Ad questionem*. & alibi sæpè, D. Th. hic licet. 6. & opusc. 5. 2. quos omnes discipuli sectantur; & probari potest per singulas eius partes discurrendo.

15 Et in primis locum non esse interuallum, seu spatium, quod est, seu imaginamur inter latera corporis continētis, sic ostendo. Vel hoc spatium est quid positium, scilicet trina dimensio ab omni substantia, & qualitate denudata (vt Philosophi, contra quos disputat Arist. astruebant) vel quid priuatiuū? (vt Vallesius, Hurtado, & plures alij defendunt) si primum dicas, cogaris affirmare dari de facto quantitatem sine subiecto existentem, quod viribus naturæ prorsus repugnat.

16 Item sequeretur, quoties corpus mutat locum, dari penetrationem, quod etiam viribus naturæ repugnat. Sequela patet; nam istæ dimensiones quantitatis, in quibus secundū istam viam ponitur spatium, quod est locus, penetrarentur cum dimensionibus corporis locati. Nec refert, quòd istæ

dimensiones ponantur, tam ab omni substantia, quàm ab omni qualitate separatæ; nam penetrabilitas, quæ naturaliter repugnat corporibus, non attenditur ex parte substantiæ; cum materia, & forma sint distinctæ substantiæ, & tamen ad inuicem penetrētur, neque ex parte qualitatum, cum experientia doceat, plures qualitates simul in eodem subiecto commorari: sed solum attenditur ex parte quantitatiuarum dimensionum. Vndè optimè docuit Arist. hic cap. 9. tex. 76. quòd si corpus cubum ab omni substantia, & qualitate separatum poneretur in aqua, vel aère, tantum faceret distare latera corporis continentis, quantum est ipsum corpus ibi positum.

17 Item, tota ratio, qua moti sunt hi Philosophi ad negandum, vltimam superficiē corporis continentis esse locum, erat; quia de ratione loci est immobilitas, quæ conditio reperiri non potest in vltima superficie corporis continentis, cum hæc mobilis sit ad motum corporis continentis. Quæ ratio, si quid valet, etiam militat contra ipsos; siquidem illud spatium, quod est inter latera vasis continentis aquam, quod ab ipsis ponitur locus aquæ, non minus mouetur ad motum vasis, ac mouetur vltima superficies ad motum corporis continentis: ergo constituendo locum in hoc spatio

po-

positiuo non fugiunt difficultatem, quam ad cōstituendum locū in vltima superficie corporis continentis inuenerunt.

18 Si dicas secundum, scilicet, hoc spatium esse quid priuatiuum; contra hoc est, quia, cum hoc priuatiuum nil sit, dicere locum esse hoc spatium priuatiuum, idem erit, ac affirmare, locum esse nihil; quod potius est, locum denegare, quàm astruere; & consequenter idem erit, rem esse in loco, ac rem nullibi esse: perperam ergo locus in spatio, quod sit quid priuatiuum, collocatur.

19 Respondent aduersarij, spatium hoc non esse omnino nihil; nam idè dicitur priuatiuum; quia etsi sit carentia, sed non præcisè, sed cum aliqua aptitudine; ita vt hoc spatium idem sit, quòd non repletum corpore, aptum tamen repleti. Vndè et si ratione carentiæ nihil sit, tamen ratione aptitudinis aliquid reale, & positiuū importat; pro quo supponit nomen *locus* in propositionibus affirmatiuis, quales sunt istæ, *locus est; corpus est in loco, &c.* Quòd si ab eis inquiras, quid sit istud positium reale, quod hoc spatium priuatiuum importat ratione aptitudinis, & pro quo nomen *locus* supponit in propositionibus affirmatiuis? Respondēt (qui melius sentiunt) esse vltimam superficiē corporis continentis, quæ sicut, dum intra se continet cor-

pus, dicitur repleta, ita dum nullum corpus intra se habet, dicitur priuata, hoc est, non repleta, apta tamen repleti. Et in hoc priuatiuo (quod in re coincidit cū illo priuatiuo, quod Arist. vacuum appellauit) dicunt hi auctores, cōsistere hoc spatium, quod ipsi locum appellat.

20 Sed responsio ista, etsi optimè saluet, locum non esse nihil, (vt argumentum obijciebat) sed esse aliquid reale positium: tamen aduersariorum positionem planè destruit; siquidem ex ea inferitur, locum non esse illam vacuitatem, seu carentiam, quam inter latera corporis continentis consideramus; quæ est, quæ dicitur spatium (quia hæc omnino nihil est) sed potius esse vltimam superficiem corporis continētis, quæ sicut, dum intra se continet corpus, dicitur repleta, ita cum illam consideramus nullum corpus intra se habentem dicitur priuata, hoc est, non repleta, apta tamè repleti. Quod est proprium placitum relinquere, & in Arist. sententiam commigrare. Vndè Aristot. eandem vltimam superficiem corporis continentis quæ cap. 4. appellauit locum, cap. 7. etiā appellauit vacuum, quoties illam actuali contentia corporis priuatam consideramus.

21 Deinde locum non esse *vbi*, seu præsentiam realem, à qua

qua

qua locatū denominatur præ-  
sens loco, seu esse in loco, quæ  
(vt ex dictis lib. 3. disp. 1. q. 4.  
cōstat) est terminus per se mo-  
tus localis, & intrinsecè inhæ-  
ret in re, quæ localiter mouetur  
(in quocunque hoc *vbi*, seu  
præsentia realis constituatur)  
multis ostendi potest.

22 Primò, quia ex communi  
omnium sensu, & ex conce-  
ptu, quem habemus de ratio-  
ne loci, locus dicitur id, in  
quo aliquid est; sed res non est  
in vbiuatione, seu præsentia;  
sed potius vbiuatio, seu præ-  
sentia est in re, quæ dicitur esse  
in loco, cum sit quoddam ac-  
cidens illius: ergo vbiuatio,  
seu præsentia non est locus. Et  
confirmatur, quia vbiuatio, seu  
præsentia localis est ratio for-  
malis, qua mobile est loco præ-  
sens: ergo vbiuatio, seu præsen-  
tia localis nō est locus; sed po-  
tius illum supponit.

23 Secundò, quia ex com-  
muni omnium sensu, & ex cō-  
ceptu, quem habemus de ratio-  
ne loci, locus non est aliquid  
locatū, non solum quia distin-  
guitur necessariò ab illo; sed  
etiam, quia est omnino extra  
illud (vt notauit Arist. text. 17.  
dicens, locum esse, qui relin-  
quitur à corpore abeunte, &  
in quē succedit aliud corpus,  
perinde se habēs, ac vas respe-  
ctu liquorum, quibus utique  
ipsa vas non est quidquam  
intrinsecè existens; sed eos so-  
lum intra se continet, & succes-

siuè recipere solet, modò vnā,  
modò alterum. Sed vbiuatio,  
seu præsentia localis etiā re ip-  
sa ab vbiuato distincta sit, non  
tamen omnino est extra illud,  
cum in ipso intrinsecè inhæ-  
reat: nequit ergo locus in vbi-  
uatione, seu præsentia locali  
constitui.

24 Quare decipitur Marti-  
nius, dum dicit, ideo Arist. &  
cæteros antiquos locum non  
constituisse in *vbi*, seu præsen-  
tia locali, quia *vbi*, seu præsen-  
tia localis, quæ sit quid intrin-  
secè inhærens in ipso mobili,  
& terminus per se motus loca-  
lis, tam ipsum, quàm cæteros  
antiquos lauit. Licet enim nō  
solum Aristotelem, & cæteros  
antiquos; sed etiam nos ad huc  
lateat istud *vbi*, seu præsentia  
localis consistens in aliquo  
modo absoluto, & omnino in-  
dependenti à corporibus ex-  
trinsecis, qui ponitur à Marti-  
nez (est enim quid chimericū,  
vt q. 3. huius disp. ostendam)  
tamen *vbi*, seu præsentia loca-  
lis consistens in aliquo respec-  
tu extrinsecis adueniente, qui  
in ipso mobili intrinsecè inhæ-  
reat, & ad vltimam superficiem  
corporis continentis terminetur:  
& consequenter ab ipsa, tanquam  
à termino, dependeat, per se terminans  
motum localem, neque Aristotelem,  
neque cæteros antiquos  
lauit (vt ex præfesso docuimus  
lib. 3. disp. 1. q. 4.) & tamen  
neque Aristot. neque aliquis

cx

ex antiquis Philosophis in hoc  
*vbi*, seu præsentia rationem lo-  
ci cōstituit, eo quod (vt nuper  
dicebamus) ex communi om-  
niū sensu, & ex conceptu, quē  
habemus de ratione loci, po-  
stulat locus, vt non solum sit di-  
stinctus à locato, sed etiam sit  
omnino extra illud: quod *vbi*,  
seu præsentia locali (in quo-  
cumque illa constituatur) cō-  
uenire nullatenus potest.

25 Demum locū esse termi-  
num, seu (quod idem est) vlti-  
mam superficiem corporis cō-  
tinentis immobilem, optimè  
præbat Arist. à sufficienti partium  
enumeratione; nam (vt  
ipse ait) quatuor sunt, quorum  
vnam aliquod necesse est esse  
locum: aut enim est forma, vel  
materia, vel spatium, quod est  
medium inter extrema cor-  
poris continentis, vel ipsa ex-  
trema, seu vltima superficies  
corporis continentis: quibus  
nos addere possumus quin-  
tum, scilicet, vel ipsum *vbi*, seu  
præsentia realis, in qua secun-  
da sententia rationem loci cō-  
stituebat. Sed probatum est,  
locum, neque esse formam,  
neque materiam, neque spa-  
tium, quod est medium inter  
latera corporis continētis, ne-  
que *vbi*, seu præsentiam rea-  
lem: ergo à sufficienti partium  
enumeratione erit terminus,  
seu vltima superficies corpo-  
ris continentis immobilis. Et  
confirmatur, quia omnes pro-  
prietates loci, quas capite 4.

enumerat Aristot. & omnes  
aliæ, quæ alibi ab ipso met Ari-  
stot. ad rationem loci requi-  
runtur, conueniunt huic termi-  
no, seu vltimæ superficiem  
corporis continentis: (vt solu-  
endo rationes in contrarium  
adductas constabit). ergo non  
est, cur huic termino, seu vlti-  
mæ superficiem corporis con-  
tinentis immobili rationem  
loci denegetur.

26 Sed quia vltima superfi-  
cies corporis continentis im-  
mobilis, quæ secundum om-  
nes Peripateticos est locus,  
plures rationes importat, sci-  
licet, rationem superficiem, ra-  
tionem continentis, & ratio-  
nem immobilitatis, dubium  
est inter ipsos, quam ratio-  
nem ex his dicat locus pro  
formali, & pro per se signifi-  
cato; & quas pro materiali,  
& connotato? nam non posse  
dicere omnes pro formali, &  
pro per se significato, manife-  
stum est; cum ratio superficiem  
sit quid absolutum; rationes  
verò, tam continentis, quàm  
immobilitatis sint quid respec-  
tiuum: & ex absoluto, & res-  
pectiuo non possit conflare  
vnum per se; sicuti est ratio il-  
la, quam pro formali, & pro  
per se significato dicit locus.

27 Conimbricenses hic cap.  
5. q. 1. ar. 2. Toletus q. 4. Sotus  
q. 1. & plures alij sustinēt, locū  
pro formali, & pro per se signi-  
ficato dicere superficiem vlti-  
mā, rationes verò, tam cōtinentis,  
quàm

quã immobilitatis solum im-  
portare, vt quãdam connota-  
ta intrinseca. Vnde consequen-  
ter affirmant, locum formaliter  
sumptum esse speciem quantita-  
tis: & similiter in definitione  
loci, quam his verbis tradidit  
Arist. *est terminus continentis  
immobilis primò, ly terminus*; quod  
idem est ac vltima superficies,  
esse verum genus loci, & vlti-  
mum in prædicta definitione  
collocari.

28 Fundamentum ipsorum  
est. Primò, quia Arist. definiuit  
locum (ut visum est) per ter-  
minum, seu (quod idem est) per  
vltimam superficiem: quod  
non faceret, si superficies vlti-  
ma ad rationem formalem lo-  
ci nõ spectaret. Secundò, quia  
affectiones loci, vt sunt conti-  
nere locatum, esse illi æqua-  
lem; illum conseruare, cætera-  
que huiusmodi superficiem vlti-  
mã tribuuntur, non verò re-  
lationi continentie vel immo-  
bilitatis. Tertiò, quia multipli-  
cata relatione continentie in  
eadem numero superficie non  
multiplicatur locus: ergo ad  
rationem formalem loci non  
pertinet ratio continentie;  
sed superficies. Antecedens pa-  
tet; nam ad multiplicationem  
corporum, quæ successiue cõ-  
tinentur sub eadem numero su-  
perficie; multiplicantur rela-  
tiones continentie in ipsa su-  
perficie (vt expresse docet Sco-  
tus quodl. 11. §. De tertio patet;  
& etiam constat ex doctrina,

quã tradidimus in Logica cap.  
*de ad aliquid*, disp. 3. q. 3. nimirũ  
relationes eiusdem speciei mul-  
tiplicari numero in eodẽ fun-  
damento, seu subiecto ex sola  
multiplicatione terminorum  
totalium, & adæquatorum) &  
tamen non locus, vt etiam do-  
cet Scotus; dum sepe in hoc li-  
bro dicit; quod idem locus  
manet succedentibus sibi inui-  
cem corporibus.

29 Nobis autem dicendum  
est cum Scoto quodlib. 11. ci-  
tato, locum pro formali, &  
pro per se significato dicere ra-  
tionem continentie; rationem  
verò immobilitatis esse pro-  
prium, & intrinsecã passionem;  
rationem autem superficiem vlti-  
mã solum dicere pro mate-  
riali, & connotato; non secus,  
ac hoc concretum *album* dicit  
pro materiali, & connotato sub-  
iectum, in quo est albedo. Vnde  
de consequenter affirmantur;  
quod etiam si locus pro mate-  
riali, & connotato, seu denomi-  
nato sit species quantitatis eius-  
dem rationis essentialis cũ su-  
perficie (vt latius docuimus in  
Logica cap. de Quantitate dis-  
put. 2. q. 2.) tamen pro forma-  
li dicimus, esse relationem ex-  
trinsecus aduenientem. Et quã-  
uis Scotus loco citato in fine  
primi articuli dubitet, ad quod  
genus ex sex vltimis hæc rela-  
tio continentie, quam dicit  
locus ad locatum, spectet? di-  
cendum est, pertinere ad præ-  
dicamentum *ubi*. Et ad quod-  
dam

dam argumentum, quod Sco-  
tus ibi contra hoc proponit, &  
in solutum relinquit dicens,  
*Quare solutionem*; quod sic effor-  
mat. Vbi est circumscriptio pas-  
siva; sed ratio continentie;  
quam dicit locus ad locatum;  
est circumscriptio actiua; ergo  
non est *ubi*. Respondetur, ex eo-  
dem Scoto in 4. d. 10. q. 1. ge-  
nus generalissimum prædica-  
menti *ubi* non solum contine-  
re sub se circumscriptiones pas-  
sivas; sed etiam actiuas; ac per  
consequens definitionem illã,  
quam de *ubi* tradidit Gilbertus.  
Porretanus: *Est circumscriptio pas-  
siva à circumscriptione loci proue-  
niens*, non competere *ubi*, quod  
est genus generalissimum; sed  
eiusdem speciei subalternæ,  
scilicet, *ubi passivo*; vt in Logi-  
ca aduertit. Et similiter affir-  
mamus, in definitione loci su-  
pra relata, *ly terminus*; seu *vlti-  
ma superficies*, non esse verũ ge-  
nus loci, neque vt tale positum  
fuisse in prædicta definitione;  
sed esse subiectum, quod per se  
connotat hoc concretum *locus*,  
& vt tale poni in ea: non secus,  
ac ponitur corpus in hac defi-  
nitione albi: *Est corpus disgrega-  
tuum visus*.

30 Porro locum pro forma-  
li, & pro per se significato dice-  
re relationem continentie, &  
non superficiem vltimã, pro-  
bari potest. Primò, quia locus  
id dicit pro formali, & pro per  
se significato, cui tãquam pro-  
pria passio, competit immobi-

litas: Sed relationi continentie  
cõpetit, vt propria passio im-  
mobilitatis (vt quæstione sequen-  
ti ostendam) & non vltimæ su-  
perficie corporis continentis:  
(quia, vt secunda ratio facta pro  
sententia antiquorum obijcie-  
bat, vltima superficies corpo-  
ris continentis mobilis est ad  
motum corporis continentis)  
ergo ratio continentie, &  
non vltima superficies, est, quã  
locus dicit pro formali, & pro  
per se significato.

31 Secundò, quia id dicit pro  
formali, & pro per se significa-  
to locus, quod essentialiter cõ-  
trahitur per diuersas positiones  
in loco; vt sunt sursum, deorsus,  
antè, retrò, dextrorsum, si-  
nistorsum ( hæ enim sunt  
differentie essentialis, per quas  
ratio quiddatiua loci in cõ-  
muni, contrahitur ad diuersas  
species loci. teste Arist. 3. Phy-  
sicorum text. 45. ) sed per di-  
uersas positiones in loco non  
cõtrahitur essentialiter, & quid-  
datiue vltima superficies; be-  
nè tamen ratio continentie,  
cui annexa est per se, & tanquã  
propria passio immobilitas: er-  
go ratio continentie, & non  
vltima superficies, erit id, quod  
pro per se significato dicit hoc  
concretum *locus*.

32 Neque id, quod obijcie-  
bant Conimbricenses & alij  
Authores oppositæ sententie,  
alicuius est roboris. Nam quod  
locum definiat Arist. per *termi-  
num*, seu *vltimam superficiem*, non  
ar-

arguit terminum, seu ultimam superficiem esse rationem formalem, & quidditatiuā loci; sed esse subiectum, seu materiale, quod à ratione formali, & quidditatiua loci denominatur: sicuti, quod albū definiamus per *corpūs disgregatiuum visus*, non arguit, corpus esse rationē formalem, & quidditatiuam *albi*, sed esse subiectū, & materiale, quod à ratione formali, & quidditatiua *albi* albū denominatur. Est enim receptum, tam apud Arist. quā apud alios Philoſophos, concreta accidentalia per eorum subiecta (quæ sunt, quæ important pro materiali, & connotato) loco generis definiri.

33 Item, quod propriæ affectiones loci in actu exercito de vltima superficie prædicentur, nō probat, vltimam superficiem esse rationem formalem loci, sed potius esse rationem materialē; & quæ in actu exercito, tam à ratione formali loci, quā ab illius affectionibus denominatur. Vndē in forma ad secundum argumentum dicimus, proprietates loci attribui vltimæ superfici, vt rationi materiali, & subiecto, cui insunt, non verò, vt rationi formali, & ratione cuius insunt.

34 Item, ex eo quod multiplicata relatione continentia in eadem numero superficie non multiplicetur locus, non rectē infertur, locum pro for-

mali, & pro per se significato non dicere relationem continentia, sed superficiem. Potius, quod infertur, est, superficiem esse subiectum, cui ratio formalis, & quidditatiua loci inest, & pro materiali, & connotato dicit hoc concretum *locus*. Cuius ratio est (inquit Scotus quodl. 11. §. De tertio pater) quia concretum accidentale, quale est hoc concretum *locus*, nō multiplicatur ad solā multiplicationem formæ; sed etiā ad multiplicationem illius est necessariū, quod multiplicetur subiectum habens formam. Quod in casu argumenti non contingit; nam etiamsi multiplicentur relationes continentia, quæ sunt, in quibus formaliter consistit locus, non tamen multiplicatur superficies, quæ est illarum subiectum: & sic non mirum, quod sit vnus numero locus. Et potest exemplificari in homine habente plures filios, in quo etiamsi multiplicentur relationes paternitatis, quas hoc concretum *pater* dicit pro formali, non tamen dicitur ille homo plures patres, sed vnus, & idem pater; eo quod ipse homo, qui est subiectum harum relationum, nō multiplicatur, sed est idem numero homo.

35 Sed iam ad rationes adductas pro prima sententia respondeamus. Ad primam (quæ solum procedit de loco proprio;

prio: nam proprietas illa, esse æqualem locato, solum est proprietas loci proprii, non verò loci communis, vt in annotationibus num. 4. dicebamus) respondetur negando minorem, scilicet, vltimā superficiem corporis continentis non esse æqualem locato. Ad probationē dicimus, quod, cum vltima superficies solum appelletur locus, in quantum subest relationi continentia, quæ est, quam pro formali dicit locus, non est necessarium ad hoc, vt locus dicatur ad æquare locatum, quod vltima superficies habeat eandem dimensiones, quas habet locatum, sed quod locus nihil plus contineat, quā locatum, nec locatum contineatur ab aliquo maiori suo loco. Hoc enim est ad æquare locatum in ratione continentia, siue loci, vt docet Scotus hic q. 1. respondendo ad quartam rationem.

36 Ad secundam dicimus, locum solum esse immobilem secundum rationem, quam importat pro formali, non verò secundum rationem, quam dicit pro materiali. Vndē ex eo, quod vltima superficies corporis continentis non sit immobilis, non sequitur absolute locum non esse vltimā superficiem, sed solum sequitur, locum pro formali non esse vltimam superficiem; quod nos libenter fatemur.

37 Ad tertiam concessa maiori negamus minorem, scilicet, corpora per motum localem non tendere ad vltimam superficiem corporis continentis; neque ibi conseruari, sed potius ad spatium, quod est inter latera corporis continentis. Cuius ratio est, quia, cum corpus continens, & conseruās locatum, solum attingat illud per vltimam superficiem, vltima superficies corporis continentis erit absque dubio id, ad quod tendunt corpora per motum localem, vt ibi (id est, media illa) communicetur eis virtus corporum continentiu, & per illam virtutem conseruentur. Ad confirmationem dicimus, Arist. docuisse esse proprium loci naturalis corpora ad se allicere, & allecta fouere, atque cōseruare, nō quia existimauerit, in loco esse prædictas virtutes; sed quia medio loco corpora continentia locatum per suas qualitates, & virtutes alliciunt corpora locata, atque allecta fouent, & conseruant.

38 Ad quartam bene respondet Scotus hic quæst. 2. in solutione ad quintum, & quæst. 3. in solutione ad primum, ad hoc, vt duo corpora dicantur sibi inuicem succedere in eodem loco, non esse necessarium, quod superficies, à qua vnus continetur, sit in re eadem numero cum superficie, à qua aliud continebatur,

sed sufficere, quòd sit eadem per æquivalētiam, id est, quòd fundet relationes, tam continentis, quàm distantiæ ad corpora quiescentiæ eiusdem rationis specificæ cum illis, quas fundabat superficies illa, à qua aliud corpus continebatur.

39. Ad quintam etiam benè respondet Scotus quæst. 3. in solutione ad octauum negando sequelam: & ad probationem dicit, ex eo quòd terra partim circundetur ab aëre, & partim ab aqua, non benè inferri, terram esse in diuersis locis, sed, quòd infertur, est, terram esse in vno loco conflato, ex diuersis locis partialibus; quòd nullum est inconueniens.

40. Ad sextā dicimus, quòd, si corpus poneretur in vacuo propriè dicto ( quale est locus non repletus corpore, aptus tamen repleri ) licèt dici posset esse in loco communi, non tamen diceretur esse in loco proprio. Et dixi notanter in vacuo propriè dicto; nam, si vacuum impropriè sumatur, & prout idem est, quòd inane, tunc corpus nullo modo esset in loco; quia, cum nullum aliud corpus esset supra se, neque mediata, neque immediata esset in loco proprio, neque in loco communi; vt de toto vniuerso secundum se docuit Aristoteles cap. 5. huius libri.

41. Ad septimam negamus,

ex eo, quòd vltima superficies corporis continentis ponatur locus, sequi, quòd posset aliquid moueri localiter absque eo, quòd mutaret locum. Ad probationem dicimus, non quamecumque vltimam superficiem corporis continentis induere rationem loci; sed illam, quæ ad motum contenti immobilis perseverat: nam, si simul cum ipso corpore contento moueatur ( vt in casu argumenti ) tunc potius induet rationem vasis, quàm loci; rationem verò loci induet ( licèt non propriam, sed communis, tam corpori, quòd mouetur, quàm corpori continenti, quòd simul cum ipso mouetur ) vltima superficies corporis continentis vtrumque quòd immotum perseverat. Quæ doctrina est expressa Aristot. cap. 4. huius libri text. 41. Cuius hæc sunt verba. *Vt autem vas locus est, qui transferri potest; sic locus vasis immobilis. Quia propter, cum in eo, quòd mouetur, quippiam moueatur, muteturque id, quòd intus est, vt in flumine nauis, vt vase magis, quàm loco, vt in continente. Vult autem immobilis esse locus, quòd circa totus magis fluminis locus est; quia immobilis totus est.*

42. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, falsum esse còpetere *vbi*, seu præsentis realis, qua aliquid dicitur esse in loco, seu præsens loco, omnes còditiones ad rationem

nè loci requisitas; cum vna ex præcipuis sit, quòd sit omnino extra locatū; & *vbi*, seu præsentia realis nō sit extra locatū, sed potius quid inhæres in locato.

## QVÆSTIO II.

Quo pacto immobilitas sit de ratione loci?

1. Immobilitatem esse de ratione loci, eique essentialiter conuenire, licèt non primo modo dicendi per se, & vt prædicatum quidditatiuū, saltem in secundo modo dicendi per se, & vt passionē propriā, non solum docuit Arist. dū in capite 4. text. 41. locū à vase essentialiter distinguit penes hoc, quòd vas est cōtinens mobile, locus autē est cōtinēs immobile; sed etiam probauit ex perpetuo, & cōstanti omnium Philosophorū consensu: inter quos etsi fuerit dissensio in explicando, quidnam sit locus, omnes tamen affirmabant, locum debere esse immobilem. Et ratio manifesta est; quia, si locus esset mobilis de loco in locū, sequeretur, locū esse in loco; quòd admitti non potest, nisi concedendo processum in infinitum. Vnde consequēter adhæc Arist. in fine textus citati in definitione loci immobilitatis loco differētis intrinsicæ, & essentialis collocavit. 2. Sed quamuis hæc Aristot. doctrina certa sit, & ab omnibus Peripateticis recepta; à

Scoto in 2. d. 2. q. 6. §. *Ad quæstionem*, & sup. 4. Physic. q. 3. à D. Tho. hic lect. 6. & oposc. 32. quos omnes interpretes sententur: non tamen omnes cōueniunt in explicando, quo pacto immobilitas sit de ratione essentiali loci. Et ratio dissentendi est, quia, quando aliquid conuenit alicui per se, & essentialiter, eius oppositum nō potest eidem conuenire, neq; per se, neque per accidens; & tamen experimur, mobilitatem, quæ est oppositum immobilitatis, conuenire loco; nā cōuenit vltimæ superficiēi corporis continentis; ( quæ est, in qua quæstione præcedēti cū Arist. locum constitimus ) vt patet in vltima superficie aëris circū dātis turrim; quæ loco mouetur ad motū ipsius aëris; siquidem est accidens illius; & secundum commune axioma, *Motis nobis mouentur, quæ sunt in nobis.* Et idem exemplificari potest in vltima superficie aquæ circūdantis arborem existentem in fluuio, quæ mouetur localiter ad motum & fluxum aquæ: & in pluribus alijs.

3. Pererius libro 2. de loco & plures alij conuincti ratione dubitandi dixerunt, immobilitatem non esse de ratione essentiali cuiuscumque loci, sed solius loci naturalis elementorū; vt est vltima superficies cōcaua lunæ respectu ignis; & vltima superficies cōcaua ignis



nis respectu aëris; & sic de reliquis. Sed hic modus philosophandi nō placet. Primò, quia in hoc libro agit Arist. de loco in cōmuni, non secus ac de tēpore, & de alijs affectionibus entis naturalis. Secūdò, quia ratio dubitādi, si vim habet, etiā militat contra immobilitatem locorum naturalium elementorum: siquidem vltima superficies cōcaua lunæ, quæ ponitur pro loco naturali elementis ignis, mobilis est circulariter ad motum lunæ.

4 Plures Averroistæ secūdò respondent, de ratione essentiali loci esse immobilitatem, non quia locus non possit moueri, sed quia non est necesse, quod locus moueatur ad motum locati. Sed etiam non placet hic modus philosophandi; nam etiam vas non mouetur necessariò ad motum aquæ vel alterius liquoris, qui in ipso continetur; & tamen Aristot. loco supra citato affirmat, vas non esse locum, quia est mobile; locus verò immobilis: ergo prædicta immobilitas non est, quæ est de ratione essentiali loci, & per quam à vase illum Aristoteles distinxit.

5 Alij docuerunt, locum dici immobilem, non obstante, quòd moueatur ad motū corporis continētis, quia hæc motio non competit loco per se, sed per accidens, & immobilitas, quæ est de ratione essen-

tiali loci, est immobilitas per se; & per hanc distinguitur à vase, quod est mobile per se. Displicet etiam hic modus philosophandi. Primò, quia ratio supra facta ad probandum, locum esse immobilem, non solum probat, locum non posse moueri per se, sed neque moueri posse per accidens, & ad motum alterius. Secūdò, quia immobilitas loci non debet competere alijs accidentibus; aliàs non esset illi intrinseca, & essentialis: constat autem, hoc, quod est, non moueri per se, sed per accidens, & ad motum alterius, esse quid commune omnibus accidentibus.

6 Propter hæc D. Thom. vbi supra, & communiter omnes Thomistæ affirmant, locum dici immobilem; quia etiam si materialiter sumptus, hoc est, pro vltima superficie corporis continentis, mobilis sit, saltē per accidens; (vt exempla adducta in ratione dubitandi perspicuè ostendunt) tamen sumptus formaliter, hoc est, pro respectu continentis, quem dicit ad contentū; & similiter pro respectu distantis, quem dicit ad puncta fixa vniuersi, immobilis est; eo quòd transacta vltima superficie aquæ vel aëris, quæ continebat arborem, vel turrim, manent eadem relationes continentis, & distantis in vltimis superficiebus aëris, vel aquæ;

aque; quæ succedūt prioribus. 7 Sed contra hunc modum philosophandi, inquātum affirmat, transactis vltimis superficiebus aëris, vel aquæ circumdantibus turrim, vel arborem, non transire, neque corrumpi relationes continentis, & distantis, sed eandem numero manere in superficiebus vltimis aëris, vel aquæ prioribus succedentibus, oprime obijcit Scotus loco secundi supra citato. Corrupto subiecto corrumpitur omne accidēs ipsius, siue absolutum, siue respectiuum sit; sed superficies vltima aëris circumdantis turrim, seu aquæ circumdantis arborem, est subiectum, tam relationis continentis, quàm distantis; (quæ sunt, in quibus formaliter consistit locus) ergo transacta, seu corrupta prædicta superficie transibunt etiā, vel corrumpētur prædictæ relationes, & aliæ distinctæ numero resulabunt in superficie aëris, vel aquæ de nouo succedenti. Nisi velis dicere, accidens migrare de vno subiecto in aliud, quod est absurdum. 8 Nec valet, quod aliqui recentiores respondent, relationem distantis ad puncta fixa, (quæ est, ratione cuius attenditur in loco passio immobilitatis) non subiectari in vltima superficie corporis continentis, sed potius in ipso corpore contento. Hoc (inquam) non valet; nam

licet hac solutione vti possint, qui contra Arist. & omnes Peripateticos sustinent, locum non esse vltimam superficiem corporis continentis, sed potius locum esse *vbi*, seu præsentiam realem, quæ est terminus per se motus localis, & intrinsecè inhæret in ipso corpore locato: (quem modum philosophandi ex professo reiecitimus questione præcedenti) immo ex his non omnes, sed solum, qui hoc *vbi*, seu præsentiam realem cōtingūt, esse modum absolutum, & omnino indepēdentem in suo esse à corporibus extrinsecis. (Quòd figmentum quæstione sequenti repellam.) Non tamen vti possunt ista solutione, qui cum Arist. Scoto, D. Thom. & cæteris alijs Peripateticis affirmāt, locum esse vltimam superficiem corporis continentis, pro materiali, & denominato dicentem vltimam superficiem, & pro formali, & propter se significato relationē continentis. Quod hac ratione cōuincitur manifestè. Omnis propria passio alicuius accidentis in illo, subiectatur, in quo subiectatur essentia accidentis, cuius dicitur propria passio. Sed relatio continentis, quæ est essentia loci, subiectatur in vltima superficie corporis continentis: ergo & relatio distantis, quæ est, ex qua attenditur immobilitas, seu propria passio loci,

etiam in vltima superficie corporis continentis subiectabitur.

9 Nobis autem distinguenda est cum Scotō loco secundū citato duplex immobilitas in loco; quædam opposita mutui locali, & quædam opposita motui corruptiuo; quæ propriè non immobilitas, sed incorruptibilitas appellatur. Quæ distinctione supposita duo dicit. Primum est, immobilitatem, tam per se, quàm per accidens oppositam motui locali esse de ratione loci, eique intrinsecè, & tanquam propriam passionem conuenire, non sumpto materialiter, & pro denominato, scilicet, pro vltima superficie corporis continentis; (hæc enim mobilis est localiter, licet non per se, saltem per accidens, & ad motum continentis, vt exempla allata in ratione dubitandi ad oculum ostendunt.) Sed sumpto formaliter, & pro relatione continentis, & distantis ad puncta fixa vniuersi. Et in hoc sensu intelligendum est commune assertum de immobilitate loci; & hoc probat ratio facta pro illo. Nec contra hoc militant exempla adducta in ratione dubitandi; vt per se notum est.

10 Secundum est, immobilitatem oppositam motui corruptiuo, seu (vt proprius loquar) incorruptibilitatem non esse de ratione loci, neque ma-

terialiter, neque formaliter sumpti: posse nihilominus (quoties locatum non mouetur, sed solum mouetur superficies corporis continentis, vt in exemplis adductis in ratione dubitandi) locum appellari incorruptibilem secundum æquivalentiam per comparationem ad motum localem. Priorē partē huius asserti probauit Scotus argumento contra modum philosophandi D. Tho. num. 7. relato. Posteriores verò inde probat; quia etiam si tractis vitimis superficiebus aeris, vel aquæ circundantibus turrin, vel arborem, realiter corrumpantur relationes continentis, & distantis ad puncta fixa vniuersi, & alia relationes reales distinctæ numero de nouo resultent in vitimis superficiebus aeris, vel aquæ succedentibus; tamen ista ratio loci succedens, quæ in rei veritate est alia secundum numerum à ratione loci præcedenti, est eadem numero per æquivalentiam, quantum attinet ad motum localem: nam ita incompossibile est, localem motum esse à loco corrupto adhuc locum de nouo generatum; ac si esset in rei veritate idem numero locus, si quidem motus localis solum potest verificari ab vno *vbi* ad aliud *vbi*, quando his duobus *vbi* correspondent duo loca specie differentia; vt sunt sola, & omnia illa, inter quæ intercedit aliquod

quod spatium; nam si loca, quæ duobus *vbi* correspondēt, tantum sunt numero differentia, vt contingit solum, & semper, quod inter ipsa nullum interuenit spatium; tam ipsa loca, quàm ipsa *vbi*; etsi in rei veritate numero differant, quantum attinet ad motum localem æquivalent eidem numero loco, & eidem numero *vbi*. Aliqualiter (inquit Scotus) declarari potest exemplo desumpto ex nominibus significatiuis: quia hæc vox *homo*, etiam si multoties præferatur, dicitur eadem numero vox, & distinguī numero ad hæc voce *lapis*; cum tamen in rei veritate vox *homo*, multoties prolata, non vna numero, sed plures numero voces sint: & similiter in rei veritate hæc vox *homo*, & hæc vox *lapis*, non solum numero; sed etiam specie differant. Tamen hoc contingit (subdit Scotus) quia ad finem vocis, scilicet, ad exprimendum conceptum per æquivalentiam sunt idem *homo*, & *homo*, & ideo hæc duæ voces dicuntur eadem numero vox secundum æquivalentiam respectu finis, qui est exprimere conceptum.

11 Ex qua doctrina colliges, quàm frivolum sit argumentum, quo aliqui vti solent ad probandum, locum non esse vltimam superficiem corporis continentis: quod sic confirmari solet. Si per variationem su-

perficerem vltimarum aeris circundantis turrin, variantur non solum vltima superficies, (quam in nostra sententia locus dicit pro materiali) sed etiam relationes continentis, & distantis (quas locus in nostra sententia dicit pro formali, priorem tanquam essentiam, & posteriorem, tanquam passionem) ergo turrin mutat loca, & consequenter mouetur localiter immota perseverans.

12 Respondeo enim ex doctrina tradita negando consequentiam: nam, cum hæc loca, quæ se inuicem succedunt per corruptionem rationis formalis vnius, & generationem, seu resultantiam alterius, non differant specie (nō enim datur aliquod spatium inter ipsa) sed solum numero: & si in rei veritate distincta numero sint; tamen comparando illa ad motum localem sunt per æquivalentiam eadem numero: nam ita impossibile est, motum localem esse ex vno ex his locis ad alium, ac si essent in rei veritate idem numero locus.

13 Ex dictis tam in hac, quàm in præcedenti quæstione patet, quàm optime Aristotel. text. 41. locum his verbis definiat: *Est terminus continentis immobilis primo*. Vbi terminus (qui idem valet, ac superficies, estque quod pro materiali dicit locus) ponitur loco generis: & *ly. continentis* (per quod exprimitur ratio forma-

etiam in vltima superficie corporis continentis subiectabitur.

9 Nobis autem distinguenda est cum Scoti loco secundum citato duplex immobilitas in loco; quædam opposita mutui locali, & quædam opposita motui corruptiuo; quæ propriè non immobilitas, sed incorruptibilitas appellatur. Quæ distinctione supposita duo dicit. Primum est, immobilitatem, tam per se, quàm per accidens oppositam motui locali esse de ratione loci, eique intrinsecè, & tanquam propriam passionem conuenire, non sumpto materialiter, & pro denominato, scilicet, pro vltima superficie corporis continentis; (hæc enim mobilis est localiter, licet non per se, saltem per accidens, & ad motum continentis, vt exempla allata in ratione dubitandi ad oculum ostendunt.) Sed sumpto formaliter, & pro relatione continentis, & distantis ad puncta fixa vniuersi. Et in hoc sensu intelligendum est commune assertum de immobilitate loci; & hoc probat ratio facta pro illo. Nec contra hoc militant exempla adducta in ratione dubitandi; vt per se notum est.

10 Secundum est, immobilitatem oppositam motui corruptiuo, seu (vt proprius loquar) incorruptibilitatem non esse de ratione loci, neque ma-

terialiter, neque formaliter sumpti: posse nihilominus (quoties locatum non mouetur, sed solum mouetur superficies corporis continentis, vt in exemplis adductis in ratione dubitandi) locum appellari incorruptibilem secundum æquivalentiam per comparationem ad motum localem. Priorè partem huius asserti probauit Scotus argumento contra modum philosophandi D. Tho. num. 7. relato. Posteriores verò inde probat; quia etiam si factis vltimis superficiebus aeris, vel aquæ circundantibus turrim, vel arborem, realiter corrumpantur relationes continentis, & distantis ad puncta fixa vniuersi, & aliæ relationes reales distinctæ numero de nouo resultent in vltimis superficiebus aeris, vel aquæ succedentibus; tamen ista ratio loci succedens, quæ in rei veritate est alia secundum numerum à ratione loci præcedenti, est eadem numero per æquivalentiam, quantum attinet ad motum localem: nam ita impossibile est, localem motum esse à loco corrupto adhuc locum de nouo generatum; ac si esset in rei veritate idem numero locus: si quidem motus localis solum potest verificari ab vno vbi ad aliud vbi, quando his duobus vbi correspondent duo loca specie differentia; vt sunt sola, & omnia illa, inter quæ intercedit aliquod

quod spatium; nam si loca, quæ duobus vbi correspondēt, tantum sunt numero differentia, vt contingit solum, & semper, quod inter ipsa nullum interuenit spatium; tam ipsa loca, quàm ipsa vbi, etsi in rei veritate numero differant, quantum attinet ad motum localem æquivalent eidem numero loco, & eidem numero vbi. Aliqualiter (inquit Scotus) declarari potest exemplo desumpto ex nominibus significatiuis: quia hæc vox homo, etiam si multoties proferatur, dicitur eadem numero vox, & distingui numero ad hæc voce lapis; cum tamen in rei veritate vox homo, multoties prolata, non vna numero; sed plures numero voces sint: & similiter in rei veritate hæc vox homo, & hæc vox lapis, non solum numero; sed etiam specie differant. Tamen hoc contingit (subdit Scotus) quia ad finem vocis, scilicet, ad exprimendum conceptum per æquivalentiam sunt idem homo, & homo, & ideo hæc duæ voces dicuntur eadem numero vox secundum æquivalentiam respectu finis, qui est exprimere conceptum.

11 Ex qua doctrina colliges, quàm frivolum sit argumentum, quo aliqui vti solent ad probandum, locum non esse vltimam superficiem corporis continentis: quod sic efformari solet. Si per variationem su-

perficerem vltimarum aeris circundantis turrim, variantur non solum vltima superficies, (quam in nostra sententia locus dicit pro materiali) sed etiam relationes continentis, & distantis (quas locus in nostra sententia dicit pro formali, priorem tanquam essentiam, & posteriorem, tanquam passionem) ergo turris mutat loca, & consequenter mouetur localiter immota perseuerans.

12 Respondeo enim ex doctrina tradita negando consequentiam: nam, cum hæc loca, quæ se inuicem succedunt per corruptionem rationis formalis vnus, & generationem, seu resultantiam alterius, non differant specie (nō enim datur aliquod spatium inter ipsa) sed solum numero: & si in rei veritate distincta numero sint; tamen comparando illa ad motum localem sunt per æquivalentiam eadem numero: nam ita impossibile est, motum localem esse ex vno ex his locis ad alium, ac si essent in rei veritate idem numero locus.

13 Ex dictis tam in hac, quàm in præcedenti quæstione patet, quàm optime Aristotel. text. 41. locum his verbis definiat: Est terminus continentis immobilis primò. Vbi terminus (qui idem valet, ac superficies, estque quod pro materiali dicit locus) ponitur loco generis: & ly. continentis (per quod exprimitur ratio forma-

lis loci) ponitur loco differentie communis: nam etiam si per hanc particulam differat locus ab ultima superficie corporis contenti; tamen in ipsa conuenit cum vase. Ponitur etiam *ly immobilis*, per quod explicatur propria passio loci pro differentia ultima: nam per hanc particulam differt locus a vase. Et demum additur *ly primo* ad denotandum, locum esse, cui primo competit immobilitas opposita motui locali ad differentiam *ubi*, seu presentie localis, cui etiam si per se competat immobilitas opposita motui locali, sed non primo, sed potius secundo, scilicet, ratione loci, qui est terminus *ubi*, seu presentie localis; & a quo *ubi* sicut accipit esse, ita & immobilitatem accipit.

### QVÆSTIO III.

*Quibus rebus conueniat esse in loco?*

**I****V**T explicemus, quibus rebus conueniat esse in loco, prius examinandum est, quid sit, rem esse in loco. Licet enim omnes affirmant, rem esse in loco nil aliud esse, quam habere presentiam in loco; quæ presentia accidens quoddam est pertinens ad prædicamentum *ubi* (quæ eo ipso *ubi* communiter appellatur) intrinsicè inherens in re, quæ dicitur esse in loco, & per se terminans localem motum: differant in

explicando, in quo nam consistat istud accidens; istud *ubi*; ista presentia?

2 Martinius *Disputando* 5. affirmat, consistere in quodam modo absoluto, & omnino independenti tam à corporibus extrinsecis, quam à spatio imaginario, natura sua fixo, & immobili, qui taliter corpus afficit, ut certæ distantie capax reddat. Unde *ubi*, seu presentiam istam sic definit. *Est modus immobilis corporis mobilis; vel aliter. Est modus absolutus, quem propinquitas, & longinquitas secuntur.* Aduertit etiam hic auctor, istum modum presentie debere esse quid realiter distinctum ab existentia, adhuc in sententia eorum, qui existentiam ab actuali essentia distinguunt; nam existentia solum præstat, ut res simpliciter dicatur esse extra causas: at modus iste presentie præstat, ut res, postquam existens est, dicatur esse hic, vel illic. Unde concludit, quod, si Deus faceret, quod duæ res existerent in rerum natura sine his modis presentie, tunc illæ res nullibi essent; & consequenter adiuicem comparatæ nec propinquæ, nec longinquæ dicerentur.

3 Porro *ubi*, seu presentiam, à qua res habet esse in loco, esse modum absolutum, & omnino independentem ab omni-

nibus corporibus extrinsecis rei, quæ dicitur esse in loco, (quod est assertum, in quo hic auctor discedit à sententia Scoti, quæ, ut statim dicam, *ubi*, seu presentiam in respectu extrinsecis adueniente, quem res, quæ est in loco, dicit ad ipsum locum, constituit) inde probat; quia in variatis extrinsecis potest res acquirere diuersa *ubi*, seu presentias locales: & è contra variatis extrinsecis potest res conseruare idem *ubi*, seu presentiam localem: quorum utrumque esset impossibile, si *ubi*, seu presentia localis non in aliquo absoluto, & omnino independenti ab omnibus corporibus extrinsecis, sed potius in aliquo respectu, quem res, quæ est in loco dicat ad ipsa corpora extrinseca, collocetur. Assumptum quodam utramque partem probat instantijs. Quoad primam partem instantia vtrius vni pleni, qui, si moueatur, certum est moueri etiam vni, & consequenter acquirere diuersum *ubi*, seu presentiam localem; & tamen certum est, non variari corpus extrinsecum, à quo immediate continetur; quia semper concluditur intra eundem vtrius. Quoad secundam partem instantia turris, quæ semper conseruat idem *ubi*, seu presentiam localem, & tamen continuò variatur aer ipsam extrinsecè circumstans.

4 Sed quamuis verissimum

sit, *ubi*, seu presentem, à qua res habet esse in loco, debere esse quid fixum, & immobile, non secus ac est quid fixum, & immobile ipse locus, qui est terminus, a quo *ubi*, seu presentia localis suam specificationem desumit; tamen falsissimum est asserere, *ubi*, seu presentiam, à qua res habet esse in loco, esse aliquid absolutum. Immo addo, illos, qui *ubi*, seu presentiam apprehendunt, ut modum absolutum, chimeram fabricare: non secus ac fabricant chimeram, qui relatione, ut quid absolutum, & omnino independens à suo termino apprehendunt. Nam ubicatio, seu forma, à qua res denominatur presens in loco, ratio quædam est, vel faltem illam includit. (Quis hoc neget; cum totum esse presentis in loco sit ad aliud se habere?) habens pro subiecto ipsam rem, quæ dicitur esse in loco, & pro termino ipsum locum.

5 Et confirmatur; nam sic philosophantes contendunt duobus contradictoria componere, quod palam est chimeram fabricare: siquidem ex vna parte cum vera, & communi sententia sustinent, *ubi*, seu presentiam localem esse immobilem: & ex alia contendunt, esse accidens, seu modum absolutum omnino independentem tam à corporibus extrinsecis ambientibus, quam à loco imaginario; qui eo ipso erit mobilis, faltem per

per accidens, & ad motum sui subiecti; non secus ac sunt omnia accidentia materialia, quæ ita absoluta sunt, vt in suo esse, neque dependant à corporibus extrinsecis ambientibus, neque à loco imaginario. 6 Et ratio à priori huius doctrinæ est, quia immobilitas opposita motui locali per se primo competit loco; *vbi* verò, seu præsentia locali per se secundo, scilicet, ratione loci, & per ordinem ad illud: (vt questione præcedenti n. 13. animaduerti) ergo vel dicendum est, *vbi*, seu præsentiam localem esse aliquem respectum habentem pro termino ipsum locum (sive locus dicatur vltima superficies corporis continentis, sive spatium imaginarium: de hoc modo non curo) à quo sicut per se recipit entitatem, ita & immobilitatem: vel, si ponitur esse aliquid absolutum, & omnino independens à loco, tã reali, quàm imaginario (vt Martinez ponit) necessarium fatendum erit, *vbi*, seu præsentiam localem non esse immobilem; quia non est, vnde ei immobilitas adueniat: siquidem hæc primo reperitur in loco; in alijs verò ratione loci, seu (quod idem est) per ordinem, & dependentiam à loco.

7 Quibus adde, ex sententia Martinezi sequi mobile per motum localem mutari absolute, & in se ipso, non secus ac mutatur, quod alteratur, &

quod incrementa, decrementa uè suscipit. Quod expressè negat Arist. 8. Physic. cap. 7. text. 39. Cuius verba retulimus, lib. 3. disp. 1. q. 4. num. 2. Nec valet, quod respondet Martinezi, Arist. negasse mobile per motum localem mutari; quia Aristotelem, immo & omnes antiquos latuit hic modus præsentia localis: nam etsi verum sit, tam Arist. quàm omnes alios Philosophos, & Theologos latuisse hunc modum præsentia localis consistentem in aliquo absoluto, & omnino independentem, tam à corporibus extrinsecis, quàm à spatio imaginario, qui ex suo cerebro confingitur à Martinezi: tamen modum præsentia localis consistentem, vel saltem includentem aliquem respectum, qui per se terminet motum localem, & intrinsecè inheret in eo, quod mouetur, & à quo mobile mutatur, licet non absolute, & in se ipso, sicut, quod alteratur, & augetur, saltem respectiue, & in ordine ad locum, neque Aristotelem, neque Scotum, neque D. Thomam latuisse, ex professo ostendi lib. 3. disp. 1. q. 4.

8 Neque fundamentum Martinezi multum viget, negamus enim, inuariatis extrinsecis posse rem aliquam acquirere diuersa *vbi*, seu præsentias locales; & è contra variatis extrinsecis posse aliquam rem conseruare idem *vbi*, seu præsentiam

localem; si nomine extrinsecorum intelligat Martinezi ipsum locum, qui est extrinsecum, à quo *vbi*, seu præsentia localis per se pedit. Et ad prioris partis probationem fatemur libèter, in casu, quod vter plenus vino moueatur, moueri etiam ipsum vinum, & consequenter acquirere diuersa *vbi*, seu præsentias locales; sed negamus in dicto casu non variari, & multiplicari loca vini, sicuti & variantur, & multiplicantur *vbi*, seu præsentiae locales illius. Neque oppositum rectè colligitur ex eo, quod vter, qui est corpus extrinsecum, à quo immediatè continetur, non variatur; nam in dicto casu vinum non vtitur vtre, à quo immediatè continetur, tanquam loco, sed tanquam vase: loci autem rationem induit (licet non proprii, sed communis, tã vino, quàm vtri) vltima superficies corporis continetis vtriusque: quod immotum perseuerat; vt in simili casu q. 1. n. 4. 1. ex doctrina expressa Aristotelis comprobabimus.

9 Ad secundæ partis probationem negamus, in rei veritate turrim conseruare idem numero *vbi*, seu præsentiam localem; quoties aer, qui ipsam extrinsecè circumstat, variatur; nam sicut in dicto casu in rei veritate variatur locus; tã materialiter, quàm formaliter sumptus, ita & quod in rei veritate in ipsa turri variatur *vbi*,

seu præsentia localis, quæ per se pendet à loco, necessarium est. Quod si communiter dicimus, turrim habere idem *vbi*, seu præsentiam localem, non obstante, quod aer ipsam extrinsecè circumstans varietur, hoc est propter eadem rationem, qua questione præcedenti num. 10. diximus, etiam communiter dici, habere eundem locum, nimirum; quia etiam si *vbi*, quod corrumpitur, & *vbi*, quod de nouo refultat, in rei veritate distincta numero sunt; sunt tamen per ordinem ad motum localem eadem numero per æquivalentiam: cum ita impossibilis sit motus localis turris ab *vbi*, quod corrumpitur ad *vbi*, quod de nouo generatur, ac si essent in rei veritate idem numero *vbi*: siquidem motus localis solum potest versari ab vno *vbi* ad aliud, quãdo his duobus *vbi* correspondet duo loca specie differentia; vt sunt sola, & omnia illa, inter quæ interuenit aliquod spatium. Recedantur ibi dicta.

10 Inter recentiores Thomistas communis sententia est, *vbi*, seu præsentiam localem formaliter neque consistere in solo modo absoluto; (vt præcedens sententia asserbat) neque in solo aliquo respectu; (vt tenet Scotus infra citandus) sed in quodam modo absoluto includente respectum transcendentalem ad locum; & solum inter ipsos est dissensus. Nam Hur-

Hurtado, & alij, qui existimant, locum non esse ultimam superficiem corporis continentis; sed spatium imaginarium, dicunt hunc respectum transcendentalem, quem in sua ratione formali includit *vbi*, non terminari ad ultimam superficiem corporis continentis; sed spatium imaginarium. Atqui cum Arist. defendunt, locum non esse spatium imaginariū; sed ultimam superficiem corporis continentis immobilem primò, è contrario sustinent, hunc respectum transcendentalem, quā in sua ratione formali includit *vbi*, non terminari ad spatium imaginarium; sed ad ultimam superficiem corporis continentis immobilem primò.

11 Priorem partē huius sententiæ probant (omitto rationes, quas contra Martinez nos adduximus) quia, si *vbi*, seu præsentia localis consisteret formaliter in solo modo absoluto, nos optimè concipere possemus *vbi*, seu præsentiam localem absque ordine ad locū. Sed est impossibile, quòd concipiatur ratio formalis *vbi*, seu præsentia localis, absque ordine ad locum: ergo *vbi*, seu præsentia localis non consistit formaliter in solo modo absoluto. Posteriores partem suadent: quia ad relationem non datur per se motus, ex Arist. 5. huius operis. Sed ad *vbi* datur per se motus localis ( vt in

principio huius quæstionis, vt certum, supposuimus, & expressio docuit Arist. 5. Metaphys. cap. 9.) ergo *vbi* formaliter non consistit in sola aliqua relatione, seu respectu.

12 Sed hic modus philosophandi nobis placere non potest, quia impossibile iudicamus, vnum per se ( quale omnes reputant rationem formalem *vbi*, seu præsentia localis) posse ex absoluto, & respectivo coalescere; si respectiuum sit tale secundum esse: qualis est vera relatio non solum prædicamentalis; sed etiam transcendentalis: sequeretur enim ex opposito manifesta contradictio, nimirum, quòd idem non solum realiter; sed etiam essentialiter, & quidditatiuè esset ad se, & ad aliud, & consequenter ad se, & non ad se: vt in simili loquens de inhærentia contra eos, qui sustinent, esse de essentia accidentis absoluti, optimè intulit Scotus in 4. d. 12. q. 1. Vel ergo Authores isti cum Martinez sustineant, *vbi*, seu præsentiam localem formaliter solum consistere in modo quodam absoluto: vel, si hoc eis, sicut & nobis, videtur imperceptibile, fateantur cum Scoto, *vbi*, seu præsentiam localem formaliter in solo respectu extrinsecus adueniente consistere: cum in hoc nullum appareat inconueniens: nam illud, quod ex Arist. obijciebant, scilicet, ad relationes non da-

dari per se motum, iam sapè dictum est, loqui ibi Philosophum solum de relationibus intrinsecè aduenientibus, quæ sunt, quæ in tertio prædicamēto collocātur, non verò de aduenientibus extrinsecus, vt est relatio, quā pro formali dicit *vbi*; immò & cætera vltima prædicamenta.

13 Dicendum igitur nobis est cū Scoto multis in locis, sed præcipuè quodlib. 11. & in 4. d. 10. q. 1. & in 2. d. 2. q. 6. *vbi*, seu præsentiam localem, quæ est forma, à qua reshabet, quòd sit in loco, formaliter consistere in quodam respectu extrinsecus adueniente, qui per se terminat motum localem, habere pro subiecto, in quo inhæret, rem illam, quæ mouetur, & dicitur esse in loco; & pro termino, à quo in suo esse, & consequenter in sua specificatione dependet, ipsum locum, qui in nostra, & periparetica sententia, non in spatio imaginario, sed in vltima superficie corporis continentis immobili primò consistit. Vndè consequenter dicimus, etsi *vbi*, seu præsentia locali per se conueniat immobilitas opposita motui locali; & similiter per se illi conueniāt diuersæ positiones, quæ sunt differentia loci; vt sunt sursum, deorsum, antè, retro, dextrorsum, & sinistrorsum; & similiter per se illi conueniat fundare relationes propinquitatis, & distantia: tamen hæc

omnia per se primò conuenire loco; *vbi* verò, seu præsentia locali per se secundò, & inquantum à loco, tanquam à termino ipsius sicuti accipit esse, ita & huius modi proprietates. Et in hoc sensu intellectam definitionem *vbi*, quam tradidit Gilbertus his verbis: *Est circumscriptio passiva à circumscriptione loci proueniens*, esse optimam. Non enim per hæc verba denotatur, *vbi* esse aliquam denominationem extrinsecam in re, quæ dicitur esse in loco à loco circumscribente ipsam, tanquam à forma prouenientem. Nec similiter denotatur, locum per suam circumscriptionem in re circumscripta effectiuè *vbi* producere. Sed, quod denotatur, est, locum esse terminum per se respectus extrinsecus aduenientis, in quo formaliter consistit *vbi*: & consequenter *vbi* à loco circumscribenti, tanquam à termino per se ipsius, accipere esse, & specificationem non secus, ac suis terminis per se esse, & specificationem accipiunt cætera relationes.

14 Aduertit etiam Scotus locis citatis ( quod maximè nota ad claram resolutionem propositæ quæstionis) *vbi*, seu præsentiam localem, à qua res creatæ formaliter habent, & denominatur esse in loco, esse in duplici differentia. Nam aliud est *vbi* dif-

definitiuum; & aliud circumscriptionem. Quæ diuisio ut plenius intelligatur, annotandum est, quod sicut res, quæ dicuntur esse in loco, sunt in multiplici differentia; nam alia est increata, ut Deus; cæteræ verò creatæ; inter quas quædam sunt spirituales, & incapaces quantitatis molis, ut Angeli, & anima rationalis; quædam verò materiales; quæ eo ipso natura sua petunt affici quantitate molis; ita modus essendi in loco connaturalis istis rebus est etiam in multiplici differentia. Nam alius est modus essendi in loco indefinitè, id est, sine termino, seu sine; & hic modus essendi in loco solum competit Deo, qui ratione suæ immensitatis petit esse præsens omni loco. Alius est modus essendi in loco definitè, id est, finito, & determinato; & hic modus essendi in loco competit omnibus creaturis, tam spiritualibus, quam materialibus, quæ, cum natura sua finitæ sint, ita & natura sua petunt esse in finito, & determinato loco.

15 Rursus modus essendi in loco finito, & determinato (qualis est, qui conuenit creaturis) diuiditur in modum essendi in loco circumscriptionem; & in modum essendi in loco definitiue (appropriato sibi nomine communi.) Quæ est diuisio, quam locis citatis tradidit Scotus. Modus essendi in loco

circumscriptionem conuenit rebus, quæ ita habent partes quantitatiue extensas in loco, ut tota res, quæ continetur in loco, correspondeat toti loco, & partes eius partibus loci. Modus verò essendi in loco definitiue conuenit rebus, quæ, cum nullam habeant extensionem quantitatiuam in loco, sunt in illo indiuisibiliter, ita ut tota res, quæ continetur in loco, correspondeat toti loco, & tota cuiilibet parti illius.

16 Priori ex his modis sunt connaturaliter in loco omnes res materiales, tam substantiales, quam accidentales. Et dico notanter *connaturaliter*; nam connaturaliter petunt affici quantitate habente partes actualiter extensas in ordine ad locum. Nam, si Deus potentia sua absoluta denudaret ipsas ab omni quantitate, vel saltem tolleret à quantitate actualem extensionem in ordine ad locum (ut de facto contingit in corpore Christi existente in Eucharistia) tunc prædictæ res materiales, tam substantiales, quam accidentales, non essent in loco circumscriptionem; cum hic modus existendi in loco solum illis conueniat ratione actualis extensionis in ordine ad locum, quem habent à quantitate; sed haberent quandam modum essendi in loco supernaturalem valde similem modo essen-

endi in loco definitiue, quod res spirituales sunt in loco; si quidem essent in loco modo indiuisibili, ita ut totæ essent in toto loco, & totæ in quolibet parte loci; & solum esset discrimen inter hunc modum essendi in loco definitiue, & modum essendi in loco definitiue rerum spiritualium, quod hic esset supernaturalis, & materialis, non secus ac sunt materiales res, quæ sunt in loco: modus autem essendi in loco definitiue rerum spiritualium est illis connaturalis, & insuper est spiritualis, non secus ac ipsæ res, quæ sunt in loco.

17 Posteriori verò ex his modis sunt per se in loco omnes res spirituales, ut sunt Angeli & animæ rationales separatæ. Et dico notanter *per se*, nam, si non sint in loco per se; sed per accidens (ut de anima, quæ diu actu informat corpus, docuit Arist. cap. 5. tex. 45.) eo modo erunt in loco, quo fuerit illud, ratione cuius sunt in loco. Vnde, cum corpus sit in loco circumscriptionem, etiam anima rationalis, quando non est separata; sed actu informat corpus, dicitur esse in loco circumscriptionem, non secus ac dicitur ipsum corpus, ratione cuius habet tunc, quod sit in loco.

18 Non me later, Martinum *discutiendo* 6. hanc diuisiōem *ubi*, seu modi essendi in loco in circumscriptionem,

& definitiuum cōtempisse ignorando forsitan, diuisiōem istam, non solum apud Scotum, & eius affectas, sed etiam apud D. Thom. 1. par. q. 52. art. 2. & eius sectatores; immo & apud omnes Philosophos, & Theologos (vno Vazquesio dempto) esse plausibilem; & quod diuisiōes antiquas, sicut & definitiones tenemur venerari; præsertim si ad oppositum nullum urgeat fundamentum. Quam autem fragili nititur arundine, ut in Auctores huius diuisiōis ita garrulos insulset eos magistros non intellectuales; sed sensuales vocitando, ostendam illic, dum de modo, quo spiritus sunt in loco, sermo fiat.

19 His prælibatis, accedamus ad explicandum, quibus rebus conueniat esse in loco, quod est, quod inquiritur in hac quæstione. Sed quia non est de omnibus eadem ratio ad hoc, ut affirmemus, vel negemus esse in loco, possumus, res, de quibus dubitari potest, an sint, vel non sint in loco ad quatuor classes reducere. In prima collocandus est solus Deus. In secunda res spirituales, ut sunt Angeli, & anima rationalis. In tertia omnes res corporales, excepta vltima sphaera, quæ, quia à nullo superiori corpore continetur, de ea currit specialis difficultas; & ideo ipsa sola in quarta classe erit collocanda.

20 Si sermo sit de Deo, affirmant omnes, Deum esse in loco indefinite, id est, Deum esse in omni loco, siue vbiq. Quod intelligendum est, Deo conuenire ratione attributi immensitatis sine vlla illius mutatione, vel noua affectione. Et similiter intelligendum est de loco reali: nam vtrum Deus sit in spatijs imaginarijs, an non? controuertitur inter Theologos; à qua controuersio nunc abstinemus, quia theologa est, nec pertinens ad nostrum institutum.

21 Si sermo sit de rebus spiritualibus, vt sunt Angeli (& idem dicendum est de anima rationali in statu separationis à corpore considerata) conueniunt etiam omnes Theologi in 2. d. 6. & D. Thom. & sequaces 1. p. q. 52. re vera esse in loco. Id enim colligitur manifestè ex scriptura; nã de Angelis malis dicitur Apocalip. 12. *locus non est inuentus amplius eorum in calo.* Et multis alijs scripturæ locis Angeli dicuntur moueri localiter; & mitti ex vno ad alium locum. Et de anima Christi Domini fides docet in illo triduo separationis à corpore descendisse ad inferos: & de alijs animabus hominum in instanti separationis a corpore ire vel ad Purgatorium, vel ad cælum, vel ad inferos. Nec oppositum huius docuit Arist. cum text. 47. dicit solum

corpus esse in loco: nam ibi solum loquitur de modo essendi in loco circumscriptiue; quod verissimum est, per se solum corporibus conuenire posse. Et in eodem sensu loquitur Boetius in libro *An omne, quod est, bonum sit?* cum dicit, *communis animi conceptio apud sapientes est, incorporalia non esse in loco.*

22 Sed quãuis omnes Theologi affirmant, Angelos, & animam separatam esse in loco; dissident tamen in explicando, quo pacto dicantur esse in loco. Vazquez tomo 2 super 1. p. disp. 183. & 195. & tomo 3. sup. 3. p. disp. 189. sustinet, Angelos & animam separatam non esse in loco per aliquod *vbi*, quod sit intrinsecè in ipsis existens, & per se terminans localem motum; sed esse in loco denominatione extrinseca ab *vbi*, quod est in corporibus, tanquam à forma proueniẽte. Sed quia Angeli attenda eorum substantia, non habent, quod actu extrinsecè denominentur esse in loco ab *vbi* existente in isto corpore magis quàm ab *vbi* existente in quocumque alio corpore: immo à nullo extrinsecè esse in loco denominantur, attenda sola (vt dixi) eorum substantia; ideo Vazquez excogitauit quẽdã modũ vnionis, quo substantia Angeli (pro libito ipsius Angeli) cum hoc, vel illo

cor-

corpore vniretur; & mediante ista vnione tanquã cõditione præuie requisita, ab *vbi* intrinsecè existente in hoc, vel illo corpore, extrinsecè esse in hoc, vel illo loco Angelus denominetur.

23 Ex hac doctrina dum sermonem de motu locali Angeli sermonẽ instituit Vazquez, præsertim disp. 195. citata hæc annexit consecutaria. Primum est, Angelũ posse variã mutare loca sine vlla sui intrinseca mutatione, scilicet, si cõseruata vnione ad corpus, ipsum corpus localiter moueretur: tunc enim nulla mutatio intrinseca fieret in Angelo; sed solũ intrinsecè mutaretur ipsũ corpus, cui Angelus vnitus est, per receptionẽ noui *vbi* in ipso intrinsecè in existentiis: quod *vbi* senti, & diuersũ est ab *vbi* corrupto; ita & diuersam denominationem extrinsecam essendi in loco tribueret Angelo ab illa, quam ab *vbi* corrupto esse in loco denominabatur.

24 Secundum consecutarium est, ad hoc, vt immotis corporibus Angelus ex vno loco ad alium moueatur, solum exigere, quod relicta vnione, quam habebat cum corpore existente in isto loco, cũ corpore existente alibi vniantur; nam in dicto casu desinet Angelus extrinsecè denominari esse in loco ab *vbi* corporis, cum quo prius erat vnitus; & incipiet de nouo denominari extrinsecè esse

in loco ab *vbi* corporis, cum quo de nouo reunitur. Vnde aduertit, multũ desiderare motum localem, quo corpora per se mouentur, à motu locali, quo per se mouentur Angeli; nam motus localis, quo per se mouentur corpora, habet pro termino aliquid intrinsecũ in ipso corpore, quod mouetur, scilicet, *vbi*, ratione cuius ab alijs distat. At motus localis, quo per se mouetur Angelus, non habet pro termino aliquid intrinsecũ in ipso Angelo, qui dicitur moueri; nam in Angelo, etsi sit aliqua variatio intrinseca proueniens à modo vnionis; tamẽ hic modus vnionis non est terminus per se motus localis; cũ ratione illius nõ habeat Angelus, quod ab alijs distat, sed solum, quod huic corpori coniungatur; sed habet pro termino *vbi* existens in corpore, cui vnitur Angelus, & à quo ipse Angelus extrinsecè esse in loco denominatur.

25 Tertium consecutarium est, posse Angelum transire de extremo ad extremum locum non transeundo per medium; nam potest, vnionem, quam habebat cum hoc corpore cõmutare cum vnione extremi corporis non se vniedo intermedijs. Imò posse Angelum pro suo libito, adhuc existentem in rerum natura nulli manere, scilicet, si vellet nulli corpori se vnire.



Et hunc modum effendi in loco, scilicet, per extrinsecam denominationem ab *ubi* existente in corporibus, quibus Angeli, vel animæ separatae vniuntur; attribuit etiam corpori Christi Domini existenti in Eucharistia: docet enim, prædictum corpus Christi non esse in loco per aliquod *ubi* ipsi intrinsecum, sed per extrinsecam denominationem ab *ubi* extrinsecè existente in speciebus sacramentalibus, quibus est vnitum: & consequenter eodem modo esse philosophandum de eius motu, ac de motu specierum.

25. Hanc Vazquez sententiã quoad omnia sequitur Martinez hic *Disputando* 6. Præter hos autem auctores, & eorum asseclas, nullum alium inuenio, qui pro ipsa citari possit. Nam, quamuis à Vazquez, nec non & à Martinez pro ipsa adducantur Ægidius, Caietanus, Gregorius, & Ferrar: sed immeritò sanè; nam (vt etiam Vazquez fatetur) auctores isti non solum negant, spiritus esse in loco per aliquod *ubi* ipsis intrinsecum, & quod sit terminus per se motus localis, sed idem affirmant de corporibus: existimant enim, motum localem ex sua intrinseca ratione non esse motum productiuum alicuius *ubi* intrinsecè existentis in ipsa re, quæ mouetur, & à quo res, quæ mouetur, intrinsecè denominetur et-

se in loco; sed solum esse motum acquisitionem loci; & ab ipso loco extrinsecè denominari res, quæ mouentur, loca liter esse in loco. Quam sententiam ex professò reiecimus lib. 3. disputat. 1. quæst. 4. & à Vazquez, & a Martinez non solum non admittitur, sed pro viribus impugnatur. Quod si auctores isti admitterent motum localem, quo corpora mouentur, esse productiuum in ipsis corporibus, quæ mouentur, alicuius *ubi*, à quo intrinsecè denominarentur esse in loco, idem professò affirmarent de motu locali, quo spiritus per se de loco in locum mouentur; & solum ponerent discrimen inter *ubi*, seu terminos istorum motuum, quod Scotus, D. Th. cæterique Theologi constituunt, nimiram, quod *ubi*, per quod corpora sunt præsentia in loco, sit *ubi* circumscriptionum; *ubi* verò, quo spiritus sunt præsentis in loco, sit *ubi* definitiuum.

26. Fundamentum huius machinæ est, quia *ubi* nil aliud est, quam quædam præsentia ad locum, cui per se propinquitas, vel longinquitas sequitur. Sed propinquitas necessario requirit in extremis, quæ per se primò propinqua, vel longinqua dicuntur, extensam, & figuratam quantitatem; nam propinquitas, & longinquitas, nec vnde in rebus, quæ ex centris, & lateribus sumuntur, quæ

in sola quantitate extensa, & figurata reperiuntur: ergo & *ubi* solum cõuenire poterit rebus, quæ habent extensam, & figuratam quantitatem.

27. Quod fundamentum cõfirmari solet ex duobus incõuenientibus, quæ ex opposita sententia sequerentur. Primū est, quod Angeli haberet situm, & figuram; quod solum competit corporibus. Sequela probatur; nam, si Angelus per se est præsens loco; cū locus habeat situm, & figuram; quod etiã Angelus situm, & figuram habeat, videtur necessarium. Secundū est, posse contingere, quod idem Angelus simul moueretur, & quiesceret: non enim repugnat, vt corpus, cui indiuisè spiritus est alligatus, seu vnitus, partim agitur, partim secat.

28. His tamen non obstantibus, verissima sententia est, res spirituales (vt sunt Angeli, & animæ rationales in statu separationis cõsideratæ) esse in loco per aliquod *ubi*, quod sit in ipsis intrinsecè inharès, & per se terminans motum localem. Hoc autè *ubi* non esse circumscriptionum, sed definitiuum, id est, per ipsum non habere res spirituales, quod sint in loco modo diuisibili, & ita vt tota res spiritalis sit in toto loco, & pars in parte; sed modo indiuisibili, & ita vt tota res spiritalis sit in toto loco, & tota in qualibet parte illius. In hac sententia conueniunt omnes

Theologi, tam antiqui, quam recetiores qui cū Arist. & alijs Philosophis fatentur, rationem esse verum motum per se productiuum alicuius termini in existētis in ipso mobili (Vazquezio, & Martino exceptis) & solum inter ipsos defiduum est in explicando, quodnam sit fundamentum, propter quod Angelis conueniat hoc *ubi* intrinsecum, quod est terminus per se motus localis; vtrum, scilicet, sit sola Angeli substantia; an aliquid ei superadditum? sicuti in corporibus est quantitas. Nam plures Theologi (inter quos est Alexander 2. p. q. 32. mem. 1. D. Th. 1. p. q. 52. art. 1. & in 1. d. 37. q. 3. & quodl. 1. art. 4. Capreolus in 2. d. 2. q. 1. art. 1. concl. 1. Caiet. 1. p. q. 52. art. 1. Thomas de Argēntina in 1. d. 32. q. 1. & Gottfredus quodl. 8. q. 13.) putant, hoc *ubi* cõpetere Angelis ratione alicuius superadditi ipsorum substantijs. Et quidem dicunt, hoc superadditum esse, quamdam qualitatem a Deo communicatam; (vt Alexander) alij verò esse operationem ipsorum transcurrentem; alij applicationem suam virtutis. E contrario vero reliqui Scholastici in 2. d. 2. Scot. q. 6. §. *Ad questionem*, & §. *Ad propositum*. Lichetus q. 5. ar. 2. D. Bonau. p. 2. art. 2. q. 1. Gabriel, & Gregorius q. 2. art. 2. Marsilius q. 2. art. 1. & plures alij sustinent, hoc *ubi* Angelis competere immediate ratione

suæ substantiæ. Qui cōsequēter docēt, et si motus localis Angelorū immediatē pēdeat ex ipsorū volūtate; non tamen posse Angelū mutare locū sine motu locali, nec posse absolui profito arbitrio ab omni loco; neque transire de loco ad locum extremū sine transitu per locum medium.

29 Probari autem potest hæc nostra, & cōmunis sententia à priori, simili argumēto, quo tã Vazquez, quã Martinius vtuntur ad probandū, res corporales esse in loco per aliquod *ubi*, quod sit in ipsis intrinsicē, & per se terminans motū locale. Quod sic efformari potest. Impossibile est, dari verum motū sine termino. Sed quando Angelus immotis corporibus ex vno loco trāsit ad aliū verē, & propriē localiter mouetur: ergo vel cōcedendū est illud impossibile, scilicet, dari verum motū sine termino; vel necessariō est assignandus aliquis terminus huic verō motui locali, quo Angelus per se mouetur, quādo immotis corporibus ex vno loco in aliū trāsit. Rursus hic terminus nō potest esse ille modus vnionis, quo fingunt Vazquez, & Martinez, Angelos, cū localiter mouētur, corporibus vniri; quia (vt ipsi dicit fatētur) hęc modū vnionis per se, nec lōgiquitas, nec propinquitās sequantur: quod omnino necessarium est in eo, quod per se terminat motū locale.

Neque etiā potest esse *ubi*, quō præsens erat loco corpus; cui Angelus, cū localiter mouetur, reunitur; quia istud *ubi* tēpore antecedere potuit in prædicto corpore motū localem Angeli; & implicatio est, quod terminus per se alienius motus ipsum motū tēpore antecedit; ergo necessariō dicendum est, hunc terminū esse quoddā *ubi* in ipsa substantia Angeli receptū, & ad locū, cui Angelus dicitur esse præsens, terminatū: nō secus, ac Vazquez, & Martinez philosophantur de motu locali, quō corpora mouentur: & solum esse hoc discrimen, quod *ubi*; quod in corporibus per motum localem acquiratur, est *ubi* circumscripitiū, eo quod corpora, in quibus subiectatur, actu quantitatiuē extensa sunt; *ubi* verō, quod in Angelis per motū localem acquiratur, est tantū *ubi* definitiuum; eo quod Angeli, in quibus subiectatur, actu extensi quantitatiuē non sunt.

30 Secundo probari potest hæc nostra, & cōmunis sententia impugnādo hunc modum essendi in loco, quem, tam Vazquez, quã Martinez attribuant Angelis. Et in primis impugnari potest ex eorū principijs; nam Vazquez disp. 188. citata cap. 2. num. 34. sententiam asserensiam, fundamētum, propter quod Angeli esse in loco dicuntur, esse illorū operationē trāseuntē inde

Inde reiecit, nimirum, quia causa creata (quales sunt Angeli) cū finita virtutis sint, prius necessariō exigunt esse præsentē loco, quã transeūter operari: ergo perperam ab ipso asseritur, vnionem Angeli ad corpus esse fundamentum, propter quod Angeli esse in loco dicuntur: siquidem prædicta vnio, quæ in sententia ipsius Vazquez à voluntate Angeli effectiue producit, non solum non antecedit operationem transeuntē, qua Angelus ipsam producit; sed potius ipsam subsequitur.

31 Deinde ex hac sententia Vazquez sequitur, quod in casu, quod vellet Angelus nulli corpori se vnire, prædictus Angelus nullibi maneret. Quæ sequela et si deglutiatur à Vazquez; sed rē sanē crudā deuorat: & quæ non leuiter impugnari potest, inquirendo ab hoc Auctore, an Angelus nulli corpori vnitus à Deo productus, & in rerū natura cōseruatus cum virtute, & facultate innata agēdi, & operādi circa corpora in rerum natura existentia, posset illā exercere circa omnia corpora? an solum circa aliqua tantum? an verō circa nullū? Hoc vltimum affirmari non potest: aliās non esset in libera potestate Angeli existentis in rerum natura in hoc, vel illo loco se constitūere (cuius oppositū sustinet Vazquez) siquidē in eius sententia solum Angelus potest

constitui in loco per adionem vnitiuā, qua vult, corpori existenti in isto, vel illo loco se vnire. Nec etiam dici potest primum: nam, cū in sententia Vazquez in rebus creatis, & virtutis finita conditio per se requisita ad operandum circa aliquod obiectū sit, quod prædicta agentia sint præsentia, seu approximata tali obiecto; si prædictus Angelus posset, virtutem innatā, quam habet ad operandum, seu agendū, exercere circa omnia corpora existentia in rerū natura, sequeretur, quod esset præsens, & approximatus omnibus corporibus, & consequenter vbique; quod soli Deo innēsi propriū est. Si demum dicatur secundū (vt necessariō dicēdū est) cū nulla possit assignari ratio, cur prædictus Angelus posset in dicto casu operari circa aliqua corpora, & non circa alia, quã præsentia, & approximatio definitiua, quam haberet ad hæc corpora, & non ad alia, necessariō fatendum est, quod ille Angelus sit approximatus, & præsens definitiue quibusdam corporibus, & non alijs, non obstante, quod nulli corpori sit vnitus. Et consequenter falsum omnino erit id, quod in ferebamus ex sententia Vazquez, & ipse libenter admisit, scilicet, quod in casu, quod Angelus vellet, nulli corpori se vnire, prædictus Angelus nullibi maneret.

32 Quibus accedit, neque Vazquez, neque Martinez inficiari posse, quod Angelus, etsi spiritualis sit, possit per aliquem modum, vel relationem extrinsecus aduenientem (iuxta diuersas sententias supra relatas circa rationem formalem *ubi*) sibi intrinsecè inhærentem fieri præsens loco corporali, & diuisibili, modo indiuisibili, id est, totus in toto loco, & totus in qualibet illius parte: siquidem ipsi admittunt, Angelum, etsi spiritualis sit, per aliquem modum sibi intrinsecè inhærentem posse vniri corpori diuisibili, modo indiuisibili, id est, totus toti corpori, & totus cuilibet illius parti.

33 Neque fundamentum Vazquez, & Martinez multum vriget. Fatemur enim libenter, *ubi*, esse præsentiam ad locum, quam per se longinquitas, & propinquitas sequuntur. Tamen, quia propinquitas, & longinquitas, quæ per se sequuntur ad *ubi*, nõ sequuntur ad ipsum, in quantum respicit subiectum, in quo inhæret, sed in quantum respicit locum, ad quæ terminatur; (locus enim, vt num. 13. dicebamus, est, cuius immobilitas, quam diuersæ positiones, vt sunt sursum, deorsum, &c. & consequenter fundare relationes propinquitatis, & longinquitatis, per se primò conueniunt; nam *ubi* hæc solum conueniunt per se secundò, & in quantum à lo-

co, qui est terminus eius per se, sicuti & esse, ita & has proprietates accipit) hinc esse, vt non rectè inferant hi auctores (ex eo, quod longinquitas, & propinquitas requirant in extremis, quæ per se talia primò, & per se dicuntur, extensam, & figuratam quantitatem) *ubi* solum posse conuenire subiectis habentibus extensam, & figuratam quantitatem. Sed, quod debet inferri, est, *ubi* solum posse respicere, vt terminum, locum habentem extensam, & figuratam quantitatem: siquidem extrema, quibus per se primò competit esse propinqua, vel longinqua, & à quibus vbicationes per se secundò accipiunt posse fundare prædictas relationes, nõ sunt subiecta, in quibus inhærent, sed loca, ad quæ per se terminantur.

34 Ad primum ex duobus inconuenientibus adductis in confirmatione respondetur negando sequelam. Et ad probationem dicimus, quod sicut non sequitur ex eo, quod anima rationalis per se informat corpus habens situm partium, quod ipsa anima per se habeat situm partium, & figuram, eo quod illud non informat diuisibiliter, sed potius indiuisibiliter; ita etiam non sequitur ex eo, quod Angelus per se sit præsens loco habenti situm partium, & figuram, quod ipse Angelus per se habeat situm, & figuram; eo quod non est illi præ-

præsens diuisibiliter, & (vt dicunt) circumscriptiue, sed potius indiuisibiliter, & (vt dicunt) definitiue.

35 Ad secundum dicimus, duobus modis posse Angelum esse in loco, vbi simul est aliquod corpus. Primò sine alligatione ad tale corpus. Secundò cum alligatione ad ipsum proueniente ex aliquo pacto astringente ipsum Angelum, vt semper sit in illo loco, vbi fuerit, vel deferatur illud corpus. Si primo modo Angelus sit in loco, non sequitur ex eo quod corpus moueatur, vel quiescat, quod etiam Angelus moueatur, vel quiescat: potest enim moto corpore Angelus immobilis in illo loco permanere; & è contra, immoto corpore Angelus mutare locum. At, si Angelus sit in loco secundo modo, fateor, sequi ex eo, quod illud corpus moueatur, vel quiescat, moueri etiam Angelum, vel quiescere: licet non moueatur per accidens, & ad modum, quo, moto toto, mouentur partes, vel moto subiecto, mouentur accidentia, quæ in illo inhærent; vel mota nauis mouentur homines, qui sunt in nauis: sed potius motu per se ab ipsa voluntate Angeli proueniente; vt robustè satis probat Scotus in 4. d. 10. q. 6. §. *Ad intellectum*, sub litteris D. & E. Et in hoc sensu fateor, quod, si corpus, cui Angelus est alligatus ratione pa-

cti, partim moueretur, & partim quiesceret, quod tunc Angelus simul per se moueretur, & quiesceret; sed nõ in eadem parte loci, sed in diuersis. In quo nescio, quam implicationem potuerit Martinus, qui hoc argumento vsus est, reperire.

36 Ex his patet, falsum esse id, quod Vazquez, & Martinus inferunt, etsi consequenter ad sua principia, scilicet, in casu, quod Deus potentia sua absoluta substantiam materialem (& idem affirmabant de accidentibus materialibus) ab omni quantitate derudaret, quod illa substantia maneret nullibi, nisi fortè Deus illam substantiam vniret ad aliquod corpus quantitatiue extensum; quia tunc esset in loco denominatione extrinseca ab *ubi* existente in corpore extenso, cui vnitur, proueniente: non secus, ac philosophati sunt de spiritibus. Nam dicendum est, quod in dicto casu illa substantia (& idem est iudicium de accidentibus materialibus) maneret in loco per proprium, & intrinsecum *ubi*, etsi non circumscriptiuum; quia, cum hoc illi conueniat ratione quantitatis, illa sublata, quod etiam hoc *ubi* circumscriptiuum auferatur, necessarium erit; definitiuum tamen de nouo resultans in instanti separationis quantitatis: per quod *ubi*, etsi supernaturale esset, non secus,

ac supernaturalis foret modus existendi substantiæ materialis denudatæ ab omni quantitate; & similiter esset materiale, nõ secus, ac materialis est illa substantia, in qua inhæret; nihilominus illa substantia esset in loco modo indiuisibili, videlicet, tota in toto loco, & tota in qualibet parte; ad modum, quo philosophati sumus de spiritibus. Et idem dicendum est in casu, quo Deus, etsi à substantia materiali non auferret quantitatem, auferret tamen ab illa actualem extensionem in ordine ad locum; vt de facto contingit in corpore Christi existente in Eucharistia; vt loco citato docuit Scotus.

37 Si sermo sit de rebus corporalibus (excepta vltima sphaera) affirmant omnes Peripaterici, esse in loco circumscriptiue. Quod non solum docuit Arist. hic cap. 5. sed etiam vnicuique elemento suū proprium, & connaturalem locum assignauit, dicens, terram esse in aqua, tanquam in loco naturali; aquam in aere; ærem in æthere; ætherē in concavo inferioris cæli, scilicet, lunæ. Quibus addunt mathematici, dum de loco naturali cælorum sermonem instituunt, lunam esse in mercurio; tanquam in loco naturali; mercurium in venere; venerem in sole; solem in marte; martem in ioue; iouem in iupitre; iupitē in saturno; saturnum in

cælo stellato: quod cælum in sententia Aristot. (vt statim dicā) est vltimum. Et loquendo de mixtis, addere nos possumus, etsi de facto vnumquodque sit, tanquam in loco, in vltima superficie immobili corporis, à quo de facto circūscribitur; vendicare tamē vnumquodque tāquam connaturalem locum, eūdem, quem petit elementum, quod in ipsis prædominatur.

38 Ratio verò huius asserti est clara; nam, cum res corporales sint ex omni parte contiguæ, necesse est, vt vna (scilicet, superior) ambiat vndeque aliam; cumque eundem ordinē connaturalem seruent quoad inferioritatem, & superioritatē, secundum quē enumeratæ sunt; consequens est, vt ordine dicto habeat inter se rationē cōnaturalem loci, & locati. Itē, cum omnes res corporales in ordine ad locū sint actu quantitatiue extensæ, sequitur etiam, quod *vbi*, seu modus essendi in loco sit circumscriptiuus, id est, ita diuisibilis, vt tota res sit in toto loco, & quælibet eius pars in qualibet parte loci.

39 Aduertit autem Arist. loco citato, etsi omnes res corporales (excepta vltima sphaera) sint in loco circumscriptiue, non tamen omnes eodem pacto esse in loco; nam quædam (inquit) sunt in loco *potestate*; quædam verò *actu*; quædam

dam *per se*; & quædam *per accidens*. Primo modo (scilicet, *potestate*) sunt in loco (inquit Aristot.) partes continui; quæ ita in eo sunt, vt vna ab alia non sit diuisa; potest tamen diuidi. Secundo modo (scilicet, *actu*) sunt eadem partes, cum à se mutuo diuisæ sunt; ita verò vt vna alteram tangat, & in modum acervi cōtineantur. Quæ doctrina intelligenda est, facta cōparatione loci, & locati solum inter ipsas partes cōtinui; nam si partes cōtinui comparerentur, tanquam ad locū, ad vltimam superficiem corporis ambientis, totū cōtinuum, cuius ipsæ sunt partes, dicendum erit, prædictas partes continui, quādo vna ab alia nõ est diuisa, esse in loco, non secus, ac est ipsum cōtinuum, cuius sunt partes, licet non *per se*, sed *per accidens* modo statim explicando. Tertio modo (scilicet, *per se*) sunt in loco illa, quibus hoc cōuenit ratione sui; vt Socrates, arbor, cæteræque substantiæ materiales completæ, quantitatiue extensæ, quæ ab aliquo superiori corpore ambiuntur. Circa quod est aduertendum, quod etiam si, tam substantijs materialibus completis quantitatiue extensæ, quàm ipsi quantitati, à qua extenduntur, conueniat esse in loco *per se*; sed cum hoc discrimine, quod substantijs conuenit esse *per se* in loco, vt *quod*; quantitati verò vt *quo*. Quarto denique mo-

do (scilicet, *per accidens*) sunt in loco, quæ coniunguntur per accidens cum his, quæ sunt in loco *per se*; vt qualitates materiales, quæ inhærent in substantijs materialibus quantitatiue extensæ; & similiter, quæ non ratione sui, sed ratione alterius sunt in loco; vt vniuersum, quod, cum non contineatur secundum se totum ab aliquo corpore, non est ratione sui, seu *per se* in loco; sed *per aliud*, & consequenter *per accidens*, scilicet, ratione suarum partium, eo modo, quo explicatum est in annotationibus numero 5. Et idem esto iudicium de partibus integralibus alicuius continui substantialis; nam sicut hæ partes sunt quantæ *per quantitatem* totius continui, quod integrat; ita & in loco continuo dicuntur esse ratione totius, licet vnicuique parti, sicut correspondet pars quantitatis totius, à qua formaliter denominatur quantæ; ita & correspondet pars *vbi* totius, à qua formaliter denominatur esse in loco partialiter.

40 Ex quibus colliges, quàm falsum sit id, quod aliqui affirmant, scilicet, in substantia materiali tot esse vbicationes, seu præsentias ad locum, quot sunt entia realiter distincta; ita vt alia sit vbicatio, seu præsentia substantiæ; alia quantitatis, alia albedinis, alia caloris, &c. Et consequenter di-

dicunt, tot motibus localibus moueri substantiam materialem, quot sunt in ipsa entitates reales. Nam, vel hi auctores solum loquuntur de *vbi*, seu presentia circumscriptione: & hanc tantum esse vnam, constat ex dictis, quæ vna *per se* conuenit, vt subiectum *quo*, quantitati; vt subiectum verò *quod* ipsi substantiæ; albedini autem, calori, &c. solum per accidens. Vel loquuntur etiam de *vbi*, seu presentia definitiua; ita vt velint, præter *vbi*, seu presentiam circumscriptionem, quæ conuenit, tam substantiæ, quam qualitatis ratione quantitatis, habeant simul, tam substantia, quam qualitates, suas vbiationes, seu presentias definitiuas. Et hoc non minus falsum est; nam licet istæ vbiationes conuenire possint, tam substantijs, quam qualitibus in casu, quod substantia separaretur per potentiam Dei absolutam à quantitate, vel saltem ab eius actuali extensione; & qualitates conseruarentur per se, tam à substantia, quam à quantitate separate: tamen nullo modo eis conueniunt, quando substantia est quantitatiue extensa, & affecta prædictis qualitibus; sed solum eis competit *vbi*, seu presentia circumscriptione. Quod inde manifestè conuincitur; quia per vbiationes definitiuas, tam substantiæ, quam qualitates (vt supra dictum est) sunt in loco, modo

indiuisibili, totæ in toto loco, & totæ in qualibet parte loci: quod minime competit ei in casu dicto, sed potius contrarium. Undè consequenter dicimus, quoties substantia materialis affecta quantitate, & alijs accidentibus mouetur localiter, ibi nõ interuenire plures motus, sed vnicum dumtaxat, qui per se competit substantiæ, vt subiecto *quod*, & quantitati vt subiecto *quo*; cæteris autem accidentibus competit per accidens; vt omnes Peripatetici affirmant cū Aristot. 5. huius operis cap. 1.

41 Si demum sermo sit de vltima sphaera (qualem putauit Arist. esse firmamentum; & catholici fatemur esse cælum empirium) dicendum est cū Scotus hic q. 7. & quodl. 11. (quæ ferè omnes sequuntur) non esse actum in loco; quia vltima sphaera (quæcumque illa sit) eo ipso, quod est vltima, non habet supra se aliud corpus, à quo circumscribatur, & cuius vltima superficies locus illius sit. Quæ doctrina est expressa Aristot. cap. 5. vt patet in tex. 45. & 46. & præclare tex. 43. vbi sic loquitur: *Cui igitur corpori est aliquod corpus extra continens ipsum, hoc in loco est; cui verò non, minime.* Neque hinc inferat aliquis, vltimam sphaeram non esse alicubi; quia (vt optimè vidit Scotus hic q. 7. citata, §. *Quarta conclusio*) ista consequentia non valet; vltima sphaera non

non est in loco: igitur non est alicubi; quia esse in loco tantum est vna species de genere *vbi*; sed aliæ species circumloquuntur per alias positiones, vt circa, iuxta, &c. & ideò, si queratur, vbi est vltima sphaera? conuenienter potest responderi, quod est iuxta, vel circa octauam sphaeram.

42. Sed contra aliqui obijciunt aliqua loca Arist. in quibus videtur oppositum affirmare; nam tex. 1. huius libri dicit, omnia debere esse in loco: & tex. 13. omne corpus est in loco: & idem dixerat lib. 3. tex. 54. & magis clarè, ac in specie de ipso cælo in hoc 4. lib. tex. 32. *cælum maxime putamus in loco esse; quia semper est in motu.* Imò hinc sumitur non leue argumentum; nam Arist. (vt supra dixi) existimauit, vltimam sphaeram esse firmamentum; & tamen firmamentum non solum mouetur; sed etiam in sententia Arist. est primum mobile. Sed id, quod non est in loco, non potest moueri localiter, cùm motus localis sit ab vno loco in alium: ergo vltima sphaera secundum mentem Arist. est in loco.

43. Tamen hæc non multum vrgent; nam ad locum primi textus patet ex annotationibus num. 1. rationem, qua ibi vtitur Aristot. non esse ex propria mente, sed desumptam ex Philosophis antiquis; neque esse bene concinnatam; vt ibidem

num. 2. ex mente commentatoris annotauimus. In tex. 13. loquitur dubitando; & inquirendo. In 3. Physic. loquitur solum de corporibus sublunariis, quæ sunt graua, & leuia; vt patet ex textu antecedenti. Et demum in tex. 32. loquitur iuxta communè vulgi estimationem; ideòque dixit *putamus*, id est, vulgo, & communiter pronuntiare solemus.

44. Ad argumentum desumptum ex doctrina Arist. respondet Scotus quodlib. citato, vltimam sphaeram (qualis secundum Arist. est firmamentum, seu primum mobile). moueri localiter quoad locare; quia nunc aliter locat corpus contentum, quam prius; non vero quoad locari; cùm à nullo corpore superiori contineatur: seu (quod idem est) moueri localiter secundum *vbi* actiuum; non verò secundum *vbi* passiuum. Et in hoc sensu (subdit Scotus) potest intelligi Auerroes, quando hic commento 43. dicit, vltimam sphaeram esse in loco per centrum: non enim est intelligendus de esse in loco passiuè, sed de esse in loco actiuè.

45. Aliam solutionem adducit Scotus ad hoc argumentum super 4. Physic. q. 7. §. *Ad quintam.* quam hic adduco; quia est magis vniuersalis, & non solum soluit argumentum factum, sed etiam replicam, quæ ad

ad solutionem dictam fieri solet in hunc modum. Si Deus annihilaret omnia, quæ ab ultima sphaera continentur, ipsa moueretur; motus isti non dicerentur motus locales actuales; sed potentiales; non quia solum essent possibiles (actu enim existerent) sed quia non versarentur inter vbicationes actuales; sed inter vbicationes potentiales, quæ aliquid reale sunt, nēpē ipsam corpus, quod mouetur, in quantum connotat aliquod quiescens possibile.

**QVÆSTIO IV.**  
*Vtrum duo corpora quantitatiue extensa possint simul esse in eodem loco?*

**I** Consulto dixi quantitatiue extensa, nam impossibilitas (si qua est) essendi simul duo corpora in eodem loco, solum oriri potest ex eo, quod sint extensa à diuersis, & distinctis quantitibus, quæ sunt, quibus primò competit impenetrabilitas, & ratione ipsarū, tam substantijs, quàm reliquis accidentibus. Vnde si darentur duo corpora substantialia ab omni quantitate denudata, (vt dari possunt absoluta Dei potentia) vt certum præsuppono, quod possent, sine nouo alio miraculo esse simul in eodem loco; licet non circumscriptiue, quia hic modus essendi in loco supponit, id, quod est in loco, esse quantitatiue

ex.

extensum; ( vt ex quaestione præcedenti patet ) saltem definitiue. Sicut è contrario, si darentur duæ quantitates ab omni substantia corporea separatæ (vt de facto dantur in duabus hostijs consecratis) æquè impenetrabiles essent in eodē loco, ac modò sunt duo corpora quantitatiue extensa: vt rectè ex Arist. hoc. 4. lib. text. 76. annotauit Scotus in 4. d. 49. q. 16. §. *Alij dicūt*, & ad oculum ostendant duæ hostiæ consecratæ, quæ ita impenetrabiles manent post consecrationem, ac erant ante ipsam consecrationē. Potest autem hæc quaestio exagitari tam de potentia ordinaria, quàm de absoluta.

**2** In primo sensu (id est, naturaliter; & de potentia ordinaria) posse duo corpora quantitatiue extensa simul in eodem loco penetrata consistere, docuerunt aliqui, quos refert Alexander Afrodiensis in opusculo de mixtione, & Fernellius lib. 2. suæ phisologiae cap. ultimo; quos secutus est quidam Petrus Ioannes. Prouencalis quodlib. 3. q. 7. moti quibusdam tantum experiētijs, in quibus ipsis videbatur hoc contingere, scilicet, cum vas oppletum cinere, tanquandem aquæ recipit, quantum recipere, inane. Itēq; cum ferrum candet, vbi ignis, & ferrum videtur penetrari. Et idem est iudicium de pane, cui vinna superinfunditur.

25922

**3** Tamen communis consensus Philosophorum cum Arist. in hoc libro quarto est, naturaliter, seu de potentia ordinaria non posse duo corpora quantitatiue extensa simul in eodem loco penetrata consistere. Quod ipsa demonstrat experientia. Videmus enim per aduentū vnus corporis quantitatiue extensi ad locum alterius aliud expelli ab illo loco; nec vlla vi creata fieri posse, vt vnū cum alio in eodem loco penetraret. Et hoc non solum inter corpora crassa, & solida experimur; sed etiam inter tenuissima quæque. Nam statim expellitur aër ex aliquo vase, dū aliquis liquor infunditur aut alius aër, vel ignis immittitur. Et sic de quocunque alio corpore.

**4** Ratio autem à priori est, quia etiam si de essentia quantitatis continuae, & permanentis non sit habere partes, quarum quælibet actu sit extra aliam in ordine ad locum, siue (quod idem est) quarum quælibet actu repleat distinctū locum, ac alia replet; tamen de essentia illius est, habere partes, quarum quælibet naturaliter petat esse extra aliam in ordine ad locum, siue (quod idem est) quarum quælibet naturaliter petat replere diuersum locum ab illo, quem replet alia. Legite, quæ diximus in Logica capite de Quantitate disput. 1. quest.

Ex hac ergo natura, & essentia quantitatis continuæ, & permanentis prouenit, vt, quod actu repleantur diuersa loca à diuersis quantitibus continuis, & permanentibus, seu (quod idem est) quod actu vna quantitas continua, & permanens sit extra aliam in ordine ad locum sit effectus ita conaturaliter debitus prædictis quantitibus, vt, nulla virtute creata possit talis effectus ab ipsis separari, & consequenter etiam prouenit, vt à nulla virtute creata possint duæ quantitates continuæ, & permanentes simul in eodem loco penetrari: siquidem ad hoc necessarium est, quod quantitas continua, & permanens sit sine suo effectu naturali; qualis est replere diuersum locum, seu esse extra aliam in ordine ad locum: imò quod sit cum effectu opposito suo effectui naturali; quorum vtrumque excedit vires naturales.

3 Quod à simili in accidentibus absolutis in ordine ad actualem ipsorum inhærentiã in subiecto possumus declarare; nam etiam si de essentia accidentium absolutorum (vt sunt quantitates, & qualitates) non sit actualis ipsorum inhærentia in subiectis; tamen, quia apti sunt ad inhærendum in subiecto, spectat ad ipsorum essentiam, vt in secundo modo dicendum est. (e) hinc prouenit, vt actus inhærentia in

subiecto sit effectus ita conaturaliter debitus prædictis accidentibus, vt nulla vi creata possit prædictus effectus ab ipsis, dum actualiter existunt, separari, & cum opposito effectu, qualis est esse per se, constitui. Ergo similiter, etiam si quod vna pars quantitatis sit actu extra aliam in ordine ad locum, seu quod vna pars quantitatis repleat diuersum locum ab illo, quæ replet alia, non sit de essentia quantitatis continuæ, & permanentis, tamen, quia habere partes, quarum qualibet naturaliter petit esse extra aliam in ordine ad locum, seu quarum qualibet naturaliter petit replere diuersum locum à loco, quem replet alia; est de essentia quantitatis non solum in secundo; sed in primo modo dicendi per se, hinc proueniet, vt, quod actu vna quantitas sit extra aliam in ordine ad locum, seu quod vna quantitas repleat diuersum locum ab illo, quem replet alia, sit effectus ita conaturaliter debitus quantitati, vt nulla vi creata possit ab illis, dum actualiter existunt, separari, & cum opposito, qualis est esse simul in eodem loco, constitui.

6 Ex quibus intelligetis, quã subtiliter dixerit Scotus in loco quarti citato, verbo *Ad secundum dico*, littera B, repugnantiam naturalem, quæ est inter duas dimensiones ad essendum simul in eodem loco, non esse inter

inter repugnantias formales numerandam: siquidem repugnantia formalis solum reperitur inter duas formas contrarias, & in ordine ad idem numero subiectum: duæ autem dimensiones, nec sunt formæ contrariæ, nec earum repugnantia est in ordine ad idem numero subiectum; sed in ordine ad eundem numero locum. Sed esse numerandam inter repugnantias virtuales, qualis est, quæ reperitur inter duas causas naturales, quando vna impedit effectum, quem alia naturaliter præstaret. Sicut enim in casu, quod Sol produceret in hac materia formam vermis, superueniret aliud fortius agens, quod in eadem materia induceret aliam formam, tunc agens fortius diceretur virtualiter repugnare soli; eo quod effectus, quem naturaliter produceret sol, impeditur ab effectu eius: ita duæ dimensiones dicuntur repugnare virtualiter in ordine ad essendum simul in eodem loco, quia per repletionem loci prouenientem ab vna dimensione impeditur alia dimensio à repletionem eiusdem loci, quæ est effectus, quem aliàs naturaliter præstaret.

7 Ad primam experientiam, quibus moti sunt contrarij, bene respondet Arist. in problemis lect. 25. q. 8. vas oppletum cinere tantundem aquæ recipere, quantum reciperet in a-

ne; non quia cinis, & aqua penetrantur; sed quia, cum cineres, & aqua qualitates contrarias habeant, in commixtionem aquæ, & cinerum plures partes, tam aquæ, quam cinerum in vaporem, & halitum ocysimè resoluntur. Ad alias duas experientias de ferro cadenti, & de pane, cui vinum superinfunditur respondet Scotus, loco citato §. *Alius est intellectus*, in ferro candenti non esse ignem; sed qualitates ignis valde intensas. Quod si forte aliquis ignis in ferro est, illum esse in poris ipsius, non in partibus solidis. Et hoc vltimum est, quod contingit in vino, quando super panem infunditur; recipitur enim in poris panis, non in partibus solidis illius.

8 In secundo vero sensu (scilicet supernaturaliter, & de potentia absoluta) Durandus in 4. d. 44. q. 6. vt probabile defendit, non posse duo corpora quantitatiue extensa in eodem loco simul penetrata consistere. Idem præstat Paludanus eadem distinctione q. 3. art. 3. Et suaderi potest. Primum, quia non possunt (adhuc supernaturaliter, & de potentia absoluta) plures partes corporis quantitatiue extensi in loco vnus partis simul collocari: ergo neque duo corpora quantitatiue extensa simul in eodem loco penetrata consistere. Consequentia videtur manifesta.

Antecedens probatur. Tum, quia essentia quantitatis est habere partes extra partes in ordine ad locum: ergo si partes quantitatis ponantur penetrare simul in eodem loco, destruitur essentia quantitatis. Tum etiam, quia, si duo dimidi palmi penetrarentur in eodem loco, ita ut occuparent locum semipalmarem, totum non esset maius sua parte, nempe totus palmus uno semipalmo. Tum denique, quia fieri posset, ut maximus mons traduceretur per foramen acus; & totum cælum, imò totum vniuersum posset includi in minima varia, non amissa quantitate. Quæ impossibilia videntur.

9. Secundò: sicut se habent partes quantitatis successiue in ordine ad spatium durationis, sic se habent partes quantitatis permanentis in ordine ad spatium loci. Sed duæ partes quantitatis successiue nõ possunt (adhuc supernaturaliter, & de potentia absoluta) esse simul in eadem duratione: ergo neque duæ partes quantitatis permanentis poterunt esse simul in eodem loco, adhuc supernaturaliter, & de potentia absoluta.

10. Tertio, quia implicationem inuoluit, quod idem numero effectus pendeat à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem rationis (vt latè probauimus lib. 2. disp. 7. q. 4.) sed

si duo corpora quantitatiue extensa essent in eodem loco, idem numero effectus penderet à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem rationis: ergo implicationem inuoluit, & consequenter à Deo (adhuc de potentia absoluta) fieri non poterit, quod duo corpora quantitatiue extensa sint simul in eodem loco. Minor probatur, nam, cum extensio partiũ in ordine ad locum, siue (quod idem est) occupatio, seu repletio loci sit effectus quantitatis, si duo corpora extensa quantitatiue essent in eodem loco, eadem adimpletio, seu occupatio loci penderet à duabus quantitibus, tanquam à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem rationis.

11. Sed nobis dicendum est, duo corpora quantitatiue extensa (supernaturaliter, & de potentia absoluta) posse esse simul penetrata in eodem loco. Ita Scotus pluribus in locis; sed ex professo in 4. d. 49. q. 16. D. Thom. 3. par. q. 57. art. 4. ad 3. & in 4. d. 44. q. 2. art. 2. quos omnes discipuli secuntur; estque communis, & recepta inter Theologos. Probat Scotus ex sacra pagina, in qua plura traduntur, tanquam de fide, quæ saluari non possunt, nisi admittendo, supernaturaliter, & de potentia absoluta fieri posse, ut duo corpora quantitatiue extensa sint simul penetrata in eodem loco, v. g. quod

quod Christus Dominus in eius natiuitate egressus sit ex vtero virginali, clauso, atque integro permanente. Quod in eius resurrectione, clauso sepulchro, egressus fuerit ex illo. Quod clausis ianuis ingressus sit ad discipulos. Et tandem, quod penetrauerit cælos, id est, quod ascenderit ad ipsos sine diuisione eorum. Neque ea, quæ ad tam manifesta testimonia respondent Durandus, & Paludanus, necessarium est refellere. Sunt enim cõtra cõmunẽ intelligẽtiã Ecclesiã, Philosopho catholico indigna. 12. Et omissis rationibus, quibus aliqui ad hoc probandum vti solent, ex quibus plures adducit, & reijcit Scotus loco citato. Ratio efficax est, quia (vt sup. n. 4. dicebamus) impossibilitas naturalis essendi, duas quantitates permanentes, & consequenter duo corpora quantitatiue extensa in eodem loco, ex eo oritur, quia, cum de essentia quantitatis sit habere partes, quarum qualibet natura sua perat esse extra aliam in ordine ad locum, quod vna quantitas actu occupet diuersum locum ab eo, qui occupatur ab alia distincta quantitate, est effectus ita cõnaturaliter debitus quantitati permanenti, vt nequeat, vlla virtute creata ab illa separari, & cõ opposito cõstitui. Sed potest Deus supernaturaliter, & de potentia absoluta impedire effectum cõnaturaliter

debitum causæ naturali, & cõ opposito illam cõstitueret; vt patet instãtia quantitatis hostiæ cõsecratæ; quæ quantitas supernaturaliter, & de potentia absoluta nõ solum impeditur à Deo ab inhærentia actuali, quæ est effectus ei cõnaturaliter debitus, sed etiã est cõ effectum opposito, qualis est, esse per se: ergo poterit etiam Deus impedire in quantitate effectum, illi cõnaturaliter debitum, qualis est occupare distinctum locum ab eo, quæ occupat alia quantitas; & similiter, illam cõstitueret cõ effectum opposito, qualis est, occupare eundem locum, quæ occupat alia quantitas: quod est, illas penetrare in eodem loco. 13. Confirmatur, & declaratur amplius; quia ad hoc, vt duo corpora quantitatiue extensa sint simul repletiue, seu (quod idẽ est) circumscriptiue, seu commensuratiue in eodem loco, solum requiritur, quod in eis sint duo *vbi* circumscriptiua, quibus partes quantitatis prædictorum cõmensurentur partibus eiusdem loci: sed in hoc nulla apparet repugnãtia respectu diuinæ omnipotentis: ergo poterunt, saltẽ supernaturaliter, & de potentia absoluta esse simul in eodem loco modo repletio, seu circumscriptio duo corpora extensa quantitatiue. Minore, in qua poterat esse difficultas, optime probat Scotus; nam in primis nõ implicat, quod sint hæc duo



*ubi* in prædictis corporibus ob repugnantiam formalem ipsorum; nam repugnantia formalis solum reperitur inter duas formas contrarias, & in ordine ad idem subiectum: hæc autem duo *ubi* in dicto casu non solum non essent formæ contrariæ, sed essent eiusdem speciei, cum respiciant pro termino eundem locum: nec dicerent ordinem ad idem subiectum; cum potius sint in diuersis. Solum ergo potest in eis excogitari repugnantia per comparationem ad eundem terminum, seu locum, respectu cuius accipiuntur: Sed neq; ut sic est repugnantia, seu impossibilitas; quia duos respectus extrinsecè aduenientes esse in duobus subiectis non ad diuersos terminos, sed ad vnum, non est repugnans, seu impossibile; quia neq; est repugnans, nec impossibile de respectibus intrinsecè aduenientibus; ut duos respectus similitudinis esse in diuersis ad idem simile.

14. Quod si inquirat aliquis, an in casu, quod per Dei potentiam duo corpora quantitatiuè extensa essent simul repletiuè, seu circumscriptiue in eodem loco, sicut fatemur, quod essent in eis duo *ubi* repletiua, seu circumscriptiua terminata ad eundem locum; ita è contrarium ad idem esset, quod in loco, seu vltima superficie corporis ipsa continentis essent etiam due relationes extrinsecè

aduenientes; continentia respectu illorum duorum corporum, seu (quod idè est) duo *ubi* actiua; an verò tantum esset vna relatio cõtiuentia? respondetur, quod in sententia Thomistarum, qui sustinent, relationes multiplicari solum ad multiplicationem fundamentorum, & non terminorum, esset vnicatantum relatio continentia, seu vnicum *ubi* actiuum; cum fundamentum illius relationis continentia sit vnicum. At in nostra sententia, quæ cum Scoto sustinet, relationes non solum multiplicari ex multiplicatione fundamentorum, sed etiam ex multiplicatione terminorum, adæquatorum, dicendum est, quod in dicto casu ibi essent plures relationes cõtiuentia, seu plura *ubi* actiua; siquidem corpora contenta in illo loco, quæ sunt termini adæquati relationis cõtiuentia, essent plura. Neq; obstat, quod ille locus solum dicatur vnus; & quod relatio cõtiuentia sit id, quod locus dicitur pro formali: nam (ut supra dictum est) ad multiplicationem concretorum accidentalium, ut est hoc concretum locus, non sufficit, quod multiplicetur id, quod concretum dicitur pro formali; sed requiritur, quod multiplicetur id, quod concretum dicitur pro materiali; quia hoc est, pro quo absolute prælatum supponit, ut patet in habete plures sceleratas, qui dicuntur vnus sceleratus; & in habete plures paternitates, qui dicitur vnus pater.

14. Superest, ut argumentis adductis pro sententia Durandi, & Paludani satisfaciamus. Ad primum negamus antecedens: nam pariter possunt à Deo poni simul in eodem loco repletiuè, seu circumscriptiue & plura corpora discretiva, & partes continuæ eiusdem corporis. Et ad primam illius probationem negamus, ex penetratione vnus partis corporis cum alia destrui essentiam quantitatis; nam (ut ex Logica constat cap. de Quâritate disp. 1. q. 1.) de essentia quantitatis non est habere actu partes extra partes in ordine ad locum, seu (quod idem est) habere partes, quarum quælibet actu sit extra locum alterius; sed habere partes, quarum quælibet petat esse extra locum alterius: quam naturalem exigentiam, seu aptitudinem non amitterent partes corporis quantitatiuè extensi ex eo, quod essent simul in eodem loco penetratæ; sicuti neque de facto illam amittunt partes quantitatis corporis Christi Domini existentis in Eucharistia ex eo, quod ab omni extensione actuali in ordine ad locum sint destitutæ. Ad secundam probationem negamus ex eo, quod duo dimidiij palmi penetrarentur in eodem loco, ita ut occuparent locum semipalmarem, sequi, quod totum non esset maius sua parte; nam etiam si in dicto casu totum non occuparet

maiolem locum, quam vnica illius pars; hoc esset actualiter, non verò aptitudinaliter, cum natura sua peteret occupare maiolem locum. Vnde dicere possumus, quod etiam si in dicto casu totum non esse maius sua parte in ordine ad locum actualem; esset tamen maius secundum se, & in ordine ad locum aptitudinalem. Ad tertiam fatemur libenter, fieri posse potentia Dei absoluta, ut maximus mons traducere-tur per foramen acus; & totum cælum; immo totum vniuersum posse ab eo includi in minima bursa, non amissa istorum quantitate. Nec video, quænam in hoc possit esse implicatio. Immo addo, posse Deum absque vlla implicatione hæc omnia (manentibus in eis eorum quantitibus) ab omni extensione actuali in ordine ad locum denudare: sicut de facto præstat in corpore Christi existentis in Eucharistia.

16. Ad secundum argumentum, cõcessa maiori, & minori, negamus consequentiam; est enim dispar ratio quoad hoc de partibus quantitatis successiuæ, & de partibus quantitatis permanentis: quia de ratione successiuæ quantitas est, ut vna pars non existat existente alia: quod simpliciter necessarium erat ad hoc, ut esse possent simul in eadem duratione. At partes quantitatis permanentis verè simul

existunt; & sic nō est implicatio, quōd in eodem loco simul existant: sicut pariter non valet: non potest idem corpus existere simul in duplici tempore: ergo neque in duplici loco.

17 Ad tertium argumentum, admissa maiori, negamus minorem. Et ad probationē eius negamus, quōd eadem repletio loci ponderet à duobus quantitativis, tanquam à causis: quia in casu, quōd duo corpora quantitativē extensa essent repletivē seu circumscriptionē in eodem loco, ibi non esset vnica tantum repletio loci proveniens à duobus corporibus quantitativē extensis; sed potius esset duplex; vnaquæque proveniens à suo corpore quantitativē extenso; non secus ac esset duplex vbi repletivum, seu circumscriptionē vnūquodque in suo corpore, licet vtrumque ad eundem locum terminatum.

### QVÆSTIO V.

*Vtrum de potentia Dei absoluta possit idem numero corpus esse in duobus locis adæquatis circumscriptione.*

Notanter dixi in titulo quæstionis de potentia Dei absoluta; nam de ordinaria conveniunt omnes, vnum corpus non posse in duobus locis adæquatis circums-

criptione modo replicari. Cuius ratio est, quia quātitas, per quam corpus est fundamentaliter præsens circumscriptionē loco, finita, & limitata est; ac per consequens solum potest naturaliter, & quantum est ex se, esse fundamentum vnus præsentia seu vocationis circumscriptionē ad vnum locum adæquatū. Vnde experiētia constat, vnum corpus virtute naturali nūquam acquirere novum locum adæquatū, nisi deferendo primū, in quo erat.

2 Similiter dixi notatē circumscriptione modo, id est, per præsentiam extensivam, & cōmensurativam partium corporis existentis in loco cum partibus ipsius loci; nam per præsentiam indivisibilem, qua corpus sit in toto loco, & totum in qualibet eius parte, concilium Tridentinum sess. 13. c. 1. tanquam de fide decernit cōtra Vaicelsum, Caluinum, & alios hæreticos, idē corpus Christi Domini esse simul in pluribus locis; scilicet, in omnibus, in quibus sunt species cōsecrate; immo in cælo esse præses circumscriptionē, quæ est præsentia ipsi cōnaturalis; in alijs verò locis, in quibus sunt species cōsecrate, esse præses modo indivisibile, quæ appellatur sacramentalē; & solum differt à modo essendi in loco, quæ cōmuniter diffinitivū appellatur; quia id, quod est in loco diffinitivē, nō solum dicit negationē

ex

extensionis, seu commensurationis partium eius ad partes loci, sed etiam dicit negationem essendi actu in alio loco: quæ negatio non convenit corpori Christi Domini existentis in Eucharistia.

3 Circa quæstionem sic propositam prima sententia affirmat, non posse idem numero corpus, adhuc de potentia absoluta, esse simul in duobus locis adæquatis præsentia circumscriptione. Ita D. Tho. in 4. d. 10. quæst. 2. art. 5. ad 5. 6. & 7. & d. 44. quæst. 2. art. 2. & 3. p. quæst. 76. art. 1. in corpore, & quodlib. 3. vbi sic cōcludit. *Ponere, quod vnum corpus sit localiter in hoc loco, & tamen sit in alio loco, est ponere cōtradictoria simul vera. Vnde secundum præmissa hoc à Deo fieri non potest.* Eandem sententiam tuentur Heur. quodlib. 9. q. 32. D. Bonau. in 4. d. 44. art. de dote subtilitatis, Durandus ibidem q. 6. & d. 10. q. 1. num. 30. & q. 4. num. 3. Cartusianus dist. 13. q. 3. dub. 1. Agid. quodlib. 1. q. 1. Vazquez 3. p. disp. 189. cap. 4. Estque cōmunis inter Thomistas, quos refert, & sequitur Cursus Carmelitanus disp. 19. §. 2. Quæ probari solet sequentibus rationibus.

4 Prima; (& est præcipuum D. Tho. fundamentum) esse in loco circumscriptionē est ita circumscribi à loco, vt corpus dicat negationē existendi extra illum. Sed si corpus, quod est

circumscriptionē in vno loco, esset simul in alio iā esset extra illū locū: ergo esset, & non esset extra; quod est manifesta cōtradictio. Et confirmatur, quia locus est extremitas; sed nō potest esse res extra suā extremitatem: ergo neque in vltiori loco ab illo, à qua circumscribitur, seu terminatur.

5 Secunda; (& est ratio, quam adducit Scotus contra se in 4. d. 10. q. 3. in principio quæstionis) secundum Philosophū 4. Physic. cap. de Vacuo text. 76. quātitas est ratio formalis essendi in loco. Sed nō potest aliquid plurificari, nō plurificata eius ratione formali: ergo quātitate alicuius corporis nō plurificata, nō poterit prædictū corpus esse simul in duobus locis.

6 Tertia; quia, si idē numero corpus posset esse in duobus locis, eadē ratione posset esse in pluribus, & in pluribus, ac per consequens vbiq; ergo esset immensum: quod D. Tho. appellat hæreticū; eo quod immensitas est attributū Dei solius. Et cōfirmatur, quia nulla res potest duplici tempore simul coexistere: ergo neque duplici loco simul præsentari.

7 Quarta; quia, si vnū numero corpus esset in diversis locis distantibus, vnū esset diuisum à se ipso, quod est manifesta implicatio: nam, cum de ratione vnus sit indivisibilitas in se, & diuisibilitas à quocūque alio, non minus repugnat

vni numero corpore esse diuisum à se, ac illi repugnat, non esse diuisum à quocumque alio.

8. Quinta; sicut se habet qualibet res ad suam speciem, ita se habet quantitas ad locum. ergo sicuti non potest vlla res transire ad aliam speciem ab illa, sub qua est; ita neque quantitas ad alium locum ab illo, à quo circumscribitur. Et confirmatur, nam id, quod potest in alio loco, mutatur secundum locum: ergo defertur priorē. Patet consequentia; quia mutatio loci est transitus ab vno ad aliam locum.

9. Sexta; quia, si vnum corpus poneretur in duobus locis, sequeretur necessario, quod ea, que essent simul cum illo in illis duobus locis, essent etiam simul inter se. Sed consequens est falsum: (nam posset vnum esse Romæ, & alterum Matriti; vt contingeret in casu, quod corpus poneretur simul Romæ, & Matriti) ergo non potest poni corpus simul in duobus locis. Sequela patet; nam sicut, ex eo, quod aliqua sunt idem vni tertio, sequitur necessario, esse eadem inter se; ita ex eo, quod aliqua sint simul vni tertio, necessario debet sequi, quod sint simul inter se.

10. Septima; quia, si idē corpus esset in duobus locis, haberet relationem distantie, vel propinquitatis (iuxta po-

sitionē locorum) ad se ipsum. Sed eiusdem ad se ipsum non potest dari relatio realis, & predicamentalis; (qualis est distantie, vel propinquitatis) quia relatio realis, & predicamentalis solum versari potest inter extrema realiter distincta: ergo neque etiam poterit dari idem corpus existens in duobus locis.

11. Octaua: (& qua conuictus est Vazq.) quia, si idē numero corpus posset esse in duobus locis extensē, & circumscriptuē, sequeretur, quod semel in illis constitutum posset à principio intrinseco, & naturali in vtroque loco moueri: v. g. si lapis virtute diuina poneretur in aere in dualis extremitatibus trabis, si amoueretur trabs, lapis in vtroque loco peteret centrum; quia vtroque gravitaret. Itē, si vnus homo poneretur virtute diuina Romæ, & Matriti, posset virtute sua progressiua ambulare Romæ, & similiter ambulare Matriti. Sed hoc videtur impossibile: ergo & quod in duobus locis idem numero corpus extensē, & circumscriptuē à diuina virtute collocetur: Proboscuelam. Primo, quia iam virtute intrinseca, & naturali posset idem corpus acquirere duas presentias in loco diuerfas ab illis, in quibus constitutum fuerat virtute diuina; & consequenter esset per vires naturales in diuersis locis

eis adæquatis: quod omnes reputant impossibile; vt in principio quæstionis supposuimus. Secundo, quia virtute naturali posset homo existens Romæ deambulare, & Matritum tendere, accedereque ad *vbi*, quod habet Matriti. Et tunc inquiri, an expelleret se ipsum ab illo *vbi*, ad quod accedit? an non? si expelleret, esset impossibile sibi ipsi; sicut est aliud corpus. Si non expelleret, amitteret virtute propria vnum ex illis *vbi*, quod acciperat supernaturali virtute; vel faceret se, vt habens duo *vbi* in eodem loco; & ita quasi duo corpora in eodem loco.

12. Nona; & vltima ratio; quia, si idem numero corpus posset poni simul in pluribus locis circumscriptiuē, & extensē, sequerentur plura incredibilia; immo plura contradictoria: nam, si homo, vt gr. habere posset plura *vbi* circumscriptiua in pluribus locis, posset vnus, & idem numero homo facere choreas, & magnum exercitum in campo. Item, posset simul respectu eiusdem esse sursum, & deorsum; hic ambulare & ibi quiescere; hic loqui, & ibi tacere; hic esurire, quia non habet cibum, & illic, quia habet cibum, non esurire; & sic esset esuriens, & non esuriens; hinc incurrere ex aeris intemperie infirmitatem, & illic ex tem-

perie aeris sanitatem; & sic esset sanus, & non sanus, siue æger; hic occidi, & illic non; & sic simul esset mortuus & viuus; hic calcferi, quia adest ignis; & illic frigerferet, quia adest nix; & sic simul haberet calorem, & frigus in gradibus intensis; hic videret obiecta presentia; & ibi non; quia presentia non sunt; & hic videndo obiecta presentia turpia posset habere delectationem de illis, & peccare; & ibi non, & consequenter esse hic in peccato, & ibi in gratia Dei. Item, si panis esset in duobus locis, posset hic manducari ab homine, & ibi à cane, & consequenter materia panis simul informaretur forma hominis, & forma canis: quod supra lib. 1. diximus implicare. Itē, posset paruus ignis mille ligna simul comburere, si ignis poneretur in mille locis, & in vnoquoque applicaretur ei suum lignum. Et ad hunc modum possunt plura alia incredibilia, immo & repugnantia ex positione vnus corporis in pluribus locis deduci.

13. Sed his non obstantibus opposita sententia (scilicet, posse idē numero corpus de potentia Dei absoluta esse simul in duobus, aut pluribus alijs locis modo extensē, & circumscriptiuo) nobis tenenda est; quam acerrimè defendit Scotus in 4. d. 10. q. 2. & cum ipso omnes discipuli eius. Philippus Faber

dist. 3. 7. Tribarne disp. 33. Rada 4. tom. controuers. Ricardus art. 2. q. 2. Ochamus q. 4. Maior q. 2. Aliacen. q. 5. ar. 2. Adamus q. 5. ar. 3. Gabriel q. 1. art. 2. & lect. 46. super canō. Mistā, Alensis 4. p. q. 11. art. 1. & q. 41. num. 7. Alanus de Sacramento Eucharistiæ c. 38. Claudius de Saintas repetitio- ne 4. de Eucharistia c. 4. Belarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 3. & 4. Suar. 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 4. Valencia q. 3. de Eucharistia punct. 1. §. 23. Conimbricenses 4. Physic. c. 5. q. 5. Hurtado disp. 14. physica sect. 5. Estque admodū recepta inter recentiores.

14. Hanc nostram sententiam multis demonstrat Scotus. Primò, quia tota difficultas apprehēdendi vñ corpus simul in duobus locis modo circūscriptiuo in eo sita est, quòd, cum intra terminos huius superficiē, que dicitur locus, claudatur, & tota quantitas eius circūscribatur, & quasi cōprehendatur, nō videtur possibile, quòd prædictū corpus extra istā superficiē vagetur, aut alibi simul præfens loco reperiat. Sed fides docet, corpus Christi Domini existere in cælo modo circūscriptiuo, ac per consequens clausum, & quasi cōprehensum intra terminos vltimæ superficiē eius corporis ipsum continentis, & nihilominus vagari extra illam, & esse simul realiter præfens alibi, scilicet in Sa-

ramento Eucharistiæ: ergo fallitur intellectus, quando iudicat esse repugnantiam, quòd idem numero corpus sit simul circūscriptiuè in duobus locis:

15. Respondent aduersarij, esse diuersam rationem de existentia corporis Christi Domini in cælo, & in Sacramento, & de existentia vnus corporis in duobus locis, quam nos asserimus esse possibilem: nam corpus Christi, etiam si existat in cælo circūscriptiuo modo; tamen, in Eucharistia non existit circūscriptiuo modo, sed modo quodam indiuisibili: at nos asserimus, posse vnum corpus existere in vtroque loco circūscriptiuè: & sic non rectè colligi ex eo; quòd corpus Christi sit præfens duobus locis in vno circūscriptiuè, & extensè, & in alio sacramentaliter, & inextensè, esse possibile, quòd idem numero corpus sit simul in duobus locis in vtroque extensè, & circūscriptiuè.

16. Sed contra, quia semel admissio (quod fide coguntur aduersarij) non esse contra rationē, esse in loco modo circūscriptiuo, quòd illud corpus vagetur extra terminos vltimæ superficiē corporis continentis, à qua circūscribitur; & quasi comprehenditur, non appareat ratio, cur prædictū corpus sicut potest à Deo poni præfens alteri loco modo indi-

diuisibili (vt ponitur in Sacramento) non possit etiam poni præfens alteri loco, modo diuisibili, seu circūscriptiuo. Immo (vt optimè notauit Scotus) hoc vltimum apparet facilius; siquidem modus essendi in loco indiuisibiliter, & sacramentaliter non est modus essendi in loco connaturalis corpori, sicuti est modus essendi in loco diuisibiliter, & circūscriptiuè, sed potius supernaturalis. Conuincitur ergo ex eo, quòd corpus Christi est de facto præfens pluribus locis, in vno circūscriptiuè, & extensè, & in alio inextensè, & sacramentaliter, posse optimè Deum sua potentia absoluta ponere idem corpus præfens pluribus locis extensè, & circūscriptiuo modo. Nam, si, quòd difficilius apparet, Deus potuit facere, cur non poterit facilius?

17. Secundò probat Scotus explicando terminos huius quæstionis, & consequenter possibilitatem (respectu diuine omnipotentia) ponendi vnum corpus in pluribus locis modo circūscriptiuo. Cum dicimus, ait Scotus) corpus esse in loco modo circūscriptiuo, nihil addimus supra corpus, nisi respectum extrinsecus aduenientem de prædicamento *ubi*, fundatum in vno quanto, scilicet in corpore contento, & terminatum ad aliud quantum circūscribens, scilicet, ad

corpus continens. Sed nulla est contradictio multiplicare respectus simul in eodē subiecto ad plures terminos ad eque quatos: (vt patet in patre, in quo respectus paternitatis simul in eo multiplicatur, qui simul habet plures filios, qui sunt termini adæquati prædictorum respectuum) ergo neque etiam erit implicatio ponere vnum corpus simul in pluribus locis modo circūscriptiuo. Quare deceptio auctorum oppositæ sententiæ (inquit Scotus) stat in hoc, quòd secuntur imaginationem magis, quam rationem. Vndè, cum imaginatio non separet corpus à loco, neque è contra; & similiter vnum non plurificet sine plurificatione alterius, sequentes imaginationem sanè decipiuntur; & sic iudicant impossibile, vnum corpus esse posse in pluribus locis. Quòd si sequerentur rationem, nulla eis appareret in hoc implicatio: quia sequendo rationem locus distinguitur, & separabilis est à corpore locato; & multiplicari potest *ubi*, seu esse in loco, non multiplicato corpore, quòd est in loco, cum nihil vetet, multiplicari posterius accidentaliter adueniens priori, non multiplicato priori; & manifestum sit, *ubi*, seu esse in loco circūscriptiuè esse posterius corpore quanto, quòd

locatur, & ei maximè accidè-  
taliter adueniens. Imò vix ex-  
cogitari potest aliqua habitu-  
do accidentalior suo funda-  
mento, quàm est *ubi*; & nihi-  
lominus in alijs habitudinibus  
non tam præteruè asseritur im-  
possibilitas multiplicationis in  
eodem fundamento respectu  
diuerforum terminorum adæ-  
quatorum, sicut in ista; quod  
admiratione sanè dignum  
est.

18 Tertio probat Scotus rati-  
one communi. Hæc enim  
(ait Scotus) est mihi certissi-  
ma, quòd Deo est possibile om-  
ne, quod non includit euiden-  
ter contradictionē, & ad quod  
nō sequitur necessario contra-  
dictio. Sed quòd vnum corpus  
sit simul in multis locis modo  
circumscriptiuo non includit  
evidenter contradictionem;  
neque ad ipsum necessario se-  
quitur: ergo possibile est Deo.  
Minor non meliùs probari po-  
test, quàm soluendo rationes  
in contrarium.

19 Ad primam rationem (quæ  
erat præcipuum fundamentum  
D. Thom.) quid dicant aliqui  
expositores eius, auscultare: nã  
in hac re *inimici eius domestici  
eius*. Valentia dicit, descriptio-  
nem illam essendi in loco cir-  
cumscriptione, quæ in prædicta  
ratione assumitur, esse frigidã.  
Suarez vero dicit, esse volun-  
tariam, & sine fundamento.  
Nec immeritò sic locuntur,  
quia, si de conceptu quiddi-

tatiuo essendi in loco circums-  
criptiue esset, vt locatum non  
sit extra illum locum, Christus  
Dominus existens circumscri-  
ptiue in vno loco (vt modò est  
in cælo, & similiter erat in ter-  
ris, quando venerabile insti-  
tuit Eucharistiæ Sacramen-  
tum) non posset esse præsens  
realiter in hoc admirabili Sa-  
cramento; quod est hæreti-  
cum.

20 Dices, corpus existens in  
vno loco circumscriptione pos-  
se virtute diuina esse alibi de-  
finitiuè, seu sacramentaliter;  
non verò circumscriptione; quia  
esse in loco circumscriptione di-  
cit essentialiter negationem  
essendi simul in alio circums-  
criptiue; non verò negatio-  
nem essendi in alio definitiuè,  
seu sacramentaliter. Contra:  
ergo iam non est de ratione  
essentiali essendi in loco cir-  
cumscriptione, vt corpus non  
sit præsens extra illum locum.  
Cur ergo est de ratione essen-  
tiali eius, quòd non sit præsens  
extra illum circumscriptione?  
certè nulla potest reddi ratio:  
præsertim, quia (vt supra ex  
Scoto aduertebamus) facilius  
est, quòd corpus in alio loco,  
in quo potest supernaturaliter  
existere, existat extensè, & cir-  
cumscriptione, quàm inexten-  
sè, & definitiuè, seu Sacra-  
mentaliter; cum ille sit mo-  
dus existendi in loco ipsi con-  
naturalis; hic autem sit mo-  
dus existendi in loco superna-  
tu-

turalis, & nouo indigens mi-  
raculo. Dicere enim, quòd  
vna vbiatio circumscriptione  
pugnet magis cum alia cir-  
cumscriptione, quàm cum alia  
definitiuè, seu sacramentali;  
frigidum est, & sine fundamē-  
to, imò petitio principij: huius  
enim maioris repugnantia rati-  
onem querimus.

21 Nos ergo ad prædictam  
primam rationem responde-  
mus, de ratione modi essendi  
in loco circumscriptione forma-  
liter, & in quantum talis,  
solum esse, quòd res sic exi-  
stens in loco sit illi diuisibili-  
ter, & commensuratiue præ-  
sens, ita vt tota sit in toto loco,  
& pars in parte: & per hoc di-  
stingui hunc modum essendi  
in loco à modo essendi in lo-  
co definitiuè: de cuius ratio-  
ne formaliter, & in quantum  
talis, solum est, quòd sic exi-  
stens in loco sit illi præsens in-  
diuisibiliter, ita vt totum sit in to-  
to loco, & totum in qualibet ei-  
parte. Negationem verò ef-  
fendi res extra illum locum, in  
quo adæquate existit, esse quid  
conueniens omni modo exi-  
stendi in loco rerum creatarum;  
sive ille sit circumscriptione, si-  
ue definitiuè: tamen negatio-  
nem istam non esse negatio-  
nem repugnantia: aliàs nō so-  
lum repugnaret esse rem in  
duobus locis circumscriptione;  
sed etiam definitiuè: quod ad-  
uersarij non admittunt, neque  
admittere possunt propter my-

sterium Eucharistiæ; sed solum  
esse negationem essendi extra  
illum locum naturaliter, & de  
potentia ordinaria. Ac per cō-  
sequens, & si ex hoc optimè  
inferatur, non posse eandem  
rem naturaliter, & de poten-  
tia ordinaria esse in duobus  
locis adæquatis, neque cir-  
cumscriptione, neque definitiuo  
modo: posse tamen superna-  
turaliter, & de potentia abso-  
luta esse simul in pluribus lo-  
cis, tam definitiuo, quàm cir-  
cumscriptione modo.

22 Ad confirmationem (quæ  
suum haberet, probaret etiam,  
definitiuo modo non posse  
eandem rem esse in duobus  
locis: siquidem sicut locus  
circumscribens dicitur extre-  
mitas rei existentis in ipso, quia  
terminat præsentiam circums-  
criptiuam, quam dicit ad ip-  
sum; ita locus definitiuus di-  
citur extremitas rei existentis  
re ipso, quia terminat præsen-  
tiam definitiuam, quam dicit  
ad ipsum) responderetur, quòd,  
cum locus solum dicatur extre-  
mitas rei existentis in ipso, in  
quæ terminat præsentiam  
localem, quam dicit ad ipsum,  
solum potest ex hoc inferri,  
non posse rem esse in alio lo-  
co per præsentiam, quæ est in  
istis; quia iam ista præsentia ef-  
set sine suo termino, seu extre-  
mitate; non verò, non posse  
rem esse in alio loco per aliam  
præsentiam, quæ terminetur  
ad illum.

23 Ad secundam responde-  
tur ex Scoto distinctione, &  
quæstione ibi citata, §. *Ad pri-  
mum*, verbo *Ad secundum*, ratio-  
nem formalem essendi aliquid  
tale posse sumi dupliciter. Pri-  
mò propriè, scilicet, pro eo,  
quod est ratio formalis proxima  
essendi aliquid tale. Secū-  
dò largè, pro eo, quod est ratio  
formalis essendi aliquid tale  
remotè, & fundamentaliter: v.  
g. tam similitudo, quam albedo  
possunt dici rationes forma-  
les essendi aliquid corpus simili-  
le; sed cum hoc discrimine,  
quod similitudo est ratio forma-  
lis essendi aliquid corpus  
simile propriè, quia est ratio  
formalis proxima: at albedo  
est ratio formalis essendi ali-  
quod corpus simile largè, quia  
est ratio formalis remotà, &  
fundamentalis. Loquedo ergo  
de ratione formalis proxima, &  
quæ est propriè talis, verissimū  
est, quod sine multiplicatione  
eius non potest multiplicari illud,  
cuius est ratio formalis (si-  
mile enim non potest multiplicari  
sine multiplicatione relationis  
similitudinis.) At, si lo-  
quamur de ratione formali,  
quæ solum est talis remotè, &  
fundamentaliter, & consequē-  
ter largè, & impropriè, falsum  
est, sine multiplicatione eius  
non posse multiplicari illud, cuius  
est ratio formalis: nam eadē  
numero albedo in vno subie-  
cto potest esse fundamentū res-  
pectu multarum relationū si-

militudinis ad plures terminos.  
Quantitas autem etsi sit ratio  
formalis essendi corpus in lo-  
co; sed non proxima, hæc enim  
est relatio *vbi*, (scu præsentia)  
sed remotà, & fundamentalis:  
& sic sine multiplicatione eius  
potest optimè corpus esse præ-  
sens pluribus locis; quia eadē  
numero quantitas potest esse  
fundamentum multarum re-  
lationum præsentia, seu vbi-  
quationis ad plura loca.

24 Ad tertiā (quæ, si vim ha-  
beret, convinceret etiam non  
posse Angelū esse simul in duobus  
locis adæquatis modo de-  
finitivo: cuius oppositum susti-  
nent aduersarij) admittimus li-  
benter, quod, si idem numero  
corpus potest potentia Dei ab-  
soluta esse in duobus locis, pos-  
set per eandem potentiam esse  
in pluribus, & pluribus, & con-  
sequenter vbiq̄ue. Negamus  
tamen, inde inferri, quod illud  
corpus esset immensum immē-  
sitate, quæ est attributum Dei;  
quia de immensitate attributi  
Dei non solum est esse vbiq̄ue;  
sed esse vbiq̄ue per essentiam;  
id est, necessariò, & id, postulā-  
te natura eius, quod dicitur esse  
inmensum.

25 Ad confirmationem (quæ  
etiam militat contra quemcū-  
que modum essendi vna res in  
pluribus locis, siue definitivū,  
siue circumscripiuum, siue sa-  
cramentalem) concessio ante-  
cedenti, negamus consequentiā.  
Cuius disparitatis ratio est;  
quia

quia si nulla res potest duobus  
temporibus, simul coexistere,  
hoc est, quia, cum de ratione  
tēporis, sit successio, siue prius,  
& posteri, implicat quod duo  
tempora simul existant, quod  
per se necessarium est ad hoc,  
vt aliqua res simul coexistat  
duobus temporibus. Cuius op-  
positum reperitur in locis; nā,  
cum permanentia sint, possunt  
simul existere, & consequēter  
vñ corpus simul in illis diuer-  
sis vbiicationibus præsentari.

26 Ad quartam (quæ non so-  
lūm militat contra omnē mo-  
dum essendi res in pluribus lo-  
cis, etiam sacramentalem; sed  
etiam contra modum existēdi  
rei spiritualis totaliter in pluri-  
bus locis partialibus) respon-  
detur, ex eo, quod vñ nūme-  
ro corpus esset in duobus lo-  
cis distantibus solum inferri,  
quod esset diuisum à se ipso lo-  
caliter, non verò, quod esset di-  
uisum à se ipso entitatiuè, qua-  
ratione dicimus esse vnum, &  
cōsequenter indiuisum in se, &  
diuisum à quolibet alio. Et  
quod ex distantia locali non in-  
feratur necessariò diuisio, seu  
distinctio entitatiua, coguntur  
aduersarij fateri; nā aliàs è cō-  
trario ex similitate loci inferen-  
dā esset identitas entitatiua lo-  
catorum; quod non admittunt  
aduersarij, cū ipsi cū comuni  
sententia fateantur, posse plura,  
& distincta corpora, potentia  
Dei absoluta, esse simul in eodē  
loco modo circumscripiuo.

27 Ad quintam (quæ, si quid  
probaret, probaret vtique ne-  
que successiue posse idem nu-  
mero corpus esse in duobus lo-  
cis modo circumscripiuo, siqui-  
dem neque successiue potest  
res esse sub alia specie ab illa,  
sub qua est) respondetur falsum  
omnino esse id, quod aduersarij  
assumunt in antecedenti præ-  
dictæ rationis, scilicet, quod si-  
cut qualibet res se habet ad  
suam speciē, ita se habet quan-  
titas ad locum; nam species est  
ipsa essentia rei; locus autē est  
quid extrinsecum quantitati,  
corporis existentis in loco.

28 Ad confirmationem (quæ  
etiam militat cōtra omnē mo-  
dum essendi vñ rē in duobus  
locis) concessio antecedente, ne-  
gamus consequentiā. Et ad  
probationem dicimus; mutatio-  
nem localem, sicuti & quam-  
cunque aliam, esse in duplici  
differētia: nam alia est à termi-  
no positiuo in terminum posi-  
tiuū (& de hac verificatur,  
quod sit mutatio ab vno loco  
in alterū) alia verò est à termi-  
no priuatiuo, vel negatiuo ad  
terminū positiuū: & de hac  
non verificatur, quod sit muta-  
tio ab vno loco in alium; sed à  
priuatione, vel negatione ali-  
cuius loci ad prædictū locū. Et  
hæc mutatio localis interueni-  
ret in casu, quo Deus corpus  
existens in vno loco in alio  
constitueret sine desertione  
prioris loci; non verò prima.

29 Quod si aliquis obijciat ex

Arist. 5. Physicorum text. 26. cuiuslibet motus termini sunt impossibiles; sed quæcunque duo *vbi* possunt esse termini eiusdem motus, quia potest corpus moueri ab vno *vbi* ad aliud: ergo quæcunque duo *vbi* sunt impossibilia circa idē corpus. Respondet optimè Scotus q. 2. citata litt. O. prædictū Philosophi affatum intelligēdum esse de primis terminis motus (quales sunt forma, & priuatio formæ) non verò de terminis concomitantibus, vt est forma præexistens in subiecto motus simul cum priuatione formæ, ad quam est motus. Hæc enim optimè potest cōponi in subiecto simul cū termino ad quem motus, vt patet in motu, quo corpus animatur, *vbi* licet priuatio animæ non possit manere in corpore simul cum anima, quæ est terminus *ad quem* illius motus; benè tamen organizatio, non obstāte, quòd sit terminus *à quo* illius motus; eo quòd nō est terminus *à quo* priuatio, sicuti est priuatio animæ; sed cōcomitans prædictam priuationem.

30 Ad sextam (quæ etiā procedit cōtra quemcunque modum essendi vna res in duobus locis) negamus sequellam. Et ad probationem dicimus, quòd sicut quando tertium est in suo esse quid illimitatum, non sequitur, quòd ea, quæ sunt idem realiter cum illo, sint

idem realiter inter se; vt videre est in diuinis personis, quæ etiam si sint idem realiter cum essentia diuina, non sequitur, quòd sint idem realiter inter se: ita nō sequitur ex eo, quòd aliqua sint simul cum aliquo tertio, quòd sint simul inter se, si illud tertium in ratione essendi in loco est illimitatum (quale est corpus existens in pluribus locis addæquatis.) Alias hæc consequentiæ essent bonæ (inquit Scotus) ego sum simul cum æternitate; & Antichristus est simul cum æternitate: ergo ego, & Antichristus sumus simul. Item, caput est simul cum anima, & pes similiter: ergo caput, & pes sunt simul.

31 Ad septimam (quæ, si quid probaret, probaret etiam, non posse esse corpus Christi definitiuè, seu sacramentaliter in duobus locis) responderetur, in casu, quòd idem numero corpus poneretur simul in duobus locis, non sequi, quòd idem distaret, aut esset propinquum ad se ipsum entitatiuè; sed quòd prout hic existens esset localiter distans, aut propinquum ad se ipsum, prout existens alibi. In quo nulla est repugnantia: si quidem tam loca, quam *vbi* cationes, seu præsentia, quas diceret ad illa loca, quæ sunt extrema, inter quæ versantur illæ relationes reales distantia, vel propinquitatis, sunt realiter distinctæ.

32 Ad octauā (quæ erat Vazquez, etsi vim haberet, probaret contra ipsum; non posse Angelū virtute diuina in duobus locis adæquatis constitui) respondetur in casu, quòd corpus per diuinam potentiam in duobus locis simul poneretur, vel dicēdum esset id, quòd docet Hurtado disp. 14. de loco sect. 5. §. 47. scilicet, quòd non posset in aliquo ex illis locis naturaliter moueri; quia etiā si haberet potentiam actiuam ad se localiter mouendū; non tamen haberet potentiam passiuam expeditam ad prædictum motum localem suscipiendū. nam potentia passiuā ad recipiendū vnum *vbi* redditur naturaliter incapax recipiendū illud, dum alio est informata; & illud aliud virtute superiori, qualis est diuina, in illa conseruabatur. Nō secus ac aqua, dum ab igni est calefacta, etiam si habeat virtutem reducendi se ad primitiuam frigiditatem; non potest se reducere ob defectum potentia passiuæ, quæ impedita est a calore ignis præsentis, & ipsum conseruantis. Aut dicendum foret id, quòd mihi videtur probabilius, & conformius menti Scoti, quòd semel positum illud corpus per virtutem diuinam in duobus locis posset à principio intrinseco, & naturali in quolibet ex illis locis se localiter mouere; & acquirere nouam

præsentiam in quocumque loco, non secus ac posset quascumque alias operationes naturales exercere: nam præsentia illæ, etsi fuerint acquisitæ modo miraculoso, & supernaturali; tamen quoad suam substantiam non essent supernaturales, sed potius naturales. Et quamuis positio vnus corporis in duobus locis sit signum voluntatis existentis in Deo, qua efficaciter vult, illud corpus esse, & conseruari in duobus locis; sed non voluntatis, qua efficaciter velit, quòd hæc loca solū sint illa, in quibus à principio prædictū corpus collocatum est; sed ista, vel quæcumque alia, ad quæ potest corpus semel constitutum in duobus locis à principio, & virtute naturali se mouere.

33 Vndè ad primum inconueniens, quòd obiebat Vazquez cōtra istam nostram positionem responderetur, quòd sicut non potest idem numero corpus poni in duobus locis adæquatis sine miraculo, & virtute supernaturali; ita in ipsis neq; quiescere, aut moueri poterit, nisi interuentu huius primi miraculi. Quare, si miraculose idem numero homo poneretur simul Romæ, & Matriti, posset quidē ille homo virtute sua naturali progressiua ambulare Romæ, & Matriti; sed hoc non sine interuentu miraculi, quo vult Deus illum conseruare in diuersis locis.

Vnde non sequitur id; quod in argumento inferebat Vazquez, scilicet, posse hominem sola virtute naturali acquirere presentias in loco diuersas ab his, in quibus prius positus fuerat virtute supernaturali.

34 Ad secundum inconueniens respondetur, quod si homo ex istens Romæ, & Matriti, veniret ex Roma, & accederet ad *vbi*, quod habet Matriti, & si hoc præstaret virtute sua naturali progressiua; sed non sola, sed adiuncto, & perseuerante miraculo, quo Deus vult conseruare illum hominem in duobus locis. Et cum inquiritur, an expelleret se ab illo *vbi* Matriti, ad quod accedit? respondet Scotus q. 2. citata lit. R. quod se expelleret, nisi forte illa virtus agens, per quam habuit aliud, & aliud *vbi* desineret conseruare ipsum, vt aliud vbiquatum; & tunc non haberet, nisi tantum *vbi*, quod habuit prius. qui escens Matriti; quia desineret esse secundum *vbi*, quod habebat in motu. Et cum inferitur, quod iam idem corpus esset impossibile sibi ipsi, responderetur, quod hoc non esset ratione sui, sed ratione vbiquationum, quas haberet, quæ impossibiles sunt.

35 Nona, & vltima ratio expostulat, vt exagitemus illam difficultatem, quam exagitat Scotus quæst. 2. citata,

vtrum, scilicet, corpori existenti per diuinam potentiam in duobus locis eadem, vel diuersæ affectiones competere possent, vel debeant? quæ difficultas, etsi valde diffusè ab aliquibus recentioribus exagitetur; clarè tamen, & breuiter per tres solas propositiones resoluitur à Scoto. Ad quod aduertit ipse Scotus, accidentia (quoad præsens attingit) esse in duplici differentia: quædam sunt essentialiter priora ipso *vbi*, id est, nullo modo in suo esse à presentia corporis in loco dependentia; licet produci petant per motum, in loco determinato factum; vt calor, frigus, mors, vita, scientia, ignorantia, &c. Quædam verò sunt, vel simul natura cum ipso *vbi*, vel essentialiter posteriora ipso *vbi*, id est, in suo esse à presentia in loco dependentia, vt sedere, ambulare, esse sursum, vel deorsum, esse distans, vel propinquum, calefieri, percuti, videre, &c.

26 Hac distinctione supposita, prima propositio, quam statuit Scotus, talis est: *Quæcumque sunt priora essentialiter ipso vbi, uniformiter in sunt corpori, quamuis habentur diuersa vbi; nec variabuntur variato ipso vbi. Quæ verò essentialiter posteriora sunt ipso vbi, vel simul natura cum ipso, variabuntur secundum variatæ ip-*

*ipsum vbi. Hoc patet, quia prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris; sed posterior essentialiter bene variatur ad variationem prioris. Quæ etiã sunt simul natura cum alio, variantur cum illo. Hæc Scotus.*

37 Posterior pars huius propositionis communiter à Doctoribus amplectitur: & iuxta illam dicendum est, non solum in eodem corpore habenti diuersa *vbi*, seu diuersas presentias in diuersis locis variari accidentia, quæ sunt essentialiter posteriora ipso *vbi*; sed etiam contingere posse, quod secundum vnum *vbi* conueniant illi accidentia opposita illis, quæ conueniunt illi secundum aliud *vbi*; opposita (inquam) non solum relatiuè, vt quod hic sit sursum; illic deorsum: nec solum contrariè, vt quod hic frigeat; illic calefiat: sed etiam contradictoriè, vt quod hic se deat, illic non; hic ambulet; illic non, &c. Et ratio est, quia nulla est repugnantia in hoc, quod opposita, etiam contradictoriè, de aliquo verificentur secundum diuersas rationes: quod in proposito contingit; siquidè vbiquationes, quæ sunt, secundum quas, seu ratione quarum hæc opposita de corpore existente in diuersis locis verificantur, diuersæ, & distinctæ sunt.

38 Prior verò pars propositionis Scoti, etsi recipiatur à Doctoribus, sed non eodem mo-

do. Quidam dicunt esse veram de potentia ordinaria, non verò de potentia Dei absoluta. Ita Gabriel lect. 46. in can. Misæ, Sotus 4. Physic. q. 2. art. 3. Hurtado disput. 14. Physica sect. 5. Fundamentum eorum est, quia existimant, nullam esse repugnantiam in hoc, quod calor, v.g. sit in hæres corpori in vno loco, & in alio non; & similiter in hoc, quod anima informet corpus in vno loco, & in alio non; nam etiam si videatur, ex hoc sequi duo contradictoria, vt sunt esse calidum, & non esse calidum; esse viuum, & esse mortuum verificari posse de eodem corpore, sed non prout in eodem loco: quæ conditio (dicunt) etiã est necessaria ad saluandum duo contradictoria de eodem verificari non secus, ac etiam est necessarium ad saluandum, duo contradictoria de aliquo verificari, quod conueniant ei pro eodem tempore: alias duo contradictoria de corpore Christi, prout est in celo, & prout est in sacramento, verificarentur; cum in celo eius quantitas sit actualiter extensa in ordine ad locum; secus verò in sacramento altaris.

39 Alij verò docent, prædictam priorem partem propositionis Scoti, non solum non esse veram de potentia Dei absoluta, sed neque vniuersaliter esse veram de potentia ordinaria. Distinguunt enim hi auctores accidentia, quæ sunt essen-



essentialiter priora *ubi*, in ea, quæ conueniunt subiecto, antequam à Deo ponatur in diuersis locis, & in ea, quæ conueniunt subiecto iam in diuersis locis constituto. Et de prioribus dicunt, connaturaliter petere, vt, si prædictum subiectum à Deo in diuersis locis constituatur, simul etiam cum subiecto in diuerso loco accidentia ponantur; quia connaturale est, vt motis nobis, simul moueantur, quæ sunt in nobis. Vnde Concilium Tridentinum sess. 13. c. 4. docet, cum corpore Christi in Sacramento Eucharistiæ esse simul animam Christi, & eius diuinitatē, non ex vi verborum, quibus consecratur hostia (quia hæc solum significant, ibi esse corpus Christi) sed per concomitantiam; quia eidem corpori Christi in celo existenti vere, & realiter sunt vnita. Et omnes Theologi idē fatentur de quantitate, & cæteris accidentibus non dependentibus in suo esse à loco, seu præsentia locali, quæ in celo habet. De posterioribus autem affirmant, connaturaliter non petere esse in omnibus locis, in quibus ipsorum subiectum virtute diuina collocatur; ac per consequens, si virtute diuina vnquam corpus esset Romæ, & Matriti; & Romæ applicaretur ei ignis, calor ab igne productus solum inhaereret illi corpori Romæ, non autē Matriti. Alias (aiunt) agens naturale ageret vltra

sphæram suæ actiuitatis: quod naturaliter est impossibile. Et confirmatur; quia, si ignis existens Romæ produceret calorem in corpore non solum in existente Romæ, sed etiam Matriti, ille calor haberet duas præsentias, sicuti & haberet corpus, in quo recipitur. Sed non potest, ex vi agentis naturalis, idem effectus habere duas præsentias: ergo neque produci virtute naturali in corpore existenti in duobus locis, ita vt vtrobique illi inhaereat. Ita philosophatur Suarez super 3. p. t. 3. disp. 48. sect. 5.

40 Nobis autem dicendum est, priorem illam partem propositionis Scoti (scilicet, accidentia, quæ essentialiter sunt priora ipso *ubi*, & consequenter in suo esse à præsentia locali omnino independentia, vni-formiter inesse corpori, quæuis habeat diuersa *ubi*, nec variari, variatō *ubi*) non solum esse veram de omnibus istis accidentibus, siue conueniant corpori, antequam à Deo constituatur in diuersis locis, siue postquam iam est constitutum, producatur in eo ab agente existenti in vno ex illis locis; sed etiā esse ita necessariam, vt neque de potentia Dei absoluta possit aliter contingere. Ita tenet cum Scoto discipuli: & ex alijs Henr. quodl. 9. q. 3. 2. Alti, siodorensis lib. 4. tract. 5. q. 6. Vazquez 3. p. disp. 189. cap. 4. Nugno q. 76. art. 2. Rubius hic

hic q. 7. de loco. Et videtur D. Tho. 3. p. q. 76. art. 1. & q. 81. art. 4. in quantum absolute docet, easdem affectiones absolutas continere Christo Domino in sacramento, ac extra sacramentum.

41 Ratio efficax huius doctrinæ est; quia, cum huiusmodi accidentia conueniant corpori omnino independentem in suo esse à loco, seu præsentia locali; (vt supponimus) & insuper corpus existens in duobus locis idem omnino numero sit; ita implicabit, quod aliquid accidens ex his (v.g. calor) inhaereat prædicto corpori in hoc loco, & quod in alio non inhaereat, ac implicat absolute, quod idem numero calor inhaereat eidem numero corpori, & quod non inhaereat. Sed implicat contradictionē, quod idem numero calor inhaereat eidem numero corpori, & quod simul non inhaereat: ergo similiter implicabit, quod idem numero calor inhaereat eidem numero corpori in hoc loco, & quod simul non inhaereat in loco alio.

42 Id autem, quod nam. 38. respondebant aduersarij, (scilicet, ad verificanda prædicta contradictoria de eodem subiecto esse conditionem necessariam, quod verificetur de ipso, prout in eodem loco existente; non secus, ac est necessarium, quod verificetur de ipso, prout existente in eodem tempore)

friuolum est; licet enim hoc sit necessarium, quando prædicatum, quod affirmatur, & negatur, conuenit subiecto dependentem ab *ubi*, seu præsentia, vt est ambulare, esse sursum, &c. secus tamen, quando prædictum prædicatum conuenit subiecto omnino independentem ab *ubi*, seu locali præsentia; vt est esse calidum, esse viuum, &c. sicut etiam constat, ad verificanda contradictoria de eodem subiecto non esse necessarium, quod de ipso verificetur pro eodē tempore, quoties prædicatum, quod de ipso affirmatur, & negatur, conuenit illi sine dependentia à tempore: quales sunt illæ, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, vel propria illius passio.

43 Vnde ex paritate temporis, qua vsi sunt aduersarij ad soluendam rationem nostram, possumus nos contra ipsos nouam, & satis validam rationem in hunc modum concinnare. Istæ propositiones, *Petrus est rationalis; Petrus non est rationalis*, sunt contradictoriæ, etiā si enuntientur de Petro in diuersis temporibus; & non alia ratione, nisi quia rationalitas competit Petro omnino independentem à tempore: ergo similiter hæc propositiones, *Petrus est calidus; Petrus non est calidus*, & his similes erunt contradictoriæ, etiā si enuntientur de Petro in diuersis locis existente, non alia ratione, nisi

quia calor cōpetit Petro omnino independentē à loco, seu à locali præsentiā.

44. Instantia verò illa de corpore Christi, cui existenti in cælo competit, quòd eius quātitas sit actualiter extensa in ordine ad locum; secus verò prout existenti in sacramento altaris, ineptè ab aduersarijs adducitur ad suam sententiam roborandam: siquidem actualis extensio in ordine ad locum non est accidens conueniens corpori Christi independentē à loco, & essentialiter prius natura ipso *vbi*, quæ sunt accidentia, de quibus nunc procedit quæstio, & similiter procedit prior pars propositionis Scoti; sed potius est accidens dependens à loco in suo esse; imò formaliter sumpta prædicta extensio, seu commensuratio localis est ipsum *vbi*. Constat autem tum ex priori parte propositionis Scoti; tum etiam ex dictis circa illam num. 37. huiusmodi accidentia non solum variari in eodem corpore ex variatione loci, seu præsentiæ localis; sed etiam in diuersis locis posse eidem corpori competere accidentia huius generis opposita, etiam contradictoriè.

45. Ad fundamentum, quo Suárez suam sententiam roborabat, respondetur verè esse, agens naturale nō posse agere virtute naturali, nisi intra pro-

priam spheram suæ actiuitatis; ac per consequens si corpori existenti simul Romæ, & Matriti applicaretur ignis Romæ, ille ignis nō produceret virtute naturali calorē in illo corpore Matriti, sed Romæ. Tamē, quia per miraculū illud corpus est simul Romæ, & Matriti, inde fieret virtute huius miraculi, vt calor productus ab igne Romæ haberet etiā præsentiā localem Matriti, non secus, ac illam habet corpus, in quo recipitur. Imò addo, in nostra sententiā, quæ sustinet (vide quæst. 3. à n. 31. vsque ad 32.) qualitates nō esse præsentes in loco alia præsentiā ab ea, qua est corpus quantitatiuè extensum, quæ per se competit substantijs materialibus cōpletis *vt quod*, quantitati verò *vt quo*, qualitativibus autē, & alijs accidentibus per accidens, dicendum esse, non posse istā præsentiā localem Matriti à Deo impediri, nisi destruendo præsentiā localem, quam supponimus habere Matriti prædictū corpus. Ex quibus etiam manet soluta confirmatio; nam respondetur illas duas præsentiās, quas diceret calor productus ab igne in corpore existente Romæ, & Matriti, prouenire quidem ab igne, non ex propria virtute præcisè, sed ex suppositione miraculi, quòd Deus conseruat prædictū corp⁹ præsens Romæ, & Matriti, & in virtute illius.

46. Secūda propositio, quam pro-

proponit Scotus, talis est: *Sicut passum existens in vno vbi reciperet formam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis; sic ipsum in duobus locis existens patietur ab eisdem sibi in illis duobus vbi approximatis. Et hoc intelligo de passione, quæ est ad formam absolutam.*

Hæc Scotus. Quæ propositio manifestissima est; nam (vt ipsemet Scotus ibidem ait) ad hoc, vt patiens patiatur ab agente recipiendo istam formam, solum est necessarium, quòd sit in potentia passiuā ad istam formam; & quòd agens habens in potentia actiuā istam formā sit passio debitè approximātū. Quòd autem hæc approximatio sit in isto, vel illo *vbi*, omnino est per accidens. Sed passum positum in duobus *vbi* habet eandem potentiam passiuā ad formam absolutam, quam habet in vno *vbi*; & similiter agentia eandem virtutem actiuā habent ad hanc formam producendam, quando sunt illi approximata in vno *vbi*, ac quando illi approximantur in diuersis *vbi*: ergo verā est propositio Scoti, scilicet, quòd sicut passum existens in vno *vbi* reciperet formam absolutam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis; sic ipsum in duobus locis existens patietur (loquendo de passione, quæ est ad formam absolutam) ab eisdem sibi in illis duobus *vbi* approximatis.

47. Solum est aduertendum;

per formam absolutam intelligere Scotum formam, siue substantialē, siue accidentalem, quæ essentialiter est prior ipso *vbi*; ac per consequens nullo modo pendens in suo esse, neque à loco, neque à præsentiā locali. Et ideo merito restrinxisse suam propositionem ad passionem, quæ fit secundum formam absolutam; nam, si sermo sit de passione, quæ fit secundum formas relatiuas, id est, secundum formas accidentales, quæ sunt essentialiter posteriores ipso *vbi*; & consequenter in suo esse dependentes à loco, seu præsentiā locali, non est vera prædicta propositio; vt ipsemet Scotus paulò inferius annotauit. Et ratio est, quia, cum in passio potētia receptiuā respectu istarum formarum, seu accidentium varietur ex variatione *vbi*, non est necessarium, quòd sicut passum existens in vno *vbi* reciperet formam respectiuā à duobus agentibus sibi ibidem approximatis; sic ipsummet in duobus locis existens patiatur ab eisdemmet agentibus sibi in illis duobus *vbi* approximatis secundum istas formas, seu accidentia respectiuā.

48. Tertia propositio Scoti est: *Sicut corpus in vno vbi existens se habet in ratione actiuā ad diuersa sibi approximata in illis vbi, sic ipsum, vt existens in duobus vbi se habet ad eadem sibi in illis*

*vbi approximata.* Hæc Scotus. Quæ propositio intelligenda est, sicut præcedens, de potentia actiua respectu formarum (siue substantialium, siue accidentalium) absolutarum, id est, quæ essentialiter sunt priora ipso *vbi*; & consequenter nullo modo dependentia in suo esse, neque à loco, neque à præsentia locali. Et probari potest simili argumento, quo probata est secunda propositio.

49 Ex his ergo Scoti propositionibus nõ erit difficile, his, quæ in nona ratione nobis obijciunt aduersarij satisfacere. Ad primum fatemur expositione eiusdem corporis in diuersis locis circumscriptiue sequi, quod idem numero homo posset (si potentia Dei absoluta poneretur in multis locis) facere choreas, & magnũ exercitum in campo. Quod si hæc videntur mira sequentibus imaginationem, sed non sequentibus rationem; cum ad hoc solum requiratur, quod in eodem fundamento multiplicentur respectus præsentia ad multos terminos.

50 Ad secundum, quod, cum sursum, & deorsum sint respectus conuenientes corpori dependentes ab *vbi* (& idem dico de accidentibus ambulandi, & quiescendi, quæ tertio loco proponebantur) nullum est inconueniens, quod idem numero corpus existens in duobus

locis, in vno esset sursum, & in alio deorsum; & quod in vno ambularet, & in alio quiesceret; quia (vt ex posteriori parte primæ propositionis Scoti constat) non est necessarium, vt corpori existenti in vno loco conueniant accidentia, quæ illi conueniunt in alio, si sint ex his, quæ sunt essentialiter posteriora *vbi*, & ab ipso in suo esse dependentia: imò possunt competere illi in vno loco accidentia opposita, tam relatiue, quam contradictorie, illis, quæ conueniunt ipsi in alio loco.

51 Ad quartum respondet Scotus, quod, si loqui dicat actum imaginationis, vel intellectus (cum isti actus sint accidentia essentialiter priora *vbi*) si conueniunt homini in vno loco, conuenient illi in quocumque alio fuerit, iuxta dicta in priori parte primæ propositionis. Tamen si loqui dicat formationem vocis per instrumenta naturalia in aere percuso, posset homo existens in duobus locis in vno loqui, & in alio tacere; quia alius erit aer contiguus organibus vocalibus in isto *vbi*, & alius in alio *vbi*: & esto, quod esset idem aer, moueri tamen poterit hic localiter, & ibi non.

52 Ad quintum respondet Scotus, quod esuries, seu fames est appetitus calidi, & seci: ille autem appetitus, aut est naturalis, vel voluntarius, & vtroque

mo:

modo est quid absolutum, seu independens ab *vbi*; & sic non variatur in corpore propter variationem *vbi* (ex priora parte primæ propositionis) ac per consequens, si hic satiaretur, & cessaret appetitus cibi, cessaret etiam in quocumque alio *vbi*, licet non ex cibo sumpto alibi; sed sumpto hic. Quod si dicas (subnectit Scotus) saturitatem esse repletionem corporalem stomachi: tunc dubitari posset, an si cibum non recipiat homo hic; sed alibi, vtrũ hic esset eius stomachus repletus? & respondet, quod non; sicut nec corpus Christi, vt in Eucharistia, esset vulneratum, quado vulnerabatur à Iudæis; quia ista repletio non dicit, nisi præsentiam alimenti contenti à continente, scilicet à stomacho, vel ventre, & sicut possibile est, quod continentia istud corpus hic, & ibi sint alia, ita possibile est, quod continentia actiua istius corporis hic sit alia à continentia eius in alio *vbi*; quia hoc nihil absolutum dicit; sed respectum extrinsecum.

53 Ad sextum patet ex tertia propositione Scoti, quod in temperies vnus aeris, & temperies alterius idem causarent in eodem corpore existente in duobus locis, si vna applicaretur ei in vno loco, & alia in altero, ac causarent in prædicto corpore, si existente in vno loco simul vtraque applicaretur.

Vnde sicut in isto ultimo casu dicendum foret, quod, si in temperies aeris vinceret in actiuitate temperiem alterius aeris, corpus illud incurreret infirmitatem; si verò essent æquales in actiuitate, acciperet corpus qualitatem mediam inter infirmitatem & sanitatem; ita dicendum esset in primo casu.

54 Ad septimum respondetur ex Scoto, quod occisio potest sumi, vel pro vulneratione, vel pro effectu ex ea secuto, qualis esse potest vel vulnus, quod in discontinuatione partium consistit; vel mors, quæ consistit in separatione animæ à corpore. Si primo modo sumatur, non sequitur, quod, si corpus in duobus locis existens vulneratur in vno; vulneretur etiam in alio; quia vulneratio (sicut & quæcunque alia actio transiens) est accidens essentialiter posterius *vbi*; & sic non est necessarium, quod conueniat subiecto, quod passiuè ab ea denominatur, in omni loco (iuxta priorem partem primæ propositionis) est enim vulneratio passiuè sumpta diuisio continui, vt hic ab aliquo hic diuidente. Si verò sumatur secundo modo, scilicet pro effectu ex vulneratione secuto, dicendum est, quod *vbi* cunque corpus vulneretur, effectus ex vulneratione secutus) siue sit vulnus, & discontinuatio continui; siue sit mors;

& separatio animæ a corpore) esset in corpore vulnerato, ubicūque illud esse; quia sunt accidentia essentialiter priora *ubi*, & in suo esse nullo modo a presentia locali dependentia: & huiusmodi accidentia non variantur, ex variatione *ubi*, ex priori parte primæ propositionis Scoti.

55 Ad octauum respondetur, quod, si corpori existenti in duplici loco applicaretur ignis in vno loco, & in altero nix, in vno calefieret ab igni, & in alio frigeretur a niue. Non tamen inde sequeretur, quod simul haberet calorem, & frigus in gradibus intensis. Sed dico, quod in dicto casu idem contingeret (ex tertia propositione Scoti) ac in casu corporis existentis in vno tantum loco; si simul applicaretur ignis, & nix. Vnde, cum in isto casu omnes fatentur, quod predictum corpus, nec reciperet calorem in summum ab igne propter resistantiam frigoris, quod simul in ipso cauatur a niue; nec etiam reciperet frigus in summum propter resistantiam caloris, qui simul ab igne cauatur in ipso, sed potius reciperet, tam frigus, quam calorem in gradibus remissis; ita contingeret in ea sua argumentatione.

56 Ad nonum fatemur, quod corpus existens in duobus locis, non haberet visionem obiectorum, que sunt presentia in vno loco, in loco alio; quia, cum

hæc visio sit intuitiua, & consequenter dependeat a presentia reali obiecti, solum poterit existere in corpore, prout est presentis loco; cui presentia sunt predicta obiecta; ac per consequens predicta visio, etiam si sit actio inmanens, inter accidentia, quæ essentialiter sunt posteriora ipso *ubi*, debet enumerari. Non tamen inde sequitur, quod eodem modo sit philosophandum de delectatione obiectorum turpiū, quæ oritur in voluntate ob visionem predictorum obiectorum; quia etiam si hæc visio fuerit causa predictæ delectationis; tamen ipsa delectatio inter accidentia, quæ sunt essentialiter priora *ubi*, & in suo esse nullo modo dependentia a presentia locali, numeratur; quæ accidentia non variantur ex variatione *ubi* (ex priori parte primæ propositionis Scoti) Vnde male in inconueniente inferebatur, quod homo in vno loco peccaret, & in alio non; & quod in vno loco esset in peccato, & in alio in gratia.

57 Ad decimum respondetur ex Scoto, quod, si idem numero panis poneretur in duobus locis, posset in vno manducari ab homine, & in alio a cane, sumpta manducatione pro eo, quod est mittere predictum panem in ipso stomacho; quia, ex hoc solum aduenirent panis diuersæ presentia locales ab his, quas ante habebant, quas cau-

causare possunt agentia naturalia in virtute diuina, qua predictus panis positus est in duobus locis, & conseruatur in quibuscūque alijs quando loco mouetur ab agentibus naturalibus. Non tamen inde sequitur, quod materia panis simul existens in stomacho hominis, & in stomacho canis simul informaretur forma hominis, & forma canis; sed in dicto casu contingeret (iuxta secundam Scoti propositionem) idem, quod contingeret in casu, quo Deus penetraret illa duo stomacha in eodem loco, (quod possibile esse fatentur aduersarij) & in utroque stomacho constitueret panem. Sic enim in hoc casu respondent aduersarij, quod non sequeretur, eandem materiam panis informari simul duabus formis substantiabilibus; nam, vel virtus vnius stomachi esset ita validior virtute alterius, ut non solum introduceret in materiam panis dispositiones requiritas ad introductionem sue forme; sed etiam impediret, ne alius stomachus introduceret in illam materiam dispositiones contrarias; & tunc solus hic stomachus introduceret in illam materiam suam formam, & non alius. Vel virtus vtriusque stomachi esset æqualis virtutis; & sic pariter impedirentur, ut nullus posset introducere in illam materiam suas dispositiones; & consequenter

nullas posset introducere in illam materiam suam formam, & in suam substantiam conuertere. Vel denique ita se haberent, ut vnus disponderet partem illius, & alius aliam, & sic vterque induceret suam formam in partem illius materie panis, & in suam substantiam conuerteret; ita pariformiter dicendum esset in nostro casu.

58 Ad vltimum de modico igni, qui posset mille ligna comburere, respondet Scotus, (ex tertia propositione) quod in dicto casu idem contingeret, ac in casu, quod illi paruo igni existenti in vno loco applicarentur mille ligna ad inuicem penetrata. Vnde sicut in isto casu diceretur, vel quod in aliquod istorum lignorum præcisè ageret: vel quod si in omnia, (quia non esset maior ratio agendi in vnum, quam in alterum) tunc ageret valde remissè in ea; ita dicendum est in nostro casu, quod actio illius ignis esset remissa in quodlibet istorum respectu actionis, quam haberet in vnum illorum, si in nullum aliud ageret. Nec mirum; quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora; & in multa, quam in vnum. *DIS*

## DISPVATIO II.

## De natura vacui.

**D**E natura vacui duo examinanda sunt. Primum, an detur in rerum natura? vel saltem per aliquam potentiam possit dari vacuum? Secundum, utrum si daretur vacuum, mouerentur per illud corpora? & quo modo?

## QVÆSTIO PRIMA.

*Utrum detur in rerum natura vacuum? vel saltem per aliquam potentiam dari possit?*

**V**acuum dupliciter sumi potest. Primò purè negatiuè: in quo sensu spatium illud immensum carens omni corpore, quod extra vltimum cælum imaginamur, vacuum appellari solet; licet improprie; proprie enim potius dicitur inane. Secundò priuatiuè, scilicet, pro carentia corporis contenti in subiecto apto nato illud continere. Et de vacuo, vt sic (quæ est propria acceptio huius nominis) procedit præsens quæstio. Quod vacuū sic definiuit Arist. cap. 8. huius libri: *Est locus non repletus corpore, aptus tamen repleti.* Quæ definitio non datur per verum genus; sed loco generis ponitur subiectum, quod pro materiali, & connotato dicit hoc cōcretum vacuum, scilicet, locus;

& per illum excluditur illud spatium inane, quod extra vltimum cælum imaginamur, quod, cum nō consistat in priuatione, sed in negatione continentie corporis, nihil reale positium pro materiali, & cōnotato importat. Quod tamen è contra in vacuo proprie sumpto contingit, quia priuationem (quæ per cæteras particulas, quæ loco differentie ponuntur, declaratur) pro formali dicit: & sic per ipsas differt à loco actu repleto, qui est, cum quo eius ratio materialis, & quæ posita est loco generis, conueniebat.

2 Est autem aduertendum, vacuitatem istam (in qua rationem formalem vacui constituiimus) dupliciter posse intelligi. Primò, ita vt solum dicit priuationem continentie sub-

stantie corporeæ, & qualitatum sensibilem, quæ ipsam consequuntur; non verò priuationem dimensionum quantitatiuarum. Et in hoc sensu Philosophi antiqui, contra quos disputat Aristot. vacuitatem vsurpabant. Contra quos optimè probat Arist. in littera textus non solum non esse necessarium ad saluandum motus, tam locales, quàm augmentationis, & alterationis ponere in rerum natura hoc genus vacui; (vt hi Philosophi contende-  
bant) sed etiam posito hoc genere vacui esse necessarium auferre à rerum natura motus istos: siquidem impenetrabilitas corporum (ad quam fugiendam, tam in motu locali, quàm augmentationis, & alterationis Philosophi isti antiqui vacuum requirebant) non competit corporibus ratione substantie, aut qualitatum sensibilem, sed ratione dimensionum quantitatiuarum: (vt eleganter probat Arist. cap. 9. tex. 76. instatia corporis cubici, quod si ab omni substantia, & qualitate sensibili separatam poneretur in aqua, vel in aère, tantum faceret distare latera corporis continentis, quantum est corpus cubum ibi positum) ergo si hoc vacuum, quod in motibus prædictis à corpore moto replebatur, erat actu dimensionatum (vt Philosophi antiqui astruebant) necessario fatendum erat, aut non posse

dari huiusmodi motus, aut quòd in ipsis daretur penetratio dimensionum, quæ naturaliter repugnat; & ad quam fugiendam Philosophi antiqui vacuitatem istam confingebant.

3 Secundo modo potest intelligi hæc vacuitas, ita vt non solum dicat priuationem continentie substantie corporeæ, & qualitatum sensibilem ipsam consequentium, sed etiam, & præcipuè dimensionum quantitatiuarum. Et in hoc sensu (qui est proprius acceptionis vacui; nam, si locus contineat corpus mathematicum, vt est trina dimensio quantitatiua, etiam si nullam substantiam corpoream, aut qualitatem sensibilem contineat, proprie non vacuus, sed repletus dicitur, vt optimè probat instantia corporis cubici supra ab Aristot. adducta) accipitur vacuitas, seu vacuum, tam à Theologis, quàm à Philosophis nostri temporis, cum in præsentis inquirunt, *utrum detur in rerum natura vacuum, vel saltem per aliquam potentiam dari possit?*

4 In hoc ergo sensu non defuerunt Philosophi, qui in rerum natura dari vacuum contenderint. Primò propter aliquos casus, quibus necessario videtur admittendum esse vacuum, saltem pro aliquo paruo tempore. Primus est, si daretur duæ tabulæ perfecte planæ sic inter se coniunctæ, vt nihil

nihil profus inter eas interie-  
ctum sit; harum vna poterit ab  
altera vi naturæ abivangi, ac se-  
cundum omnes partes simul  
elevari: hoc autem nō fiet, nisi  
dato vacuo pro aliquo paruo  
tempore in spatio intermedio,  
cū non possit aēr ita citō in-  
gredi ad occupandum illud.  
Secundus; si vas plenum aqua  
calida, & vndique clausum in  
loco perfrigidō collocatur,  
aqua in gelu concreſcet, den-  
siorque effecta minorem lo-  
cum occupabit, & aliquod  
loci intra vas vacuū relinque-  
tur; atque ita naturali vi vacuū  
continget.

5 Secundō; quia, si natura tā-  
topere horreſcit vacuū, oportet,  
vt eum vitandi gratia in-  
terdum vnum corpus relicto  
loco naturali ad locum alium  
sibi disconuenientem cū pri-  
uato incommodo propter cō-  
munē bonum vniuersi coniun-  
geretur. Sed hoc non videtur  
naturæ consentaneum: non er-  
go natura vacuum odit. Pro-  
batur minor, nam vehemen-  
tior est inclinatio cuiuscun-  
que rei ad suū peculiare  
bonum, quā ad commune:  
ergo nullum corpus cum suo  
detrimento propter commune  
bonum proprium locum de-  
seret. Hōc antecedens osten-  
ditur; quia natura (vt dici so-  
let) reflectitur in se ipsā, nec  
alterius bonum, nisi gratia sui  
querit. Vnde est illud Arist. 8.  
Ethicorum cap. 2. *Amabile bo-*

*num; maxime autem vnicuique pro-  
prium.*

6 Tertio argumentari solet  
non tam ad probandum, dari  
de factō vacuum, quā datum  
fuisse ante mūdi creationem.  
Quidquid in eo spatio est, in  
quō nullum corpus fuerat, &  
tamen esse poterat, id existit  
vbi prius fuit vacuum. Sed  
mundus nunc est in eo spatio,  
in quo ante mundi creatio-  
nem nullum corpus extiterat;  
poterat tamen esse, vt euentus  
comprobanit: est ergo mūdi  
in spatio, quod ante ipsius crea-  
tionem vacuum fuit.

7 Quarto adduci possunt ar-  
gumenta deducta ex necessi-  
tate vacui ad saluandum mo-  
tus tam locales, quā augmē-  
tationis, & alterationis, quibus  
antiqui Philosophi vtbantur,  
quæ etiā in sententia ipsorum  
ponentium vacuum dimen-  
sionatum potius deducebant  
ad oppositum (vt ex Arist. n. 2.  
dicebamus) tamen in senten-  
tia Theologorum, & Philoso-  
phorum huius temporis non  
ponentium vacuum dimen-  
sionatum nullo modo dedu-  
cunt ad oppositum; sed potius  
videntur concludere, necessa-  
riō admittendum esse vacuum  
in rerum natura ad saluandum  
istos motus. Argumenta sunt  
huiusmodi. Per motum loca-  
lem mouentur corpora natu-  
raliter ab vno loco in aliū: vel  
ergo mouentur ad locum ple-  
num, vel ad locum vacuum?

Pri-

Primum dici non potest; nam  
daretur penetratio dimensio-  
num, & duo corpora essent in  
vno loco; quod naturaliter re-  
pugnat: ergo dicendum est vl-  
timū, quod est intētum. Item,  
augmentatio fit in viuētibus  
per intusumptionem alimen-  
ti. Sed alimentum est corpus:  
ergo vel penēdæ sunt in corpo-  
re, quod augetur, vacuitates,  
quibus tranſeat alimētum, vel  
danda erit penetratio dimen-  
sionum. Item, per motum alte-  
rationis condēſari, aut rareſci  
solet corpus, quorum vtrum-  
que effet naturaliter impossi-  
bile, nisi in condensatione ali-  
quid illius loci, quem corpus  
antē occupabat, maneret va-  
cuum; & in rarefactione par-  
tes illius loci, ad quas extendi-  
tur corpus, antea non essent  
vacuæ.

8 Alia sentia esse potest in  
aliud extremum declinans,  
ſcilicet, in rerum natura non  
dari vacuum, sed neque vlla  
virtute (etiā diuina) dari posse.  
Quæ suaderi potest. Primō;  
quia per rationes, quas addu-  
cit Aristot. in hoc 4. Physico-  
rum contra antiquos Philoso-  
phos admittentes vacuum in  
rerum natura, contendit esse  
impossibile simpliciter. Secū-  
dō, quia inter latera vacui ni-  
hil est medium: sed secundum  
Philosophum 5. Physic. tex.  
22. & 7. Physic. tex. 9. illa  
sunt simul, quorum nihil est  
medium: si ergo esset va-

cuum, latera essent simul, &  
non simul; quod est manife-  
sta contradictio. Tertio, in  
tempore est contradictio, duo  
instantia esse distantia, & non  
esse tempus medium: ergo pa-  
ri ratione in loco erit contra-  
dictio, duo esse localiter di-  
stantia, & non esse corpus me-  
dium.

9 Sed vtraque ista sententia  
falsa est. Et sic contra primam  
asserendum cum Arist. (quem  
omnes Philosophi sequuntur)  
non solum non dari vacuum  
in rerum natura; sed neque  
ordinem rerum naturalium il-  
lud permittere. Et contra se-  
cundam asserendum est cum  
Scoto quodlib. 11. art. 2. & su-  
per 4. Physic. q. 12. conclus. 1.  
& q. 13. conclus. 3. & cōmuni  
omnium sententiam, nullam  
esse implicationem in positio-  
ne vacui, & consequenter pos-  
se dari per diuinam poten-  
tiam.

10 Priorem partem nostræ  
sententiæ probat ipsa experien-  
tia: quæ experimur, mira con-  
tingere in rerum natura ad  
euitandum, ne detur vacuum.  
Nam latera follium, si com-  
plicata sint, & orificium oc-  
clusum, nulla vi eleuari pos-  
sunt, quousque orificium ape-  
riatur, & per illud ingrediatur  
aēr ad replendum vacuum,  
quod esset, si non ingrede-  
retur, inter follium latera.  
Item, videmus, aquam contra  
naturalem inclinationem eius  
af-

ascendere sursum ad replendum spatium, quod occupabat aër sibi contiguus, cum à fistula attrahitur, ne illud spatium maneat vacuum. Item, experimur, aquam contra naturalem inclinationem, quã habet descendendi deorsum non fluere ex clesydra (Hispanè *regadera*) etiam si pavimentum sit plenum foraminibus, quousque aperitur superius orificiũ, quo ingrediatur aër ad replendum spatium, quod relinquitur in spatio superiori ab aqua defluente. Hęc enim mira, & plura alia, quę videmus contingere in rerum natura, ne detur vacuum, manifestè nobis indicant, nõ dari in rerum natura, neque ordinem rerum naturalium illud permittere.

11 Sed rogabit aliquis primò, quę sit causa, ob quam natura tantopere vacuum exhorreat, vt ad illud vitandum tot mira, & contra propriam, & innatam inclinationem particularium rerũ operetur? Respondetur ex doctrina Scoti 3. d. 27. q. vnica, §. *Istę rationes*. causam esse; quia, cum vniuersum ex his corporibus inferioribus, & alijs superioribus, tanquam quoddam totum ex suis partibus coalescat: & hęc corpora inferiora sine influxu superiorum conseruari non possint: & insuper hunc influxum corpora inferiora recipere nõ valeant sine contiguitate, & contactu, tam ad corpora infe-

riora, quàm inter se; iuxta illud Aristotelicum affatum 1. lib. Meteorologicorum, *Oportet, mundum hunc contiguum esse latioribus superioribus, vt inde regatur, & gubernetur*. Hinc esse, vt contiguitas partium, ex quibus vniuersum coalescit, sit bonũ totius vniuersi; non secus, ac continuïtas membrorum hominis est bonum totius hominis: & consequenter, quod totũ vniuersam naturaliter conspiret, & inclinetur ad tuendũ, & conseruandũ istam contiguitatem suarum partium, tanquam in bonum ipsius. Vnde sicut videmus in mundo minori (homine, scilicet) quod ipse homo habens plures partes ob bonum totius exponit partem minus principalem, & quam sine periculo totius potest amittere ad saluandũ partem principaliorẽ, & quam amittere non potest sine periculo totius: ita in mundo maiori, totam vniuersam, seu virtus regitiua, quę est in illo, ad saluandũ, & tuendũ contiguitatem suarum partium, quę est bonum commune totius vniuersi, mouet quãlibet partem ipsius, etiam contra propriam ipsius inclinationem; imò (quoties oportet) cũ omnimodo dispendio illius.

12 Secundò rogabit aliquis; quibus medijs, vtatur natura, seu virtus regitiua, quę est in vniuerso, ad vitandum vacuũ, seu ad conseruandũ, & tuendũ

dum contiguitatem partium ipsius vniuersi? Respondetur pluribus vtis; ex quibus quædã sunt difficillima; quædam vero magis facilia, semper autẽ vtitur facilioribus (si adsint) vt maiori cum tuauitate id fiat. Communẽ, & magis vsitatum (& ex consequenti, magis facile) est motus localis, quo extrahit à proprijs locis corpora viciniora, vt repleant locum, quem relinquit corpus, quod mouetur, & quo in istorum loca ingrediuntur corpora, quę à corpore, quod mouetur, ex proprijs locis expelluntur. Aliquando autem non habet locum motus localis; & sic vtitur motu alterationis, quo corpora viciniora rarefiunt, & in ampliore molem funduntur. Sæpè etiam vasa magna fragit ingenti impetu; & hoc contingit, cum corpus inclusum in vase, cui facilius est frangi, quàm complicari, condensatur per motum alterationis, & minorem locum occupat. Et denique vtitur obsistentia negativa in hoc consistente, vt vnum corpus non possit dimoueri a proprio loco: & hoc contingit, quoties non est via attrahendi corpus vicinum, vel rarefaciendi illud: vt videre est in follibus, qui, si habeant clausa orificia, quibus ingreditur aër, nec vlla adsit causa à qua rarefiat corpus in ipsis inclusum, nulla vi eleuari possunt, nisi aperiantur ori-

ficia, vel rumpantur.

13 Tertio rogabit aliquis, quę sit causa efficiens illius motus, quo attrahitur vnum corpus à proprio loco contra naturalem inclinationem ad replendum vacuum? Plures affirmant, esse causas vniuersales. Et ex his quidam hoc attribuant cælo, quidam Deo. Sed horum sententiã non probamus: quia non est recurendum ad causas vniuersales, nisi ex defectu causę particularis; quę respectu huius motus optimè assignari potest. Alij dicunt, causas efficiẽtes huius motus esse ipsa corpora contigua: nam quemadmodum magnes habet in se virtutem quandam occultam, per quam attrahit ferrum; ita omnia corpora habent propensionem naturalem efficacissimam ad esse contigua; & consequenter non solum ad trahendum secum omnia corpora vicina; sed etiam ad se mouendum ad motum alterius, ne actur vacuum, seu discontiguentur. Sed neque istorum sententiã nobis placet; nam (vt optimè vidit Scotus loco supra num. 11. citato) impossibile est, aquam se mouere sursum ab aliqua virtute ei innata, etiam propter bonũ vniuersi, quale est, ne detur vacuum; quia ex quo habet formam naturalem, quę determinata est ad vnam actionem, illa forma manens eadem numero nunquam potest esse ratio

tio formalis agendi opposita aëtionem: ipsa igitur aqua non se mouet sursum; sed solum mouetur ab aliquo mouente extrinseco, cui nihil cōfert aqua attenda eius particulari natura; sed potius renititur.

14 Dicendum igitur nobis est, prædicti motus nos posse assignari duplicem causam efficiens subordinatam, vnam proximam, & alteram remotam: causam proximam dicimus esse totum vniuersum, seu virtutem regitiuam, quæ est in illo, quæ naturaliter inclinatur, & conspirat ad tuendum, & conseruandum contiguitatem suarum partium, & consequenter ad euitandum, ne detur vacuum, tanquam in bonum proprium ipsius, etiam si hoc fiat contra inclinationem naturalem alicuius partis; imò cum dispendio illius. Ita colliges ex Scoto loco citato. Causam verò remotam esse illud efficiens, quod extrahit primum corpus à suo loco; v. g. cum ego absorbeo aërem fistulæ attingētis per oppositum orificium aquam, & ita per fistulam ascendit aqua; causa remota efficiens ascensus aquæ sum ego ipse, qui dum immediate attraho aërem (supposita conseruatione cōtiguitatis aëris cum aqua ab vniuerso, seu virtute regitiua, quæ est in ipso, proueniēte) mediatè attraho aquam. Quod probari potest à simili; nam sicut inter

partes continui reperitur continuitas; ita inter partes huius vniuersi reperitur contiguitas: ergo sicut, qui immediate attrahit vnam partem continui, saltem mediatè attrahit alias; ita, qui immediate attrahit vnam partem vniuersi (nempe aërem) mediatè debet attrahere alias aëri contiguas. Confirmatur, quia illius est operari, cuius est defatigari. Sed ille, qui attrahit aërem per fistulam, sentit defatigationem ex resistentia aquæ ascendētis: ergo ille est, qui operatur (saltem mediatè) ascensum aquæ.

15 Quarto rogabit aliquis. An motus, quo aqua ascendit sursum ad replendum vacuum, sit naturalis, vel violentus ipsi aquæ? Et dico notatè *ipsi aquæ*; nam, quod respectu totius vniuersi hic motus non sit violentus; sed maximè naturalis, dubitari non potest, cum sit ad seruandum contiguitatem inter partes vniuersi, & ad euitandum vacuum; quod est maximum bonum vniuersi; & sic vniuersum ad ipsum recipiendum dicat maximum pondus, seu inclinationem naturalem. Respectu verò aquæ distinguendum est, eo quod aqua dupliciter considerari potest: primò secundum propriam naturam; secundò vt est pars vniuersi simul cum alijs partibus ipsum realiter integrans, & componens.

16 Si primo modo conside-

retur aqua, dicendum est cum Scoto in 3. d. 27. q. vnica, §. *Iste rationes*, motum, quo aqua ascendit sursum ad replendum vacuum, esse illi violentum. Quia, & à principio extrinseco, & contra naturalem inclinationem, quam secundum propriam naturam habet. Quod satis clarè demonstrat experientia, qua experimur, aquam, quando ascendit sursum ad replendum vacuum, quantum est ex propria natura sua grauitare, & resistere tali motui. Neque fingendum est in aqua secundum propriam naturam spectata, præter inclinationem naturalem, quam habet descendendi, esse simul inclinationem naturalem ascendendi ob bonum totius, quale est; ne detur vacuum; vt ratio, quam num. 13. ex Scoto adduximus ad hoc ipsum probandum, manifestè ostendit.

17 Si verò aqua consideretur secundo modo, dicendum est cum eodem Scoto in 4. d. 49. q. 14. §. *Ad illud, quod obijciunt*, vtr. *Ad primum dico*. non solum prædictum motum esse aquæ naturalem, sed etiam ob hanc naturalitatem affirmandum esse, prædictum motum esse aquæ simpliciter naturalem & solum secundum quid esse illi violentum ratione violentiæ, quam patitur aqua in isto motu secundum propriam naturam eius considerata. Prior pars huius asserti ita perspicua

est, ac est perspicuum, prædictum motum esse toti vniuerso naturalem; nam motus, qui est naturalis toti, etiam debet esse naturalis partibus, ex quibus realiter integratur, & intrinsecè coalescit, si prædictas partes, non secundum proprias ipsarum naturas, sed secundum quod induunt rationem partium realiter, & intrinsecè integrantium, & componētium illud totum, expectemus. Constat autem ex dictis num. 15. motum, quo aqua ascendit sursum ad replendum vacuum, esse absque dubio toti vniuerso naturalem.

18 Posteriores verò partem optimè probat Scotus ex illo recepto principio; quando in aliquo sunt duæ potentiæ ordinatæ, naturalitas potentiæ superioris magis est attendenda, quam naturalitas potentiæ inferioris. Sed in aqua sunt duæ potentiæ ordinatæ, vna inferior, & conueniens illi secundum propriam naturam, scilicet, ad moueri deorsum; & alia superior, & conueniens illi, quatenus est pars vniuersi simul cum alijs ipsum realiter, & intrinsecè integrans, & componēs, scilicet, ad moueri sursum, ne detur vacuum: ergo in motu, quo ascendit sursum ad replendum vacuum, magis attendenda erit naturalitas posterioris potentiæ, quam prioris: ac per consequens, cum prædictus motus sit illi naturalis



secundum posteriorem potentiam, & violentus secundum priorem, dicendum erit, predictum motum esse aquae simpliciter naturalem, & solum esse illi violentum secundum quid. Quam doctrinam egregie declarat Scotus instantia sensus tactus, & gustus, qui reperiuntur in beatis cum carētia suorum actuum, ad quos secundum proprias naturas naturaliter inclinantur; & tamen, quia haec carētia est secundum inclinationem voluntatis beatorum; & haec inclinatio est potentiae superioris: hinc est, ut praedicta carētia, etiam secundum quid dicatur violenta ipsis sensibus tactus, & gustus; tamen simpliciter dicitur illis naturalis.

19 Posteriorem partem nostrae sententiae (scilicet, nullam esse implicationem in positione vacui in rerum natura, & consequenter posse dari de potentia Dei absoluta), optime probat Scotus; quia ad positionem vacui solum requiritur, quod annihilato vno elemento, aut parte eius, impediat, ne aliud corpus in eius locum succedat; vel quod separatis duobus corporibus contiguis, impediatur ingressus alterius corporis inter utriusque. Sed potest Deus absque vlla implicatione annihilare vnum elementum, aut partem eius, & impedire, ne aliud corpus in eius locum succedat: & similiter duo corpora contigua ad

inuicem separare, & impedire ingressum alterius inter utriusque: ergo etiam absque implicatione poterit vacuum in rerum natura constituere.

20 Sed rogabis, an saltem hoc posteriori modo possit vacuum causari ab aliqua virtute creata, vel creabili? Respondetur, dubitari non posse, Deum creare valere aliquam virtutem, a qua vacuum causari possit. Et ratio est, quia virtus impeditiva, ne detur vacuum, est virtus regitiva, quae est in toto vniuerso (vt constat ex dictis): quae naturali pondere in hoc conspirat, ne corpora, ex quibus integratur, discontiguentur, & fiat vacuum, tanquam in bonum commune toti vniuerso: quae virtus, etsi maxima sit, ut potest virtus totius vniuersi, non tamen est infinita; imo neque summa, quae a Deo creari potest; sicuti neque est infinita, neque summum, quod a Deo creari potest, ipsum vniuersum, in quo residet: ergo poterit Deus aliam virtutem maiorem creare; quae eo ipso poterit resistere virtuti regitivae, quae est in toto vniuerso, quando naturali pondere in hoc conspirat, ne corpora discontiguentur, & fiat vacuum.

21 Vtrum autem de facto hanc maiorem virtutem habeant Angeli, saltem collectiue sumpti? incertum est, neque adduci potest ratio, quae vnum, vel alterum conuincat. Illud

autem certissimum est, in hypothese, quod Angeli haberent istam virtutem, affirmandum fore, non permitti a Deo, quod illa utantur; sicut non permittuntur facere alia plura, quae suapte quidem virtute possent, sed in detrimentum cederent vniuersi. Et hoc saltem conuincit ille locus D. Pauli ad Hebraeos 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terrae.* Vnde in hypothese, quod Angeli haberent istam virtutem, & quod pro aliqua vice Deus permetteret, quod Angeli mediante illa causarent vacuum, talis causatio vacui esset miraculosa; quia non solum esset infueta, sed etiam extra communem, & ordinariam dispositionem, quae nunc est.

22 Restat, argumentis adductis, tam pro prima, quam pro secunda sententia satisfacere. Ad primum ex duobus casibus, quibus in primo argumento auctores primae sententiae contendebant, dari posse in rerum natura vacuum virtute agentium naturalium, saltem pro aliquo paruo tempore, responderetur in primis casum esse naturaliter impossibilem (vt testatur Aristot. 2. de anima cap. 11. tex. 113.) eo tamen gratis admissio. Respondetur secundo, quod naturaliter non posset tabula superior dimoueri ab inferiori, si aequaliter vndique eleuaretur; sed superior traheret

secum contiguam inferiorem: quemadmodum aërem attractum a fistula sequitur sursum aqua. Si tamen ex vna parte inciperet eleuari tabula, nulla est difficultas; quia sicut tunc illa eleuatio fit in tempore, ita & ingressio aëris ad occupandum spatium, quod relinquatur inter duas tabulas, fieri poterit. Ad secundum casum dicimus, quod, si resistētia complicationis, vel fractionis valis fuerit maior, quam vis alteratiua, qua debet aqua congelari, aqua non congelabitur; quia (vt supra dicebamus) ad impediendum vacuum natura semper vititur medijs facilioribus. At, si contingat e contra, vas illud dirumpetur, si facilius sit dirumpi, quam complicari. Debent autem partes valis ita a se mutuo abungi, & aëri subeundi locum dare, vt in eo instanti, quo fractio terminatur, congelatio extrinsecè inchoetur.

23 Ad secundum argumentum responderetur, solum militare (si aliquam vim habet) contra eos, qui docent, quando aliquod corpus mouetur ad replendum vacuum contra naturalem inclinationem, moueri ad hoc a se ipso, & ob aliquam inclinationem, quae insit ei secundum propriam naturam ad bonum totius, maiorem illa, quae insit ei ad bonum particulare. Nō

verò contra nos, qui cum Scotus diximus prædictum corpus non moueri à se ipso, nec ob aliquam inclinationem, quæ habeat secundum propriam naturam consideratum ad bonum totius; sed moueri à virtute regitina, quæ est in toto vniuerso; quæ ad saluandum bonum totius vniuersi, quale est, ne detur vacuum, mouet quamlibet partem illius, etiam contra propriam eius inclinationem; imò & cum dispendio illius.

24 Ad tertium dicimus, ad rationem vacui propriè sumpti (de quo in præsentis est sermo) non sat esse corporis negationem, sed corporis priuationem, id est, carentiam continentie corporis in superficie vltima corporis apti aliud corpus continere; quæ ab Aristot. appellatur locus. Constat autem, ante mundi creationem, etsi fuerit carètia corporis, sed non in aliqua superficie corporis apti aliud corpus continere; quia tunc nullum corpus aderat. Unde non rectè intulit Auerroes hic commèto 6. & 1. de celo cõmento 92. concedendũ esse ab his, qui defendimus, mundũ incapisse esse in tẽpore, in eo spatio, in quo mundus nunc existit, vacuum præcessisse.

25 Ad quartum deductum ex necessitate vacui ad saluandum motus, respõdetur per motum localem moueri quidem vniuersum corpus ab vno loco in alium, non vacuum, sed plenum. Non

tamen hinc sequi dari penetrationem dimensionum, seu duo corpora esse simul in eodẽ loco; nam intrãte vno corpore in aliquem locum expellitur aliud ex ipso loco. Etsi obijcias, sequitur ex hoc, in quolibet motu vnius corporis moueri totum mundum; nam, si vnum corpus expellit aliud à suo loco, expulsum debet expellere etiam aliud à loco, in quẽ expellitur; & sic in infinitũ. Respõdetur nihil minus; nam corpus expulsam à loco, ad quẽ mouetur corpus, occupat locũ, qui relinquitur à corpore, quod mouetur ad occupandũ locum relictum à corpore, quod primò motum fuit, v. gr. dum piscis mouetur in aqua, in locum derelictum à pisce, ingrediuntur partes aquæ vicinioris illi loco; & in locum derelictum ab illis partibus aquæ succedunt partes corporis expulsi à loco, quem de nouo occupat piscis per suum motum.

26 Ad instantiã de motu augmentationis viuentis respondetur, non esse necessarium ad augmentationem viuentis, quæ fit per intus sumptionem, ponere intra corpus aliquas vacuitates, quibus transeat alimentum; nam dicimus, transire per meatus plenos aere; & sine penetratione; nam aer cedit ad ingressum alimenti, & ei relinquit locum, quem occupare possit. Ad in-

instantiam de motu alterationis fateamur, per alterationem aliquando condensari, & aliquando rarefieri corpus; sed ad hoc non est necessarium vacuum; nam in condensatione pars loci derelicta à corpore, quod condensatur, occupatur à corporibus vicinioribus; & in rarefactione acquirit corpus maiores partes loci, quæ à corporibus vicinioribus antea occupabantur; & sine penetratione; quia partes corporis vicinioris cedunt partibus, quæ in augmentatione occupant illas maiores partes loci.

27 Ad primum argumẽtum ex adductis pro secunda sententia (quæ contendebat, adhuc virtute diuina non posse dari vacuum in rerum natura) bene respondet Scotus quodlib. citato, lit. E. rationes, quas adducit Philosophus contra positionem vacui probare quidem esse impossibile simpliciter, stando in principijs illorũ Philosophorũ, contra quos arguit; nam hi ponebãt vacuum actu dimensionatũ, quæ dimensiones nõ cedebãt corpori, quod in ipso recipiebatur. Ex hoc enim principio arguit Philosophus, quod illud vacuũ non patitur secũ aliud corpus, nisi fiat penetratio dimensionũ corporis, quod recipitur in vacuo cũ dimensionibus ipsius vacui: quã penetrationem impossibilẽ simpliciter Philosophi antiqui

iudicabãt. Non tamẽ probare, vacuum, quod nos ponimus, esse simpliciter impossibile.

28 Ad secundum bene etiam respondet Scotus quodlib. citato lit. F. medium posse intelligi, vel positium, & actuale, vel priuatiuum, & potentiale. Et de vtroque medio debet intelligi illud dictum Aristot. *illa sunt simul, quorum nihil est medium*: latera autem vacui, (si daretur) etsi non habeant medium primo modo; habent tamen medium secundo modo; quia inter ea posset tantum corpus intercipi, quantum est illud corpus, quod intercipitur, quando spatium est actu plenum: est ergo ibi medium potentiale, & consequenter priuatiuum, seu priuatiuè; quia carens tanto medio, quantum natum est intercipi inter illa extrema.

29 Ad tertium respõdetur ex eodẽ Scotus loco citato, tẽpus posse intelligi, vel positiuè, & actu, vel priuatiuè, & in potentia. Primo modo reperitur in motu; secundo modo in quiete propriè dicta. Ad instantiam tẽporalem inter duo instantia, etsi requiratur, quod inter illa intercipiatur tẽpus, sed non est necessarium, quod hoc tẽpus, quod intercipitur, sit positiuè, & actu, sed sufficit, quod sit priuatiuè, & in potentia, verbi gratia, si nullo corpore moto, (& consequenter nullo tempore

positiue, & actu(existente) ali-  
quod corpus existeret vniformi-  
ter, huic vniformi existenti-  
æ corresponderet propria mē-  
sura temporalis, etsi non posi-  
tiua, & actualis (quia inter pri-  
mum, & vltimum instans hu-  
ius mensuræ nullus intercipi-  
tur motus, & consequenter,  
neque tempus positium, &  
actuale) priuatiua tamen, &  
potentialis: siquidem hæc in-  
stantia apta nata sunt, vt inter  
ipsa intercipiatur tantus, vel  
tantus motus; & consequenter  
tantum, vel tantum tempus.  
Vndè intellectus habens noti-  
tiam temporis actualis, & posi-  
tium applicando eam ad istam  
durationem vniformem potest  
cognoscere quātitatem ipsius,  
scilicet, quod tantam haberet  
positiue, si esset tempus positi-  
uum. Consimiliter est in pro-  
posito de distantia in loco po-  
sitiua, & priuatiua; nam sicut  
mora priuatiua mensurat par-  
tes alicuius successiuas, sic di-  
mensio priuatiua mēsurat par-  
tes permanentes. Et hoc, quia  
priuatio æquatur habitui suo  
modo. Quare argumētum (in-  
quit Scotus) potest retorqueri  
ad oppositum confirmandum;  
nam, si possibile est distantia  
temporalis inter aliqua, etiam  
si inter ipsa non mediet tem-  
pus positium, & actualiter, per  
hoc solū, quod inter ipsa me-  
diat tempus priuatiue, & po-  
tentialiter: ergo etiam poterit  
esse distantia localis inter ali-

qua, etiamsi inter ipsa nō me-  
diat dimensiones positiuæ, &  
actualiter, sed solū priuatiue,  
& potentialiter.

30 Sed contra istas duas vlti-  
mas solutiones obijcit sibi Sco-  
tus; distantia non potest esse in-  
ter aliqua, nisi sit aliquid, in  
quo sit ista distantia: quod in  
præsenti nihil est; quia nullum  
est medium. Respondet ipse  
met Scotus, & optimè, quod  
distantia formaliter importat  
respectum inter extrema: res-  
pectus autem est in vno extre-  
mo, & ad aliud, sicut ad termi-  
num: hic autem est dare vtrū-  
que extremum positium, li-  
cet nō sit medium positium;  
etsi ex solo primo istorum di-  
ceretur habitudo positiua, &  
actualis, posset concedi, quod  
hic esset distantia positiua, &  
actualis; sed si vltra hoc requi-  
ritur, quod medium sit positi-  
uum, & actuale, tunc saltem  
saluatur propositum, quod hic  
est distantia, licet non positiua,  
& actualis, saltem priuatiua, &  
potentialis.

### QVÆSTIO II.

*Vtrum, si daretur vacuum, moue-  
rentur per illud corpora? &  
quomodo?*

1 **D**VO inquit præsens  
quæstio; & vtrumque  
ex suppositione, quod daretur  
vacuum. (quod fieri posse per  
potentiam Dei absolutam, do-  
cuimus quæstione præceden-  
ti)

ti) Primum est, an corpora moue-  
ri possent per vacuum? Secun-  
dum, quo pacto corpora moueren-  
tur per vacuum, an in instanti; an  
in tempore? Quæ duo duabus se-  
ctionibus declarabimus.

### SECTIO I.

*An corpora moueri possent per va-  
cuum?*

2 **P**ererius lib. 11. cap. 12.  
pro viribus cōtendit, nul-  
lum motum localem, cuius-  
cumque corporis fuerit, posse  
fieri per vacuum. Et videtur ef-  
se sententia Arist. qui in hoc 4.  
libro à tex. 64. vsque ad 75.  
disputans cōtra antiquos Phi-  
losophos, qui volebant, non  
posse fieri motū localem, nisi  
in vacuo, ex aduerso contē-  
dit, non posse fieri motum in  
vacuo: & ad hoc adducit non  
solū rationem ostensiuam,  
quā nos infra adducemus ad  
probandum, graua, & leuia (si  
ponerentur in vacuo purè ne-  
gatiuo); quod inane appellari  
solet) non posse moueri motu  
suo naturali, qualis est respectu  
grauium deorsum; & respectu  
leuium sursum; sed etiam ad-  
ducit rationes deducentes ad  
impossibile, quale est, quod ta-  
lis motus localis deberet fieri  
in instanti; quas sequente se-  
ctione expendemus.

3 Probat Pererius sitam sen-  
tentiam. Primò, quia omnis  
motus sublunaris pendet à cæ-  
lesti influxu, sed per inanem

interapedinem nequit huius-  
modi influxus transmitti: (vt  
docet Arist. loco metheoro-  
logicorum quæst. præcedenti  
num. 11. citato) ergo neque  
vllum corpus in vacuo positū  
poterit moueri. Secundo, om-  
nis latio est mutatio ab vno lo-  
co in alium. Sed in vacuo non  
est locus: ergo neque possibilis  
motus lationis. Tertio, si cor-  
pus ab vna parte spatij vacui  
ad aliam commearet, eam par-  
tem, quā nūc occupat, post-  
modum inanem relinqueret;  
atque ita naturaliter inane, seu  
vacuum daretur. Sed hoc fieri  
non potest: ergo neque illud.  
Huic sententiæ adherent om-  
nes Philosophi, qui (vt sectio-  
ne sequenti videbimus) susti-  
nent, quod, si corpus in vacuo  
localiter moueretur, in instan-  
ti, & non in tempore mouere-  
tur; nam ex hoc inconuenien-  
ti inferunt, non posse corpus  
in vacuo localiter moueri.

4 Communis tamen senten-  
tia affirmat, corpora moueri  
posse per vacuum, si semel per  
diuinam potētiam in illo col-  
locarentur. Ita Scotus noster  
in 2. d. 2. quæst. 9. prope finem  
quæstionis, & omnes eius dis-  
cipuli. D. Tho. in præsentia  
lect. 12. & in 4. d. 44. quæst. 2.  
artic. 3. & cum eo Thomistæ,  
Conimbricenses hic cap. 9.  
quæst. 4. Et præcipuum fun-  
damentum eorum est, quia  
falsum iudicant præcipuum  
fundamentum oppositæ sen-  
ten-

tentia, scilicet, quod si daretur motus per vacuum, ille motus deberet fieri in instanti: quæ est difficultas sectione sequenti expendenda.

5. Sed in hac re distinctione opus est; nam (vt ex dictis quæstione præcedenti constat) vacuum dupliciter usurpari solet. Primum improprie, & pure negatiue, quod inane appellari solet; & est illud, quod est interminatum, & non comprehenditur ab aliquo corpore; vt si Deus annihilaret totum vniuersum. Secundò proprie, & priuatiue; & est illud, quod est determinatum, & comprehensum ab aliquo corpore, vt si Deus, existentibus celo, & terra, vbi nunc sunt, annihilaret aquam, aërem, & ignem, quæ sunt intermedia. Item inter motus alij conueniunt corporibus, quæ mouentur à principio intrinseco; vt motus progressiuus respectu animalium; motus sursum, & deorsum respectu leuium, & grauium; alij conueniunt corporibus, quæ mouentur à principio extrinseco, vt motus projectionis; & isti aliquando sunt violenti proiectis; quia contra inclinationem passiuam ipsorum, vt cum lapis proiectur sursum; alij naturales, quia secundum inclinationem passiuam ipsorum, vt cum lapis deorsum proiectur.

6. His suppositis, dico pri-

mò, si daretur vacuum improprium, & pure negatiuum, & interminatum, (quod proprie dicitur inane) non possent graua, & leuia in illo constituta moueri motu suo naturali, & ab intrinseco; possent tamen per illud moueri animalia ab interno principio motu progressiuo; & similiter possent moueri proiecta motu neutro, id est, neque naturali, neque violento. Probatur hoc assertum quoad singulas eius partes.

7. Et in primis graua, & leuia in prædicto inani constituta non possent moueri motu suo naturali, & ab intrinseco, non solum docuit Aristot. contra antiquos Philosophos, sed etiam tex. 66. hac ratione ostensiuam demonstrauit. In prædicto inani non essent differentia positionis sursum, & deorsum; ergo, si graua, & leuia essent in illo constituta, non possent moueri motu suo naturali à principio intrinseco ipsorum prouenienti. Patet consequentia; quia graua motu naturali à principio intrinseco ipsorum proueniente solum moueri possunt deorsum, & leuia sursum.

8. Deinde, quod per illud inane possent moueri animalia ab interno principio motu progressiuo, patet; quia etiam in illo inani non essent differentia positionis localis;

tamen hoc nihil referret; nam animalia in suo motu progressiuo non determinantur à positione locali, sed à suo appetitu, & imaginatione, à quibus in dicto casu etiam determinarentur, vt magis huc, quam illuc progredirentur, non secus, ac determinantur cum modo progrediuntur in pleno. Et si roges, in dicto casu, quo niterentur animalia, dum motu progressiuo mouerentur? Respondetur, quod nihilo niterentur. Nec mirearis; quia animalia solum indigent, aliquo niti, dum motus suos progressiuos exercent, quoties capacia sunt motus deorsum, ad quem naturaliter ratione suæ grauitatis inclinantur. Constat autem ex dictis numero præcedenti, graua, & leuia in prædicto inani constituta non esse capacia motus sui naturalis, qualis est deorsum, & sursum; quia tunc non essent ista differentia positionis.

9. Denum, quod per illud inane possent moueri proiecta, ex eo constat; quia, si Angelus projiceret per illud inane lapidem, re vera moueretur lapis per illud inane, quoad vsque euanesceret impetus impressus ab Angelo. Quod autem prædictus motus esset neuter, id est, neque naturalis, neque violentus ipsi lapidi, qui mouetur, conuincit-

tur ex eo, quod ibi sicut non essent differentia positionis sursum, & deorsum; ita ille motus, neque esset secundum inclinationem, aut contra naturalem inclinationem passiuam, quam habent proiecta ascendendi sursum, aut descendendi deorsum; & consequenter, neque naturalis, neque violentus.

10. Dico secundò: si daretur vacuum proprie, & priuatiue sumptum (quale esset, si Deus conseruatis celo, & terra, vbi nunc sunt, annihilaret aërem, & ignem) non solum possent per illud moueri animalia ab interno principio motu progressiuo, & similiter proiecta, (vt supra probatum est, possent moueri per inane.) sed etiam moueri possent per ipsum graua, & leuia motu suo naturali, & ab intrinseco. Ducor ad hoc asserendum; quia tota ratio, ob quam cum Arist. num. 7. statumus, graua, & leuia, si daretur inane, non possent moueri per illud motu suo naturali, & ab intrinseco, ea fuit; quia in prædicto inani non essent differentia positionis sursum, & deorsum. Sed in isto vacuo proprie, & priuatiue sumpto essent ista differentia positionis; nam celum esset sursum, & terra esset deorsum, non secus, ac modo sunt; ergo nulla vrget ratio ad negandum grauibus, &

leuibus prædictum motum per  
itum vacuum.

11 Nec obstat, quod Scotus  
super 4. Physicorum q. 12. §.  
*Et quia ista conclusio, videatur op-*  
*positum asserere; affirmat enim,*  
quod si vacuum esset, nullum  
grauæ simplex positum in ipso  
moueretur; sed potius vbicun-  
que poneretur, ibi quiesceret:  
& assignat pro ratione, quia  
omnis motus alicuius grauis  
est, vt subsit leuiori, & omnis  
motus leuis, vt supersit grauiori.  
Sed in vacuo nullum esset  
leue, cui subesse appeteret gra-  
ue: nec aliquod graue, cui le-  
ue appeteret superesse: ergo  
in vacuo (si esset) nullus fieret  
motus alicuius grauis, vel le-  
uis.

12 Hoc, inquam, non obstat.  
Tum, quia (vt ex his, quæ in fi-  
ne illius §. docet, & similiter in  
§. sequenti constat) Scotus hoc  
non docet assertiue; sed con-  
iecturando, & dubitando; imò  
in illa quæstione conclusione  
3. docet, quod, si motus grauis  
simplex fieret per vacuum, fie-  
ret in instanti: cuius oppositum  
firmiter statuit proiecior fa-  
ctus in sententiarijs loco citan-  
do sequenti sectione: & sic pa-  
rùm curandum est de his, quæ  
docet in prædicta quæstione,  
quàm inuenis scripsit. Tum  
etiam, quia maior sui discursus  
assumit falsum scilicet, quod  
motus grauis sit, vt subsit leuiori,  
& motus leuis, vt supersit gra-  
uiori: nam primario, & per se

motus grauis est, vt sit in loco  
deorsum: & motus leuis, vt sit in  
loco sursum: hæc enim sunt loca  
naturalia grauis, & leuis, ad  
quæ natura sua dicunt inclina-  
tionem, tam passiuam, quàm acti-  
uam. Quod autem corpus gra-  
ue sit sub leuiori, & leue super  
sit grauiori, hoc est, quid con-  
sequens ad inclinationes natu-  
rales ipsorum; & ex suppositione,  
quod simul concurrant ad  
replendum eundem locum.  
Vnde, si corpus graue poneretur  
in vacuo, non minus natu-  
raliter descenderet ad locum  
deorsum, ac modò descendit,  
cum est in pleno, & corpus re-  
plens locum deorsum est minus  
grauæ: imò celerius moueretur  
ad locum deorsum; quia absque  
vlla resistentia ex parte medij.

13 Sunt autem hic duo ad-  
uertenda: Primum, quod, cum  
in isto vacuo proprie, & priuati-  
uè sumpto ratione corporum,  
quibus est determinatum, &  
comprehensum, dentur differ-  
entiæ positionis sursum, &  
deorsum, motus proiectorum,  
quæ per ipsum mouerentur,  
non essent neutri eorporibus  
proiectis; sed vel naturales, vel  
violenti, iuxta qualitatem mo-  
tus, & propensionis naturalis  
proiectorum. Secundum est,  
quod, cum animalia terrestria  
posita à Deo in isto vacuo pro-  
prie, & priuatiuè sumpto, fo-  
rent capacia ratione suæ gra-  
uitatis motus deorsum; dicen-  
dum consequenter esse, ad hoc,  
vt

vt in prædicto vacuo possent  
suos motus progressiuos exer-  
cere, ita constituenda fore in  
prædicto vacuo, vt pedibus ini-  
terentur superficie terræ; vel si  
ponerentur in medio vacui,  
quod Deus sua potentia abso-  
luta impediret motum deor-  
sum, quo à natua sua grauitate  
raperentur.

14 Nunc argumentis Pere-  
rij satisfaciamus. Ad primum  
dicimus, non omnem motum  
horum inferiorum à caelesti in-  
fluxu ita pendere, vt illo ces-  
sante exerceri nequeat, saltem  
pro aliquo paruo tempore (vt  
suo loco fusiùs demonstrabi-  
mus.) Et, quidquid sit de hoc,  
præsens quæstio solum dispu-  
tatur in hypotesi, quod Deus  
sua potentia absoluta poneret  
corpus in vacuo, & ibi ipsum  
conseruaret, tam in suo esse,  
quàm cum virtute se mouendi  
naturali.

15 Ad secundum patet ex di-  
ctis disp. præcedenti q. 3. n. 37.  
ex mente Scoti, hanc non esse  
bonam consequentiam, hoc  
localiter mouetur: ergo aliter  
se habet secundum locum, ac  
antea se habebat: nam sufficit  
ad hoc, vt localiter moueatur,  
quod aliter se habeat ad ali-  
quod quiescens, ac antea se ha-  
bebat: quod competeret cor-  
pori, quod localiter mouetur  
in vacuo proprie, & priuatiuè  
sumpto: vel saltem, quod aliter  
se haberet ad aliquod quies-  
cens, si aliquod quiescens esset:

quod cōpeteret corpori, quod  
localiter moueretur per ina-  
ne, seu vacuum improprie, &  
negatiuè sumptum in hypote-  
si, quod in ipso tantum hoc cor-  
pus Deus constituisset. Reco-  
lantur, quæ contra hoc ibi ob-  
iecimus, & soluimus.

16 Ad tertium dicimus, cor-  
pus, quod in vacuo ab vna par-  
te ad aliam transit, etsi partem  
spatij, quàm relinquit inanem  
reddat, non ideò censeretur, pro-  
pria virtute vacuum efficere.  
Tum, quia id potius referri de-  
bet ad potentiam diuinam,  
quæ spatij inanitatem inuexit.  
Tum etiam, quia quocunque  
huiusmodi corpus pergat, aliud  
vacuum occupat; & sic non  
tam vacuum facit, quàm com-  
mutat.

## SECTIO SECVNDA.

*Explicatur, quo pacto corpus in  
vacuo moueretur, an in in-  
stanti an in tempore?*

17 **C**ommētator Auerroes  
hoc in libro commē-  
ro 71. Agidius, Burleus, Ian-  
dunus, Saxonia ibidem, & Ma-  
gnus Albertus tract. 2. cap. 6.  
& 7. Gregorius in 2. d. 6. q. 3.  
art. 2. Vallesius controuersia  
26. Physicæ, Pererius lib. 11.  
cap. 12. & plures alij affirmant,  
corpus per vacuum non posse  
moueri in tempore; sed in in-  
stanti. Idemque existimant cō-  
sultis Arist. 8. cap. huius libri;  
vbi

vbi disputans contra Philoſophos, qui affirmabant, ponendum eſſe vacuum in rerum natura propter motum localem, vt illos deduceret ad hoc impoſſibile, ſcilicet, motum localem, ſi fieret per vacuum, fore inſtantaneum, hoc non ſolum reputauit verum; ſed etiam rationibus (quas ipſi demonſtrationes vocant) comprobauit.

18 Hanc ſententiam probant primò (& eſt præcipuum eorum fundamentum) tota ratio, cur motus fiat in tempore, eſt reſiſtentia, quàm corpus mobile inuenit in medio. Sed in ſpatio vacuo nullum eſt corpus, quod poſſit reſiſtere mobili, ſeu ipſum in ſuo motu retardare: ergo motus corporis per vacuum non in tempore; ſed in vacuo conſummabitur. Maiorem probant, tum ex ipſa experientia, qua experimur per medium ſubtilius mobile ferri velocius, quàm per medium craſſius; non alia ratione, niſi quia medium ſubtilius minus reſiſtit, & retardat mobile in ſuo motu, quàm mediũ craſſius. Tum etiam inſtantia illuminationis, quæ ſit à ſole, quæ, quia in medio diaphano nullum habet contrarium, nec reſiſtens, ſit in inſtanti.

19 Secundo probant (& eſt vna ex rationibus Ariſt.) eadẽ eſt proportio celeritatis in motu, quãdo ſit per medium ſubtilius ad celeritatem eiusdem, quando ſit per medium craſſius, quæ eſt inter ſubtilitatem,

ſus, quæ eſt inter ſubtilitatem, & craſſitiam ipſorum mediorum: & ex conſequenti eadem erit proportio temporum, intra quæ mobile per huiusmodi ſpatia deferretur. Sed in vacuo nulla eſt proportio ad plenum in ſubtilitate & craſſitie, cum in vacuo nullum ſit corpus, & conſequenter nec vlla ſit ſubtilitas, aut craſſities: ergo nulla erit proportio celeritatis motus, nullaque temporis, quo ſpatium plenum, & vacuum decurritur: atque adeo ſpatium plenum in tempore, vacuum in inſtanti, inter quæ nulla eſt proportio, decurreret.

20 Tertio probant (& eſt etiã ratio Ariſt.) ſi motus per vacuum fieret in tempore, ſequeretur, vacui ad plenum aliquam eſſe proportionem in ſubtilitate, & craſſitie. Sed hoc eſt impoſſibile; cum in vacuo nullum ſit corpus, & conſequenter neque aliqua ſubtilitas, vel craſſities: ergo & primum. Sequela patet; nam, cum duo pòdera mouentur in tempore, qualis eſt proportio inter tempora, quæ in prædictis moribus conſummuntur, talis debet eſſe proportio inter ſpatia, per quæ mouentur quoad ſubtilitatẽ, & craſſitiam: ergo, cum inter tempus, quod dicitur conſumi in motu, qui ſit per vacuum, & tempus, quod conſumitur in motu, qui ſit per plenum, aliqua ſit proportio; ſiquidem quælibet duo tempora finita

ref-

reſpondent ſibi aliqua proportione; etiã neceſſariò erit aliqua proportio quoad ſubtilitatem, & craſſitiam inter ſpatium vacuum, & ſpatium plenum.

21 Quarto probant; (& eſt etiam ratio Ariſt.) ſi motus in vacuo fieret in tempore, ſequeretur, quòd motus eiũdẽ mobilis æquali tempore; imò minori fieret in eodem ſpatio, quando eſt plenum, ac quando eſt vacuum. Conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens, ex quo ſequitur. Sequela probatur; quia, ſi v. gr. per hanc aulam vacuum lapis deſcenderet in ſpatio vnus quadrantis, per eandem verò plenam aère in ſpatio vnus horæ; ſi fiat medium quadruplo ſubtilius aère, per illud deſcendet etiam in ſpatio vnus quadrantis: et ſi fiat rursus aliquantò plus ſubtilius, deſcendet adhuc in minori ſpatio vnus quadrantis.

22 Quinto probant (& etiam eſt ratio Ariſt.) ſi motus in vacuo tempus conſumeret, ſequeretur, duo corpora in æqualis ponderis poſſe æquali tempore æquale ſpatium vacuum percurrere. Quod falſum eſt; nam (experientia teſte) corpora quo grauiora ſunt, eo maiori velocitate deſcendunt, ſi cætera ſint paria. Sequela probatur; quia cauſa, cur grauius maiori velocitate deſcendit, eſt, quia faci-

lius ſecat medium, per quod tranſit. Quare, cum in vacuo nullum ſit intermedium corpus, quod ſcindi debeat, conſequens erit, vt quælibet duo mobilia, quantumvis diſpari grauitate prædita, æquẽ velociter deſcendant.

23 Vltimò probat Pererius, quia diſtantia ſpatij, remoto corpore intermedio, non eſt quidquam poſitiuum: ergo nõ poteſt reſiſtere mobili, neque eſſe cauſa ſucceſſionis realis in motu.

24 His tamen non obſtantibus, nobis tenendum eſt, ex eo, quòd motus localis fieret per vacuum, non ſequi neceſſariò, quòd ille motus fieret in inſtanti, ſed potiùs neceſſariò ſequi, quòd fieret in tempore: ac per conſequens non bene deduci, quòd, ſi daretur vacuum, non poſſet corpus per illud localiter moueri ex eo, quòd, ſi corpus per vacuum moueretur, talis motus neceſſariò fieret in inſtanti. Hæc eſt ſententia Scoti in 2. d. 2. quæſt. 2. propè finem, D. Tho. locis ſect. 1. citatis. Et ex antiquis Philoſophis hanc ſententiam defendit Auempace apud Aueroeroem, Auicena apud Albertum, Philopponus, & Galenus apud Aceruum; & eſt communis, & recepta inter recentiores vtriuſquẽ ſcholæ.

25 Fundamētum præcipuum huius noſtræ ſententiæ eſt; quia etiam ſi motus localis, qui modo

do

do fit per spatium plenum, habeat, quod fit successiuus, (& consequenter, quod fiat in tempore) ex eo, quod corpus medians inter extrema resistit motui, & ideo illū retardat, & facit esse successiuum, & consummentem tempus. Tamen non solum ex hoc capite habet, quod fit successiuus, & consumens tempus, sed etiam, & principaliter conuenit ei, quod fit successiuus, & consumens tempus; quia distantia, quæ est ab vno extremo ad aliud extremum, non potest, saltem naturaliter, in instanti pertransiri: alias simul, & in eodem instanti haberet plures presentias adæquatas; quod, saltem naturaliter, repugnat. Unde, vt totum illud spatium decurrat, necessarium est, quod hoc præstet successiuè, & per partes relinquendo vnam presentiam, & acquirèdo aliam. Sed in casu, quod corpus moueretur per vacuum, etsi prædicto motui locali deficeret resistentia medij, quæ nunc est, quando mouetur per plenum; non tamen deficeret distantia extremorum, & repugnantia naturalis diuersarum presentiarum adæquatarum: ergo prædictus motus adhuc esset successiuus, & consumens tempus, licet non ex resistentia medij, saltem ratione distantie extremorum, & ex resistentia, seu repugnantia naturali diuersarum presentiarum.

26 Et confirmatur primò instantia motus localis Angeli, qui mouetur è cælo ad terram per medium, qui in omnium sententia est successiuus, & consumens tempus; & tamen hæc successio temporalis non potest competere prædicto motui ex resistentia corporis existentis in medio: cum Angelus sit spiritualis, & corpus medium solū possit resistere motui locali alterius corporis, à quo in prædicto motu debet præcindi, ne detur penetratio dimensionum: ergo dicendū est, prædictam successionem temporalem cōpetere prædicto motui solū ratione distantie extremorum, & propter resistentiam, seu (vt proprius loquar) propter repugnantiam naturalem habendi simul idem numero Angelus plures presentias adæquatas, vnam in cælo, & alteram in terra, & plures alias in spatio intermedio. Idem potest probari instantia motus cæli, qui absque vlla resistentia ex parte medij fit, & nihilominus non fit in instanti, sed successiuè, & in tempore.

27 Cōfirmatur secundò quodam exemplo, quo vtuntur recentiores; & est huiusmodi. Ponatur à concauo lunæ vsque ad superficiem terræ columna quædam fixa, & reliquum spatium, quod est inter concauum lunæ, & superficiem terræ, sit vacuum. Tunc si lapis

mag-

magnitudinis vnus vnæ descenderet prope illam columnam à concauolunæ vsque ad superficiem terræ, non posset in vno, & in eodem instanti esse simul iuxta omnes partes illius columnæ: ergo esset prius iuxta priores, & postea iuxta posteriores, & sic de alijs: ac proinde in illo descensu verè consumeret tempus: tum, quia non potest admitti, corpus exiguæ quantitatis correspondere simul corpori maximæ quantitatis, & consequenter esse iuxta omnes illius partes, nisi admittendo, idem numero corpus habere simul plures presentias adæquatas; quod naturaliter non est minus impossibile, ac idem numero corpus esse simul in pluribus locis adæquatis. Tum etiam, quia, cum in columna illa sint assignabiles quatuor, aut sex partes certæ, & determinatæ quantitatis habentes inter se ordinem prioris, & posterioris in ordine ad concauum Lunæ, non poterit ille lapis qui descendit à concauo Lunæ, esse iuxta partem posteriorem, quin prius sit iuxta priorem in certo, & determinato tempore. Tum denique, quia in illo lapide vnus vnæ necessariò sunt assignandæ duæ medietates, quarum vna sit prior versus superficiem terræ, & altera posterior: ergo illa, quæ est prior, accedet prior ad medietatem

tem illius columnæ, quam ea, quæ est posterior. Sed vbi est prius, & posterius, est etià successio, & consumptio temporis: est ergo ille descensus lapidis, etsi factus per vacuum, successiuus, & consumens tempus.

28 Sed argumentis in contrarium adductis satisfaciam. Ad auctoritatem Arist. bene respondent Scotus & D. Th. Aristot. non sensisse motum factum per vacuum necessariò fore instantaneum; sed ad hominem cōtra Philosophos antiquos, qui sustinebant successionem in motu solū provenire ex resistentia medij, optimè probasse, nō posse fieri motum in vacuo, nisi in instanti: vt ex hoc inconuenienti, quod (stando in ipsorum principijs) sequebatur, deduceret contra ipsos, non solū nō requiri vacuum in rerum natura ad motum localem; sed potius ex positione vacui auferri motū localem. Et quod hoc solū fuerit intentum Arist. conuincitur ex eo, quod eius rationes solū concludunt, motum per vacuū fore instantaneum. innitendo illi principio, quod successio in motu solū proveniat ex resistentia medij: nam, hoc principio sublato, nihil concludit, vt apertè constabit, quando ad ipsas respondeamus.

29 Ad primam probationem negamus maiorem. Et ad primam eius probationem respō-

de-

denus, ex eo, quod experimur, mobile velocius ferri per mediū subtilius, quam per mediū crassius, optimè inferri, alicuius successione temporalis in motu resistantiam mediij causam esse: non verò omnis successione, quæ in motu locali reperitur. Ad secundam probationem prædictæ maioris dicimus, disparem esse rationē de illuminatione, & de motu locali; nam in motu locali idem mobile secundum eandem sui partem est præsens in alia, & alia parte spatij, per quod mouetur; & quia hoc requirit tempus propter repugnantiam naturalem habendi simul plures præsentias adæquatas; hæc est ratio, cur sine temporis successione non possit corpus moveri localiter, etiam si spatium sit vacuum, & nihil sit in ipso, quod resistere, vel retardare possit motum sua densitate. At in illuminatione non ita diffunditur lumen per spatium extensum, ut secundum eandem sui partem sit in alia, & alia parte spatij, seu subiecti; (aliàs accidens migraret de subiecto in subiectum, quod est absurdum) sed corpus luminosum producta vna parte luminis in prima parte subiecti, seu spatij, producit aliam in secunda parte subiecti, seu spatij; & sic de reliquis, quousque producit lumen in toto subiecto, seu spatio, quod corpus lu-

minosum potens est illuminare. Et quamvis hæ partes luminis producti in sui productione quamdam subordinationem dicant, (quæ appellari solet subordinatio effectus ad effectum) nihil impedit, quod tota ipsa productio fiat in eodem instanti temporis; nisi in casu, quo qualitas, quæ producitur, habeat qualitatem contrariam in subiecto, in quo producitur, quæ paulatim debeat expelli: quam cum non habeat lumen, ideo illuminatio subiecti, quantumcumque extensi, & diffusæ per aliquod spatium, fit in instanti.

30 Ad secundam probationem (quæ erat vna ex adductis ab Arist.) respondetur, demonstrare optimè intentum Philosophi, scilicet, in motu factò per vacuum nullam esse posse successione temporalem prouenientem ex resistantia mediij, eo quod inter vacuum, & plenum nulla est proportio in subtilitate, & crassitie: non tamen probare, quod aliunde, scilicet, ratione distantie extremorum, & repugnantie naturalis habendi idem numero corpus plures præsentias adæquatas, non esset in motu factò per vacuum successio temporalis; quod erat necessarium ad probandum, quod ille motus simpliciter, & absolute fieret in instanti. Et eodem modo respondetur ad tertiam probationem, quæ etiam erat ex adductis ab Aristotele.

31 Ad

31 Ad quartam probationem respondetur negando sequentiam. Et ad probationem dicimus, quod in casu, quod laps per aulam vacuum descenderet in spatium vnius quadrantis, & per aulam plenam in spatium vnius horæ, tres quadrantes illius horæ solum correspondere resistantiæ mediij. Unde si fiat medium quadruplo subtilius, solum debet tempus illud trium quadrantium diuidi in quatuor partes; & ad summum tres illarum auferrentur, & vna remanebit ultra successione illam vnius quadrantis, quæ illi motui conueniebat, non ratione resistantiæ mediij, sed ratione distantie extremorum, &c. Et si deinceps fiat medium adhuc subtilius, diminuetur plus tempus motus tantum ex illa parte; nec vniquam auferetur tota, ita ut sint motus æquales, quoad usque penitus auferatur medium, & maneat aula vacua.

32 Ad quintam probationem negamus sequentiam. Et ad probationem dicimus, causam, cur grauius mobile maiori velocitate descendit, non esse

solum quia medium facilius diuidat, sed quia maior virtus motiua illius ipsum ad mutandum præsentias in illo spatio, quas simul habere non potest, facilius perducit.

33 Ad sextam probationem (quæ erat Pererij) respondetur, ad successione, quæ conuenit motui ratione distantie extremorum, nihil referre, quod illa distantia sit positua, vel sit priuatiua. Quia distantia non adestur resistere, seu retardare motum posituæ, sed priuatiuæ, nimirum, quia, cum maior sit distantia, quam moles ipsius mobilis, non potest mobile simul, & semel occupare totam illam distantiam spatij vacui, sed successiuè, occupando modò vnam partem sibi correspondentem, & post hanc alteram. Nec est causa quasi realiter efficiens prædictam successione in motu; sed est, cui mobile non potest, nisi successiuè commensurari; & ita ipse motus non potest fieri à sua causa effectiua, nisi successiuè ipsum mobile partibus vacuis illius spatij commensurando.

## DISPUTATIO TERTIA.

### De Tempore.

ET SI tempus esse pro cõperto ab omnibus habeatur, tamè cognoscere, quid sit? omnes difficillimè iudicant. Celebre enim est illud D. Augustini assatum libr. 11. confessionum cap. 14. *Nihil notius, quam tempus esse; nihil verò cognitum difficillius, quam quid*



quid sit? Immo quamuis naturam temporis cognoscere, perdifficile sit; multo difficilius, alteris illam explicare. Vnde idem Aug. inibi sic ait: *Quid est ergo tempus? Si nemo ex me querat, scio; si querenti explicare velim, nescio.* Ut ergo de re tam difficili aliquid dicamus, quatuor explicanda eruat. Primum, *An tempus sit verum ens reale in natura rerum existens?* Secundum, *An definitio temporis tradita ab Aristot. sit exacta?* Tertium, *quo pacto tempus distinguatur à motu?* Quartum, *quibus rebus conueniat esse in tempore?* Vbi etiam de alijs durationibus rerum aliqua attingemus.

### QVÆSTIO PRIMA.

*An tempus sit verum ens reale in rerum natura existens?*

**P** R I M A sententia negat absolutè, tempus esse ens reale in rerum natura existens, sed dicit existere in sola imaginatione, vel apprehensione intellectus concipientis transitu mobilis per vnam partem spatij priusquam per aliam: & ex illo priori, & posteriori, tâquã ex præterito, & futuro, cõponere apud se vnum tẽpus; sed nihil reale eiuse esse, vel in rebus existere. Hęc fuit sententia quorundam antiquorũ Philosophorũ, quos refert Albertus Magnus 4. lib. Physic. tract. 3. cap. 3.

2 Probari potest hęc sententia rationibus, quas ad hoc probãdum adduxit Arist. in litera c. 10. quasque insolutas reliquit. Prima est. Id, quod cõstat partibus, quæ reipsa non extant, re ipsa non est: sed tempus cõstat partibus præteritis, & futuris, quæ reipsa non extant: ergo tẽ-

pus reipsa non est. Secunda; id, quod est diuisibile in partes, nequit actu esse in rerum natura, nisi vel omnes eius partes existant, vel aliqua saltẽ: sed nulla pars temporis existit; ergo tempus nõ est in rerum natura. Minor probatur, quia præteritum evanuit; futurum nondum est; momentum autem, quod nunc existit, non est pars temporis; nam pars. entis quãti mensurat totum, ipsumq; cõponit: tẽpus autẽ nec mensuratur, neq; cõponitur momẽtis.

3 Secunda sententia distinguit in tempore id, quod tẽpus dicit pro materiali, & denominato, scilicet, durationem illã successiuam, seu moram, quæ consumitur in motu; & id, quod tempus dicit pro formali, & per se significato, scilicet, rationem numeri, seu mensuræ: & licet ratione prioris affirmet, tempus esse verum ens reale in rerum natura existens; ta-

tãmen ratione posterioris sustinet tempus non esse verum ens reale; sed esse ens rationis, seu denominationem extrinsecam ab actu intellectus prouenientem. Hęc est sententia commentatoris hic commẽto 131. Ianduni quæst. 27. Vazquez super 1. p. disp. 34. cap. 2. num. 11. & pro ea citari solent D. Thom. lect. vltima horum commentariorum, & 1. part. quæst. 10. art. 1. Ferraricnsis 1. libro contra gentes cap. 19. Capreolus in 2. d. 2. Pererius lib. 12. cap. 3. §. sed dicit quæspiam.

4 Suaderi autem potest vltima pars huius sententiæ. Primò ex Arist. qui cap. 14. huius libri text. 131. quæsiuit. *An tẽpus dependeret ab anima? & respondit, quod, cum sit numerus, necessariò pendet à numerate, qui est intellectus, vel anima.* Vndè, si anima esset impossibilis (inquit Arist.) impossibilis etiam esset numerus, seu tempus: ergo sentit, tempus, saltẽ pro formali, & per se significato, dependere ab anima, seu intellectu, & consequenter non esse quid reale, sed rationis. Et confirmatur ex eodem Arist. qui cap. 11. explicans, qualis numerus sit tempus, docet, esse numerum numeratũ, nam, cum non detur numerus numeratus ante operationem intellectus numerantis; ita neque dari poterit tẽpus pro formali in sententia Aristot. &

consequenter tempus, vt sic, erit ens rationis, vel saltẽ denominationis extrinsecæ ab actu intellectus numerantis proueniens.

5 Secundò suaderi potest, quia in continuis non potest dari numerus, nisi per operationem intellectus: (vt patet in vna liguea, vbi non dantur quatuor palmi, nisi per operationem intellectus secantis illam in quatuor partes) sed tempus est numerus durationis successiuæ motus; (quæ duratio quid continuum est, licet successiuum, non secus ac ipse motus, cuius est duratio) ergo istæ numerus, & consequenter ipsum tempus pro formali habet esse solum per operationem intellectus.

6 Tertia sententia absolutè affirmat, tempus esse quid reale, & in rerum natura existens; ac per consequens hoc non solum illi competere sumpto materialiter, & pro denominato, sed etiam sumpto formaliter, & pro per se significato. Ita significat D. Thom. opusculo 44. quod est de natura temporis cap. 1. & defendunt Toletus hic quæst. 15. Albertus de Saxonia q. 16. Masius cap. 14. sect. 1. q. 4. Rubius tract. de tempore q. 1. & plures alij. Quæ sententia mihi videtur probabilior, & doctrinæ tam Arist. quàm Scoti conformior.

7 Rubius & alij hanc sententiam probant. Primò ex communi omnium hominũ, & quasi naturali existimatione: omnes enim de tempore, tamquam de re aliqua & sentiunt, & locuntur: vsurpant enim & dies, & annos, & alias differentias temporis veluti aliquid, quod in ipsis rebus inueniatur. Item, probant ex sacris literis, ubi inuenitur, *Deum fuisse luminaria in firmamento cali, vt diuiderent dies, & noctes, & essent in signa, & tempora.* Et alibi, *Tu ues dies, & tua nox.* Et item, *Non est vestrum nescire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quæ locutiones sine realitate in tempore non possunt saluari.

8 Tamen hæc probatio est optimè procedat contra auctores primæ sententiæ negantes absolutè tempus esse quid reale in rerum natura existens: non tamen militat contra auctores secundæ, qui ita negant, tempus pro formali, & per se significato esse ens reale, vt simul affirmant, tempus pro materiali, & denominato esse quid reale in rerum natura existens. Quod sufficientissimum est, tum ad salvandum communem existimationem, quam habent de tempore. Tum etiam ad salvandũ locutiones scripturæ, quæ de tempore locu-

tur, tamquam de aliquo reali. Non secus, ac ad salvandum communem omnium hominum existimationem, quam habet de speciebus animalium; (omnes enim de ipsis, tamquam de rebus aliquibus & sentiunt, & locuntur) & similiter locutiones illas scripturæ, in quibus dicitur, inssu Dei produxisse terram iumentis, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas, non requiritur, quod hoc concretum species pro formali & per se significato sit quid reale, sed sufficit, quod sit quid reale, & in rerum natura existens id, quod dicit hoc cōcretum species pro materiali, & denominato.

9 Secundò probant ijdem auctores hanc sententiam aliquibus rationibus, quæ etiam si efficaces sunt contra auctores primæ sententiæ; sed nihil concludunt contra auctores secundæ. Prima est; tempus est species quantitatis: sed quætitas est quid reale: ergo & tempus. Secunda; tempus est mensura motus: sed motus est quid reale: ergo & tempus: non enim conuenit, vt entis realis sit mensura imaginaria. Tertia; nihil reale durat in rerum natura per aliquod imaginarium: sed motus realis durat in rerum natura per tempus: ergo tempus non est quid imaginarium. Quartò; quia sublata operatione animæ vnus mo-

motus est diuturnior alio. Item in vno motu reperiuntur partes priores, & posteriores: sed hæc sunt temporis proprietates: ergo datur tempus sublata operatione animæ, & consequenter à parte rei.

10 Aliunde ergo probandum est contra auctores secundæ sententiæ tempus ad huc pro formali & per se significato esse aliquid reali in rerum natura existens. Quod vt declinemus, & probemus, aduertendum est, rationem numeri, seu mensuræ, quam pro formali, & per se significato dicit tempus, posse dupliciter suari, scilicet, actu, & aptitudine. Si actu sumatur, certum est, non esse quid reale; nam solum consistit in quadam denominatione extrinseca ab actu intellectus proueniẽte, diuidentis durationem, successiuã aliquius motus, quæ realiter cōtinua, & indiuisa est, in certas, & determinatas partes, quas horas, vel dies, vel annos vocitamus. At, si sumatur aptitudinaliter, est quid reale; nam consistit in quadam reali proprietate ipsius durationis motus; quæ cum non solum sit quantitas, sed etiam sit quætitas successiuã habens partes priores, & posteriores, apta nata est (nō obstante quod istæ partes sint cōtinuæ, & indiuisæ) vt ab intellectu diuidatur in partes certas, & determinatas, quas horas, vel dies, vel annos dicitur

temus; & consequenter cōtinuatur actu numerus, seu mensura duratiõ quæ aliorum motuum. Et in hac doctrina conueniunt tam auctores secundæ, quàm terciæ sententiæ. Desidũ autem inter ipsos est in explicãdo, in quam ex his rationibus numeri, seu mensuræ intrinsecè, & essentialiter consistat ratio, quæ tempus dicit pro formali, & per se significato, an in actuali? an in aptitudinali? nam auctores secundæ sententiæ videtur sustinere, quod in actuali: & ideo consequenter dicunt, tempus pro formali, & per se significato esse quid rationis. At auctores terciæ sententiæ (quam veriorẽ, doctrinæque, tam Aristotelis, quàm Scoti conformiorem ergo iudico) sustinent, quod in aptitudinali: & ideo consequenter affirmant, tempus, ad huc pro formali, & per se significato, esse quid reale, & existens in rerum natura ante omnẽ actualẽ operationem intellectus.

11 Porro rationẽ, quam pro formali, & per se significato dicit tempus, non consistere essentialiter in ratione actuali numeri, seu mensuræ, sed potius in aptitudinali, & consequenter tempus, ad huc pro formali, esse quid reale, & existens in rerum natura ante actualẽ operationem intellectus. Probari potest; primo ex Aristot. qui loco citato ab aduersarijs inquirens, vtrum

tempus esse possit sine anima? respondit duabus conclusionibus. Prima est, quod, si impossibilis esset anima, non esset tempus; eo quod ratio formalis temporis consistit in numerabilitate; & sic, si impossibilis esset numerans, scilicet, anima intellectualis, non esset numerabile, scilicet, tempus; sed solum esset id, quod aliàs (scilicet, existente possibilitate animæ) tempus, seu numerabile esset. Secunda conclusio, quam ponit, est, quod, si esset motus, non existente actu anima, esset tempus, nam in illo motu essent prius, & posterius, quæ, vt numerabilia, tempus sunt. Ergo sentit Arist. rationem formalem temporis essentialiter non consistere in ratione numeri, seu mensuræ actuali, sed aptitudinali. Verba Arist. sunt. *Vtrum autem, cum non sit anima, erit tempus, an non? dubitabit aliquis. Cum enim impossibile sit, numeraturum esse, impossibile est numerabile aliquid esse. Quare est manifestum, quod neque numerus est: numerum enim est, aut numeratum, aut ipsum numerabile: si enim nihil aliud aptum natura est, quam anima numerare, & anima intellectus, impossibile est, tempus esse, cum non sit anima, nisi id, quod subiecto tempus est. At si contingit, motum esse sine anima, prius autem, & posterius in motu esse; tempus autem hæc sunt, quatenus numerabilia sunt. Quæ verba exponens Scotus super hæc tex-*

tum, sic loquitur. *Soluit primam dubitationem per duas conclusiones. Prima est. Si impossibile esset, animam esse, impossibile esset, tempus esse. Probat, quia, si impossibile esset, numerans esse, impossibile esset, numerum, aut numerabile esse: at omne numerans est anima. Secunda conclusio; licet anima non sit, ad huc tempus est; dum tamen sit possibile, animam esse. Probat, quia dato, quod anima non sit, & possit esse, adhuc motus ille, qui est tempus, vel cui consequitur tempus, est numerabilis ab anima; v. g. dato, quod nullum comburens esset, bene esset aliquod combustibile; sed posito, quod nullum comburens possit esse, tunc nullum combustibile posset esse. Sic est in proposito; quia duratio motus licet actu non numeretur ab anima; tamen numerabilis est; & ex eo, quod est numerabilis, dicitur tempus. En quomodo Scotus non solum nostram docet conclusionem; sed etiam, vt Aristotelicam ipsam tradit. Eandem doctrinam habet Scotus super quarto Physicorum c. 17.*

12 Secundò eadem veritas probari potest à simili de loco; nam proportionali modo, quo locus se habet ad id, quod est in loco, tempus se habet ad id, quod est in tempore: locus ergo, etsi pro formali dicat rationem continentiam; (vt ex supra dictis patet) tamē ratio, quā pro formali, & per se significatō dicit, non consistit essentialiter in continentia actuali, sed in aptitudinali: aliàs

aliàs non rectè definiisset Arist. *vacuum esse locum nō repletum corpore*: nam vltima superficies corporis circumdātis vacuum, quam in hac definitione locū appellat Philosophus, actu nullum corpus continet; sed tantum est apta continere: ergo pariformiter dicendum erit de tempore, quod etiam si pro formali dicat rationē numeri, seu mensuræ; tamen ratio, quā pro formali, & per se significatō dicit tempus, non consistit essentialiter in ratione actuali numeri, seu mensuræ, quæ quid rationis est: sed in ratione aptitudinali, quæ quid reale est, & conueniens durationi successiuæ, quæ denominatur tempus, ante omnem actualem operationem intellectus.

13 Quibus adde, non solum Auctores primæ sententiæ, qui absolute negant, tempus esse ens reale; sed etiam Auctores secundæ, qui dicunt tempus in ratione sua formali esse ens rationis; & non aliquid reale, astringi fatentur, tempus inter obiecta materialia; quæ per se attinguntur à philosophia naturali, non comprehendendi: quod est absurdum, & contra Arist. qui in hoc 4. libro agit de tempore sub ratione formali temporis, vt de obiecto materiali per se spectante ad philosophiam naturalem. Sequela patet; nam, cum philosophia naturalis in-

ter scientias reales numeretur, obiecta eius materialia, de quibus per se agit, entia realia esse debent, etiam pro formali, si illa considerat secundum rationes suas formales, sicut considerat Philosophia tempus.

14 Sed iam argumentis factis tam pro prima sententia, quam pro secunda satisfaciamus. Ad primam rationem ex adductis pro prima sententia (quæ, si quid probaret, probaret vtique, neque etiam motum esse quid reale, & in rerum natura existens; nam etiā in motu nulla pars existit simul cum alia; sed alia præcessit, & alia subsequitur.) Respondetur, hoc esse discrimen inter entia realia permanentia, & entia realia successiuia; qualia sunt tempus, & motus; quod permanentia, vt re ipsa dicantur esse, debent constare ex partibus, quæ re ipsa sunt: at entia realia successiuia, vt re ipsa dicantur esse, non debent constare ex partibus, quæ simul re ipsa sunt: aliàs non entia realia successiuia; sed permanentia dicerentur; sed ex partibus, quarum quædam iam præterierint; quædam verò præteriturae sunt; quædam autē actu prætercunt; & hoc contingere tam in tempore, quam in motu.

15 Propter secundam rationem dubitant Auctores, quomodo tempus præfens sit? Ali-

qui, quos referunt, & sequuntur Pererius lib. 1. 2. cap. 1. & Patres Carmelitani disput. 2. 1. q. 5. existimant partes temporis numquam esse presentes ratione sui, sed ratione instantis, seu momenti, quod dicitur *nunc*. Quæ videtur esse sententia non solum Senecæ, sed etiam D. August. nam Seneca lib. 6. naturalium quaestionum sic loquitur: *Fluit tempus, & audivissimos sui deserit; nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit, in puncto fugientis temporis pendeo.* Et D. August. 11. confessio-nem, capite 15. *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas iam, vel in minutissimas momentorum partes dividi possit, id solum est, quod præsens dicitur: quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transvolat, ut nulla morula extendatur; nam, si extenditur, dividitur in præteritum, & futurum: præsens autem nullum habet spatium.*

16. Sed non placet hæc sententia; nam sic philosophantes unum ex duobus coguntur sustinere; vel quod tempus non componatur ex partibus extensis, & divisibilibus in semper divisibilibus; sed ex instantibus inextensis, & indivisibilibus, quorum unum immediate sequatur ad aliud: (cuius oppositum non solum de tempore sed de quocunque alio continuo demonstrat Arist. 6. lib. huius operis) vel quod tempus non sit aliquid reale in rerum natura exi-

stēs; ut auctores primæ sententiæ cōtēdebāt, & stādo in ista sententia ratio secūda pro illorū sententia adducta cōvincit manifestē. Neq; Augustinus, & Seneca his auctoribus fauent, nā, cum dicūt, ex tēpore solum esse præsens instās, seu momētū, solum locuntur de præsentia simultanea, & in facto esse, nō verò de præsentia successiva, & in fieri: qua ratione nō instātia, seu momēta, sed ipsæ partes temporis sunt, fuerūt, vel erūt presentes. Et eodē modo est intelligēdus D. Th. locis, quæ adducūt à Patribus Carmelitanis loco citato §. 2.

17. Dicēdū igitur nobis est cū cōmuni sententia (quæ tenēt Scotas in 2. d. 2. q. 9. lit. M. Durandus ibidē q. 4. Suarez disp. 50. super metaph. sect. 9. n. 22.) Conimbricēs, Plaça, Murcia, Rubio, & alij recētiores in præsentia cōtrouersia) tēpus esse præsens ratione suarū partiū, quæ verē existunt, quando prætereunt, per existentiā propriā, non quidē in esse quieto, & in facto esse, qualiter existunt indivisibilia, & partes rerū permanētiū; sed trāsēnter, & in fieri, qui est modus existēdi partiū successiuorū. Et præter incōueniētia, quæ numero præcedenti inferabamus ex eo, quod à partes temporis nūquā essent presentes seu existētes ratione sui, sed solum ratione instātis, seu momenti, quod dicitur *nunc*, probari potest aliquibus rationibus.

18. Prima est. In tempore verò datur pars, quæ ratione sui sit præterita; & similiter verè datur pars, quæ ratione sui sit futura: ergo verè dabitur pars, quæ ratione sui sit præsens, licet non præsentia in esse quieto, & in facto esse (quia hæc præsentia repugnat partibus continui successiui) saltem præsentia transeunte, & in fieri, quæ est propria partium continui successiui. Probo consequentiam: quia, cum nihil sit præteritum, nisi, quod aliquando fuit præsens: neque aliquando erit præsens; sequitur manifestē; quod, si nulla datur pars temporis, quæ ratione sui aliquando sit præsens; etiam nulla dabitur pars temporis, quæ ratione sui verè sit præterita, & similiter futura.

19. Secunda; quia impossibile est, quod aliquid existat in rerum natura per existentiam alienam: (ut ex libro 1. disputat. vltima quæst. 2. de identitate reali existentia cum essentia præsuppono) ergo impossibile erit, quod partes temporis existant in rerum natura, & consequenter sint presentes per existentiam instantis, seu momenti; quod dicitur *nunc*; cum hoc sit quiddam distinctum, & consequenter quid alienum à partibus ipsius temporis. Et quidquid sit de identitate, vel distinctio-

ne existentia ab essentia (est enim hoc in controuersia positum) saltem impossibile est, quod partes temporis præterita, & futura existant eadem indivisibili existentia; alias simul existerent: quod non minus implicat, ac dari simul præteritum, & futurum. Est autem manifestum, quod, si partes temporis præterita, & futura non existant propria illarum existentia; sed potius existentia instantis indivisibilis, quo necuntur, necessariò esse fatendum, quod existant partes præterita, & futura eadem indivisibili existentia, nimirum, existentia illius instantis, quo copulantur; quæ vnica, & indivisibilis est. Immo sequeretur, quod partes illæ, quæ immediata copulantur ab instanti, seu momento, quod dicitur *nunc* (quarum vniam aduersarij appellant præteritam; & alteram futuram) essent præsentis, & actu existentes, non quomodocunque; sed simul. Sequela patet: nam prædictæ partes (ut aduersarij contendunt) non habent aliam existentiam, vel præsentiam, quam ipsius instantis; sed illud instans verè dicitur præsens & existens actu, simul ergo idem verificari debet de partibus. Ne ergo in hoc inconueniens incidamus; dicendum erit, prædictas partes habere præsentias &

& existentias, quando ab illo instante, seu momento, quod dicitur *nunc* copulatur: & sic nec vnā dici præteritam, neque alteram futuram, sed vtramque dici præsentem; sed non præsentia, & existentia simultanea, & in esse quieto, qualis est instantis; sed potius transeunte, & successiua, cum vna (scilicet, prior) sit in transitu ex esse ad non esse; & altera (scilicet, posterior) sit in transitu ex non esse ad esse: qui est proprius modus existentiae, seu præsentiae partium successiuorum; quorum esse solum consistit in transitu, seu fieri.

20. Et si aliquis obijciat; de his, quæ existentia; & præsentia sunt, optimè enuntiari potest, quòd nunc sint: quòd tamen enuntiari minimè potest de tempore ratione suarum partium: ergo signum est, quòd tempus ratione suarum partium, nec sic existens, nec præsens. Respondetur quòd, si ea, quæ sunt præsentia, & existentia, sint præsentia, & existentia in esse quieto, & permanenter, verum est antecedens: tamen si sint præsentia, & existentia inferi, & transeunter, (sicut sunt præsentia partes temporis) falsum est antecedens; nā de huiusmodi rebus non potest verificari, quòd nunc sunt, sed quòd fluunt, & pertranseunt.

21. Ex dictis patet, quid sit respondendum ad secundam ra-

tionem adductam pro prima sententia. Respondetur enim: concludere quidem, tempus non esse ens reale, & in rerum natura existēs, ad huc pro materiali, & denominato contra auctores, qui sustinent, tempus non existere, neque esse præsens ratione suarum partium, sed solum ratione instantis, seu momenti, quod dicitur *nunc*: non verò contra nos, qui statuimus contra hos auctores, tempus existere, & esse præsens ratione suarum partium, licet non existentia, & præsentia simultanea, & permanenti, sed successiua, & transeunte, quæ est propria successiuorum, quorum esse solum consistit in transitu, seu fieri.

22. Ad ea, quæ tam ex Arist. quàm ex alijs capitibus adducebant auctores secundæ sententiæ ad probandum, tempus etsi pro materiali, & denominato sit quid reale; tamen pro formali, & per se significato esse quid rationis, vel saltē denominationem extrinsecam ab actu intellectus prouenientem, respondetur probare optimè, rationem actualem numeri, seu mensuræ competere durationi successiue, quæ tempus denominatur, per operationem intellectus; & consequenter esse quid rationis, vel saltē denominationem extrinsecam ab actu intellectus prouenientem: non tamen id probare de ratione aptitudi-

nali,

nali, quæ est in prædicta duratione, quæ denominatur tempus, ad hoc, vt per intellectum in ratione actualis numeri, seu mensuræ constituatur; & sic non probare, quòd contendunt, scilicet, tempus pro formali non esse quid reale, sed rationis: quia (vt supra ostendimus non solum ex Arist. & Scoto, sed etiam per rationes) ratio, quæ pro formali, & per se significato dicit tempus, non consistit essentialiter in ratione actuali numeri, seu mensuræ, sed in aptitudinali.

### QVÆSTIO II.

*An definitio temporis tradita ab Aristotele sit exacta?*

1. Aristoteles (vt vidimus in *A*litera) cap. 11. tempus his verbis definiuit, *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*. De qua definitione in præsentia quæstione querimus, an sit exacta? Et rationes dubitandi sunt. Prima, quia tempus est quantitas continua: sed omnis numerus est quantitas discreta: ergo tempus non est numerus. Tenet consequentia; quia alias quantitas continua esset quantitas discreta. Secunda: omne tempus est diuisibile in semper diuisibilia: sed numerus non est diuisibilis in semper diuisibilia, sed in indiuisibilia; scilicet, in vnitates: ergo tempus non est numerus. Tertia; tempus non solum est nu-

merus motus, sed etiam est numerus quietis; siquidem per tempus non solum motum, sed etiam quietem mensuramus: ergo in definitione temporis, non solum debuit poni, quòd sit numerus motus, sed etiam quòd sit numerus quietis. Quarta; partes quantitatiue non debent poni in definitione totius quanti: sed prius, & posterius sunt partes quantitatiue temporis: ergo non rectè collocatur in definitione illius.

2. His non obstantibus, tenendum est, hanc definitionem traditam ab Arist. esse exactam, & per ipsam naturam temporis optimè declarari. Ita vno ore omnes Peripatetici defendunt. Et probari potest per singulas eius particulas discurrendo. Prima particula est *numerus*. Pro cuius intelligentia primò notandum est ex Scoto hic q. 17. triplicem esse numerum numeratum. Alius etenim est numerus rerum indiuisibiliū; vt numerus intelligentiarum, seu animarum: alius verò est numerus rerum diuisibiliū discretarum; vt numerus lapidum: & demum alius est numerus rerum diuisibiliū non discretarum, sed potius continuarum ad inuicem, vt numerus graduum cæli. Hac diuisione supposita dicit Scotus, quòd sumpto ly *numerus* pro numero numerato, tempus non est numerus, nec primo, nec secundo modo; sed tertio. Cuius ratio

tio est, quia duratio, quæ denominatur tempus, & consequenter numerus numeratus, quo tanquam instrumento, uti possumus ad alias durationes reliquorum motuum mensurandas, etsi denominetur tempus ab aptitudine reali, quam habet, ut ab intellectu diuidatur in partes, & fiat numerus actualis, per quem, tamquam per instrumentum, possumus durationes aliorum motuum mensurare: tamen in re partes istæ, in qua est ab intellectu diuisibilis, non sunt discretæ, sed potius continuæ; non secus ac sunt partes motus, cuius est duratio.

3. Secundò annotandum est, quòd etiam si omnis mensura appellari possit numerus ratione illa generali, quam attigit Scotus q. 23. prædicamentali ad 3. & desumpsit ex Arist. 10. Metaph. tex. 2. & 3. scilicet, quia ratio mensuræ ultimæ competit numero, ut videre est in mēsuracione panni, quæ etsi fiat per vnam semel, & iterum super eum repetitam, tamen ut vltimatè certificemur de quantitate panni, ipsas vnas iterum numero mensuramus; & sic dicimus, hic pannus habet viginti vnas. Nihilominus in mensura, quæ est tempus, aliæ speciales rationes sunt, ob quas potuit, immo & debuit Arist. ipsam numerum appellari.

4. Quas ut declaremus, ad-

uertendum est cum Scotò hic q. 17. dupliciter posse vnum mensurari per aliud. Primò sicut totum mensuratur per partem suam; v.g. per vnam panni sæpè replicatam mensuramus totum pannum: & hoc pacto tempus mēsuratur tempore; nam dies mensuratur hora; mensis die; annus mense. Tamen quia hoc non fit per replicationem eiusdem numero mensuræ, sicut contingit in magnitudinibus; sed potius per ipsius multiplicationem: diem enim non mensuramus per horam eandem numero horam repetendo; sed primæ horæ secundam adiiciendo: qui modus mensurandi est proprius numeri; cum enim mente computamus, numerato primo, non idem amplius iteramus, sed aliud illi adiicimus. Hæc est vna ex rationibus specialibus, ob quam ratio mensuræ, quæ reperitur in tempore, potuit, & debuit ab Aristot. non qualiscumque mensura, sed numerus appellari.

5. Secundò vnum mensuratur per aliud correspondentem; v.g. per gradus cæli mensuramus spatium in terra, scilicet, inquirendo, quantum spatium in terra correspondet vni gradui cæli: & similiter per vnam lineam mensuramus pannum, inquirendo, quanta magnitudo panni correspondeat magnitudini vnae lineæ: & isto modo men-

suratur motus per tempus. Sed est notandum discrimen in modo, quo per correspondentiā mensuramus magnitudines permanentes, ut sunt magnitudines panni, vini, tritici, &c. & magnitudines successiuas, ut sunt magnitudines motuum, quæ mensurantur per tempus: nam in mensuratione magnitudinum permanentium non attendimus ad discretionem partium mensuræ, scilicet, vnae, sed benè aduertimus ad discretionem mensurati, scilicet, panni, vini, tritici, &c. At in mensuratione magnitudinum successiuarum attendimus ad discretionem partium mensuræ; v.g. in mensurando, quantum durat motus, distinguimus inter partes mensuræ, scilicet, temporis, inquirendo, quantum ipsius motus correspondeat cuilibet parti temporis. Et hæc est specialis alia ratio, cur ratio mensuræ, quæ reperitur in tempore, potuit, & debuit ab Aristot. non qualiscumque mensura, sed numerus appellari: nam illa mensura convenientissimè appellatur numerus, secundum quam in mensurando exigitur discretio partium mensuræ.

6. Sed quia duplex numerus distinguitur à Philosophis (& sumpserunt ex Aristot. hic text. 102. & 110.) Alius

enim est numerus, quem numeramus: & alius, quo numeramus: ille dicitur numerus numeratus: hic autem numerus numerans: ille non est aliud quàm ipsæmet res, quas enumeramus, v. gratia, decem homines; hic autem, quem abstractum à rebus mente concipimus, v. gratia, numerus denarius; quem postea applicamus varijs rebus, quas numeramus. Ideo ingens apud interpretes est dissidium in explicando, de quoniam ex his numeris intelligendus veniat Aristot. cum tempus appellat numerum; an de numero numerante? an de numero numerato? Nam Averroes, & expositores Latini (ut refert Pererius libr. 12. cap. 2.) volunt in definitione temporis intelligi numerum numerantem; & ita tempus esse numerum numerantem. At expositores Græci, & ex Latinis Pererius loco citato, Toletus quæst. 12. Conimbricenses cap. 14. quæst. 1. art. 2. & communiter Recentiores volūt intelligi numerum numeratū; ita ut sensus sit, tempus esse motū ipsū numeratū, hoc est distributum in partes.

7. Et ratio huius dissidij est ipsæmet Aristot. qui aliquando dicit, tempus esse numerum numeratum, non verò numerum numerantem. Ita expressè text. 102. Verba sunt,

suat: *Tempus est, quod numeratur, non verò, quo numeramus: & textu 110. Tempus autem numerus est, non quo numeramus, sed quod numeratur.* Aliquando autem è contrario dicit, tempus esse numerum numerantem, seu quo numeramus motum: nam textu 102. sic probat, tempus esse numerum motus. *Plus, & minus discernimus numero, motum autem plurem, & minorem tempore: numerus itaque quiddam tempus est.* Quæ ratio planè probat, tempus esse numerum, quo numeramus motum. Et text. 110. citato docet, vnum, & idem esse tempus respectu diuersorum motuum, non secus ac est vnus, & idem numerus, quo numeramus centum homines, & centum equos, non obstante, quòd sint variæ res numeratæ. Ex quo etiam planè inferitur, tempus non esse numerum numeratum, sed numerum numerantem.

8. Et augetur difficultas ex ipsa re; nam tempus neque potest dici numerus numerans; neque numerus numeratus. Non numerus numerans; nam sic esset merè in intellectu avulsus ab omni motu, & ab omnibus rebus. Non numerus numeratus; quia sic formaliter esset ipsemet motus, & non debuisset definiti, est numerus motus secundum prius, & posterius; sed potius, est motus numera-

tus secundum prius, & posterius.

9 Sed disidium hoc optimè componit Scotus hic quæst. 17. citata aduertendo, triplicem esse numerum, nam alius est purè numerans, nimirum, ille, qui ab omni prorsus subiecto avulsus solum habet esse obiectiuè in actu intellectus; vt denarius, quinquarius, &c. qui ideo à Scoto appellatur actus animæ. Alius verò est purè numeratus, qui dicit præcisè res numeratas, nec amplius deservit ad quidquam aliud numerandum. Alius demum est quasi mixtus, id est numeratus simul & numerans, nempe, qui consideratur in aliquibus subiectis, quæ ita sunt numerata, vt ulterius deserviant ad alia numeranda, vt numerus, v. gr. fabarum, quibus, tanquam instrumentis, vtimur ad numeranda vota, seu suffragia hominum; qui ideo à Scoto appellatur numerus, quo numeramus, tanquam instrumento.

10 Hac trina diuisione numeri facta, respondet Scotus difficultati propositæ, tempus esse numerum, non purè numerantem: quia (vt ratio dubitandi probat) hic solum habet esse obiectiuè in actu animæ: neque etiam purè numeratum; quia hic non hic nõ ordinatur ad aliud numerandum; tempus autem ordinatur ad numerandum mo-

motum secundum prius, & posterius: sed quasi mixtum, id est, numeratum simul, & numerantem; nam est duratio illa primi mobilis numerata, & quasi discreta per intellectum in partes ad hoc, vt per ipsam sic enumeratam, & discretam, tanquam per instrumentum, durationes aliorum motuum inferiorum numerare possimus.

11 Et ex his patet, non solum, quæ fuerit mens Aristotel. sed etiam in locis eius supra relatis nullam esse contradictionem: nam dicimus Aristotel. in definitione temporis *ly numerus* sumpsisse actiuè, & pro numero numerante: nam re vera id sonat ille modus loquendi, *tempus est numerus motus, &c.* Et insuper hoc cõuincit ratio, quam subiunxit ad hoc probandum, scilicet, *plus, & minus discernimus numero, motum autem plurem, aut minorem esse discernimus tempore: numerus ergo quiddam tempus est.* Attamen, quia tempus non est numerus purè numerans, & avulsus à rebus, & solum habens esse obiectiuè in actu animæ, sed potius determinatè consideratur in suo subiecto, & vt sic, deservit, vt instrumentum, ad alios motus mensurandos: ideo Aristotel. supponens ex dictis, tempus esse numerum, quo numeramus motum, addidit

non esse purè numerum, quo numeramus, sed esse etiam in se numerum: quasi diceret, est quidem numerus mixtus; nam ita est numerans, vt etiam sit numeratus.

12 Secunda particula huius definitionis est *motus*: & quia motus (vt sæpè dictum est nõ solum lib. 3. huius operis, sed etiam in Logica capite de quantitate disputation. 2. quæstion. 3.) dupliciter sumi potest; videlicet, materialiter; qua ratione nihil aliud est, quàm forma fluens, id est forma, quæ acquiritur per motum, vt in fieri, & in esse imperfecto, tendentique ad sui perfectionem consideratur, & formaliter; qua ratione nihil aliud est, quàm ipse fluxus, à quo forma, quæ fuit, quandiu est in fieri, fluens denominatur, seu (quod idem est) illa mora, seu duratio successiua, quæ in fieri illius formæ consumitur; aduertit optimè Scotus quæstion. 17. citata, in hac definitione nõmine *motus* intelligere Aristotel. non solum motum materialiter, & pro forma fluente sumptum, sed etiam sumptum formaliter, scilicet, pro fluxu, seu duratione successiua, quæ in fieri formæ consumitur. Immo addo, rationem numeri, quam pro formali dicit tempus primò, & per se competere motui forma-

maliter sumpta; qua ratione habet motus, quod sit species quantitatis; (ex dictis in Logica, capit. de quantitate, disput. 2. quæstion. 3. section. 1.) motui verò sumpto materialiter solum competere per accidens, & in quantum est subiectum durationis successiuæ, quam motus dicit pro formali; non secus, ac in permanentibus ratio mensurabilis primò, & per se competit quantitati permanenti, substantijs verò solum per accidens, & in quantum sunt subiecta quantitatis.

13 Tertia, & vltima particula est *secundum prius, & posterius*, quæ additur (inquit Scotus) ad denotandum, quo modo debeat mensurari motus, vt numerus motus tempus sit: nam si alio modo mēsurarem motus, quam per prius, & posterius (vt contingeret, si diceremus, isti motus sunt duo, vel illi motus sunt tres) talis numerus, etsi esset motuum, non tamen dicretur tempus.

14 Ex dictis circa singulas particulas huius definitionis temporis patet, quam exacta sit ista definitio: siquidem non solum explicat naturam temporis, sed etiam distinguit illud à quocumque alio, quod eius naturam non participat. Nam per *ly numerus*, quod ponitur pro genere, excluditur à ratione temporis quæcum-

que mensura, secundum quam in mensurando non exigitur discretio; vt sunt vlna, libra, & consimiles. Et per *ly motus* excluditur mensura, in qua etiam si ad mensurandam requiratur discretio, & ideò dicitur numerus; non tamen est mensura alicuius successiuè transeuntis, qualis est motus, sed alicuius permanentis: talis est numerus graduum cæli, quo mesurantur leuæ, quæ sunt in spatio terræ, vel maris. Et demum per *ly secundum prius, & posterius* excluditur mensura, qua non partes eiusdem motus, sed potius plures motus discretos simul mensuramus; vt cum dicimus, isti motus sunt duo; illi motus sunt tres. Imò addo, etiam si plures motus discretos cum ordine prioris, & posterioris numerarem, dicendo, vnus motus, duo motus, tres motus, &c. adhuc iste numerus motuū nō esset tēpus, licet ex alio capite, scilicet, quia præcisè esset numerus avulsus à rebus, & solum habēs esse obiectiuè in actu intellectus numerantis; & de ratione temporis (vt ex Arist. supra dicebamus) ita est, quod sit numerus numerans, vt simul sit numerus numeratus. Quod si aliquis dicat, saltem ipsi motus numerati cum prædicto ordine prioris, & posterioris poterunt appellari tempus; siquidem ita possunt nu-

numerari ab intellectu, vt per ipsos, tanquam per instrumenta, alij motus numerentur. Respondetur nihil minus; nam ad rationem temporis non sufficit, quod sit simul numerus numeratus, & numerans motus secundum prius, & posterius; sed etiam exigitur, quod sit numerus numeratus rerum diuisibilem non discretarum; vt sunt prædicti motus numerati cum ordine prioris, & posterioris; sed continuarum, vt constat ex dictis num. 2.

15 Ad primam rationem ex adductis in contrarium, cōcessa maiori, negamus minorem, scilicet, omnem numerum in re esse quantitatem discretam; nam optimè potest id, quod in re est quantitas continua, in ordine ad intellectum esse numerabile; imò & actu per ipsum intellectum numerari, & fieri discretum; vt patet ex dictis num. 2. Et hoc contingit in tempore, quod etsi in re quid continuum sit; tamen in ordine ad intellectum est quid numerabile, & sectibile in partes: imò & actu ab intellectu numeratur, & in partes secatur, & fit numerus actualis, & quid discretum.

16 Ad secundam respondeatur, aliud esse, quod conuenit tempore per operationem intellectus illud secantem, & diuidentem in partes aliquotas, & determinatas, scilicet, in horas, vel dies: & aliud quod

conuenit tempore ex intrinseca ratione sua: si in tempore attendamus ad id, quod illi conuenit per operationem intellectus ipsum secantem, & diuidentem in partes aliquotas, & determinatas, fatemur, non esse diuisibile in semper diuisibilia; (vt argumentum probat) at si in tempore consideremus id, quod illi competit ex intrinseca ratione sua, scilicet, esse durationem successiuam aptam natam numerari, seu secari per intellectum in partes, negamus, tempus nō esse diuisibile in semper diuisibilia; siquidem non potest intellectus hanc durationem, quæ est tempus, ita in minimas partes numerare, vel secare, quin possit in minores, & minores vsque in infinitum; dummodo hæc numeratio, vel diuisio fiat, non per partes aliquotas, & determinatas, sed per partes proportionales, & indeterminatas.

17 Ad tertiā dicimus, quod, cum tempus solum sit numerus, seu mensura per se motus; (nam quietis solum est numerus, seu mensura per accidens, vt docuit Arist. cap. 12.) ideò in definitione temporis non debuit ingredi quies, sed solum motus; nam quod rei conuenit per accidens, non intrat in eius definitionem.

18 Ad quartā optimè respondet Scotus, quod licet eadē res



fit tempus, & motus, & eadem sint partes temporis, & motus; tamen secundum aliam rationem illa res dicitur esse motus, & secundum aliam tempus. Nunc dicimus, quod prius, & posterius ponuntur in definitione temporis, non ea ratione, qua sunt partes temporis; sed secundum illam rationem, qua sunt partes motus.

19 Sed supersunt adhuc duæ difficultates exagitantæ. Prima, *an hæc definitio temporis sit quidditatiua, an descriptiua appellanda?* quæ difficultas pendet ex alia, nimirum, quidnam dicat tempus pro formali, & per se significato? cum enim in tempore tria distinguere possimus, scilicet, ipsam durationem successiuam motus (quæ est quædam species quantitatis) & aptitudinem realem, quæ conuenit huic durationi successiuæ ad hoc, vt per intellectum secundum partes priores, & posteriores numeretur, & diuidatur, & sic fiat instrumentum aptum ad alios motus mensurandos (quæ est propria passio, seu proprietas in quarto modo prædictæ durationis) & demum ipsam actualem numerationem, seu diuisionem in partes priores, & posteriores, ratione cuius duratio habet, quod sit actu numerus, seu mensura aliorum motuum: quod est quædam denominatio extrinseca in ipsa duratione successiua ab actu intellectus proueniens; &

consequenter quid rationis, si à nobis, vt quid inhærens in ipsa duratione concipiatur; hinc oritur difficultas inter auctores in assignando, quamnam ex his rationibus tempus dicat pro formali, & per se significato; nam non posse omnes illas simul dicere pro formali, sed vnã ex his dumtaxat, reliquas verò importare, vt cõnotata, affirmant omnes.

20 Aliqui auctores dicunt, essentialem rationem temporis consistere in ratione durationis successiuæ; & consequenter hanc esse, quam tempus importat pro formali, & per se significato; aptitudinem verò ad hoc, vt per intellectum secundum partes priores, & posteriores enumeretur, seu diuidatur, & sic fiat instrumentum aptum ad alios motus mensurandos, solum esse quamdam proprietatem passionem, seu proprietatem temporis: & demum actualem numerationem, seu diuisionem in partes priores, & posteriores, esse accidens rationis ipsi tempori per actum intellectus conueniens. Et hi consequenter sustinent, definitionem temporis traditam ab Arist. nõ esse quidditatiuam, sed descriptiuam appellandam; cum non explicet essentiã, sed quædam temporis passionem. Et similiter affirmant, tempus essentialiter sumptum esse speciem quantitatis.

21 Sed nobis dicendum est cum

cum Scoto in 4. d. 48. q. 2. lit. G. essentialem rationem temporis consistere in ratione mensuræ, seu numeri; ac per consequens hanc esse, quam tempus dicit pro formali, & per se significato: rationem verò durationis successiuæ solum importare tempus pro materiali, & denominato; non secus, ac loquendo de loco disp. 1. q. 1. num. 20. dicebamus, pro formali, & per se significato dicere relationem continentiam, vltimam verò superficiem solum dicere pro materiali, & denominato. Vnde consequenter dicimus, definitionem temporis traditam ab Arist. esse quidditatiuam; cum explicet essentialiam, & quidditatem temporis. Et similiter asserimus, quod, etsi tempus sit species quantitatis; tamen hoc non competit illi formaliter, & vt tempus est, sed pro materiali, & denominato, scilicet, quatenus duratio successiua est. Et in hac sententia conueniunt cum Scoto, quam plurimi auctores. Solum aduertendum est, auctores, qui q. 1. huius disputationis asseriebant, tempus pro formali esse ens rationis, etsi dicant, tempus pro formali, & per se significato dicere rationem mensuræ, seu numeri; sed hoc non intelligunt de ratione mensuræ, seu numeri aptitudinali, sed actuali. Tamen nos, qui ibi contra ipsos ostendimus, tempus etiam pro formali esse

quid reale, consequenter dicimus, rationem mensuræ, seu numeri, quam tempus dicit pro formali, non consistere in ipsa actuali numeratione, seu diuisione in partes priores, & posteriores ipsius durationis successiuæ, quæ fit per intellectum; (hæc enim accidit tempori) sed in aptitudine reali, quæ conuenit prædictæ durationi successiuæ, tanquam propria passio, ad hoc, vt per intellectum numeretur, & diuidatur in partes priores, & posteriores, & sic fiat instrumentum aptum ad alios motus mensurandos. Vnde cum in definitione temporis dicitur, *tempus est numerus motus, &c.* ly *numerus* non est actualiter, sed aptitudinaliter intelligendum.

22 Porro tempus pro formali, & per se significato non dicere rationem durationis successiuæ (licet hanc necessariò importet pro materiali, & denominato) sed potius rationem numeri, seu mensuræ, probari potest ex ipso met Aristot. qui in hoc 4. volens nobis essentialiam temporis declarare, illud definit, non per rationem durationis successiuæ, sed per rationem numeri, seu mensuræ: quod incongruè satis faceret, si existimaret essentialiam temporis, & consequenter id, quod tempus dicit pro formali, & per se significato, non in ratione numeri, seu mensuræ, sed potius

tius in ratione durationis successivæ consistere. Nec refert, si respondeas, rationem numeri, seu mensuræ, etsi non sit essentia temporis, esse tamen illius passionem (nam, ut dictum est, est propria passio durationis successivæ, in qua auctores oppositæ sententiæ essentiam temporis cōstituunt) & sic optime potuisse Arist. tempus per numerum, seu mensuram, tanquam per propriam illius passionem declarare. Nam cum volentes explicare essentiam alicuius rei solum utantur definitione descriptiva, & explicante illius passionē ex ignorantia illius definitionis quidditatiæ, & explicantis illius essentiam; vnum ex duobus tenentur fateri aduersarij, vel Aristotelem ignorasse rationē essentialē temporis, & consequenter eius definitionem quidditatiā; quam postea auctores isti inuenerunt: quod est ridiculum: vel reuera existimasse rationem essentialē temporis non in ratione durationis successivæ, sed in ratione numeri, seu mensuræ consistere; & sic per illam tempus definivisse: quod est intentum.

23 Et confirmatur ampliùs; nam ex Aristot. in hoc 4. tempus, etsi sit idem realiter cum motu (sumpto motu non materialiter, & pro forma fluente; sed formaliter, pro fluxu, scilicet, à quo forma, quæ

fluit, quando est in fieri, fluens denominatur) non tamen est idem essentialiter cum illo: sed motus sumptus formaliter, & pro fluxu essentialiter consistit in illa duratione successiva, quæ in fieri formarum, quæ fiunt per motum, consumitur: ergo tempus non poterit essentialiter consistere in prædicta duratione successiva; (ut contendunt auctores oppositæ sententiæ) sed potius in ratione numeri, seu mensuræ aptitudinali, quæ etsi sit propria passio prædictæ durationis successivæ, & consequenter idem realiter cum illa; non tamen est de conceptu essentiali, & quidditatiuo illius.

24. Secunda difficultas est, in quonam motu tempus sit? cui ut satisfaciamus, advertendum est, dupliciter (quoad præsens attinet) posse à nobis tempus usurpari. Primò pro duratione successiva motus apta nata numerari, seu secari ab intellectu in partes priores, & posteriores, ut sic per ipsam, tanquam per instrumentum, aliorum motuum durationes mēsuremus. Et in hoc sensu dicendum est, tempus in omni motu reperiri, qui sicut habet propriam, & intrinsecā durationem successivam aptam natam ab intellectu numerari, seu secari in partes priores, & posteriores, &c. ita

&amp;

& proprium, & intrinsecum tempus habet. Et de tempore sic accepto loquitur Aristot. cap. 14. tex. 130. dum inquirens, cur tempus dicatur esse ubique, scilicet, in terra, mari, & celo? respondet, quia ubique reperitur motus; cuius inseparabilis affectio est tempus. Et similiter loquitur D. Augustin. lib. 11. confessionum; cap. 23. dicens: *Audui à quodam homine docto, quod Solis, & Luna, ac Syderum motus ipsa sunt tempora, & anni. Cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? an verò si cessarent cæli lumina, & moveretur rota siguli, non esset tempus?* & infra: *Nemo ergo mihi dicat, cælestium corporum motus esse tempora; quia & cuiusdam voto cum Sol stetisset, ut victor Iosue prælium perageret, Sol stabat, sed tempus ibat: per suum quippe spatium temporis, quod ei sufficeret illa pugna gesta, atque finita est.* Et hoc ipsum approbat Scotus in 4. d. 48. quæstio. ne 2.

25 Verùm obijciēt aliquis. Si tempus in ista acceptione (quæ est propriissima, & intrinseca acceptio ipsius) in quolibet motu reperitur: ergo erunt simul multa tempora, non secus, ac sunt simul multi motus. Quod videtur Aristoteles habere pro absurdo affirmans in hoc libro 4. capite 14. vnum tantum modo tempus esse apud omnes. Respondetur sequi quidem ex

eo, quod tempus in quolibet motu reperitur, posse esse simul plura numero differentia: non tamen sequi posse esse plura tempora (specie differentia; qualiter differunt inter se tempus præsens, præteritum, & futurum. Quando autem Aristot. reputat absurdum esse simul plura tempora, non loquitur de pluralitate in numero, sed de pluralitate in specie. Et ad hoc facit exemplum de numero denario, quo numerantur decem homines, & decem equi, quo utitur Aristot. ad declarandum, quo modo fieri possit, ut plures in specie motus sint simul, & nihilominus non sint simul plura tempora; sed vnum tempus. Probat quidem non esse necessarium ex eo, quod motus, in quibus reperitur tempus, sint diversæ speciei, quod etiam sint diversæ speciei tempora, quæ in ipsis sunt; sicuti neque est necessarium ex eo, quod homines, & equi sint diversæ speciei, quod etiam sint diversæ speciei numerus denarius, quo numerantur decem homines; & numerus denarius, quo numerantur decem equi. Tamen, quod tempus repertum in duobus motibus simul occurrentibus debeat esse vnum numero, minime convincit; imò potius convincit oppositum: siquidē denarius, quo numerantur decem homines, & denarius,

N 3 quo

quo mensurantur decem equi, etsi sint vnum in specie, non tamen sunt vnum in indiuiduo, sed potius plura.

26. Quare non parum allucinantur (vt annotauit Pererius lib. 13. cap. 4.) aliqui interpretes; dum, ex eo, quod Arist. affirmet, vnum tantummodo tempus esse apud omnes, intelligentes hoc affatum, non solum de vnitatem specifica, sed etiam de numerica, hinc inferunt, tempus solum reperiri in motu primi mobilis, qui est vnus apud omnes. Primum, quia aduersantur ipsimet Aristot. qui tex. 130. (vt supra dicebamus) idem affirmat, tempus esse vbiq; in terra, mari, & celo; quia vbiq; reperitur motus, cuius inseparabilis affectio est tempus. Secundum, quia predictum affatum Arist. non de vnitatem numerica, sed solum de specifica intelligendum est; vt exemplum numeri denarij, quo vtitur ad hanc vnitatem temporis declarandam, satis clare ostendere, probatum est. Neque Aristot. ad probandum vnitatem temporis recurrit vquam ad vnitatem motus primi mobilis; sed illam dicit esse similem vnitati numeri denarij, quo decem homines, & decem equos numeramus.

27. Secundum usurpari potest tempus pro duratione successiva motus, non solum apta nata numerari, & secari ab intellectu in partes priores, & po-

steriores, vt sic per ipsam, tanquam per instrumentum, aliorum motuum durationes mensurare possimus; sed etiam, que actu numerata, & quasi diuisa sit ab intellectu in predictas partes; & consequenter actu assignata, vt mensura extrinseca durationum ceterorum motuum, quæ ideo tempus extrinsecum solet appellari. Et sumpto tempore in hac acceptioe, dicendum est, nullum esse motum, cui ex natura rei hoc genus temporis conueniat; quia nullus est motus, cuius durationi ex natura rei conueniat esse actu mensuram extrinsecam durationum ceterorum motuum; sed potius hoc pendet ex arbitrio, & institutione hominum. Nihilominus tamen aliquos esse motus in rerum natura de se aptiores a ijs, vt ad hoc munus essendi mensuram extrinsecam durationum aliorum motuum destinantur; eo quod ex se habent conditiones, quas Arist. requisit, vt ab hominibus aliqua res assumatur, vt mensura alterius. Prima est, quod sit eiusdem generis cum re, quam mensurare debet, vel simpliciter, vel saltem quoad conditiones, secundum quas alterius est mensura. Secunda, quod sit nota; quia aliter non possemus per ipsam cognoscere de aliquo, quantum esset. Tertia, quod sit famosa, id est, multis nota; aliter vnus non posset certifi-

care

care alteri, quanta esset aliqua res, per eius mensuram. Quarta, quod sit certa, & inuariabilis; aliam non possemus per ipsam de quantitate alterius certificari. Et demum quinta, quod sit minima, non simpliciter, sed secundum sensum; vt granum, vel secundum consuetudinem, vt vnica in ponderibus; metreta in liquoribus; minutum in temporibus.

28. Etsi roges: qui sint isti motus, in quibus de facto ratio ista temporis constituta est, eo quod de se, seu ex natura sua aptiores sunt, vt ad istud munus essendi mensura extrinseca durationum aliorum motuum destinantur? Respondetur, quod in motibus trium celorum precipue tempus istud constitutum est, scilicet, in motu primi mobilis, per quem sol facit dies, & noctes: in motu proprio solis, per quem constituit annos; in motu lunæ, per quem constituitur mensis: atque hoc tempore vtuntur vniuersim omnes gentes ad mensurandum durationes motuum rerum sublunarium. Verum tamẽ est, adhuc inter istos motus aliquod versari discrimen; nam inter ipsos quoad hoc, quod est esse tempus, seu mensuram extrinsecam durationum motuum rerum sublunarium primum locum obtinet motus primi mobilis (vt docuit Arist. in fine huius libri) eo quod motus primi mobilis non solum est

maximè vniformis, notus, & famosus, sed etiã est omnium minimus, id est, velocior omnibus, & insuper omnium primus. Secundum locum tenet motus solis; & tertium motus lunæ.

29. Solum est aduertendum, hoc, quod modo statuiimus, nõ derogare, quod possit aliquis aliquem motum ex sublunariis assumere, vt mensuram ad alterius motus durationem mensurandam; dum modò duratio talis motus sit sibi nota, & determinata. Hoc enim passim experimur, non solum in horologijs, sed etiam in quam pluribus alijs. Non tamen ex hoc huic motui ratio temporis extrinseci simpliciter attribuenda est. (sicut attribuitur motibus celorum) Tum, quia conditiones mensuræ supra numeratæ non ita simpliciter his motibus sublunariis conueniunt, sicut conueniunt motibus celorum. Tum etiam, (& precipue) quia hunc motum numquam aliquis assumit, vt mensuram aliorum, nisi vt prius mensuratum per motum celi; & ita non mensurat per ipsum, nisi in virtute eius, & quatenus notificat durationem illius. Et eadẽ ratione non refert, quod aliquando vti videamur sublunariis motibus ad mensurandum durationem ipsius motus celi; nam re vera non vtimur illis, vt mensuris, sed vt signis nobis propinquiioribus,

quibus utimur ad dignoscendum, quanta pars motus cæli defluxerit, ut sic possimus, illa uti tanquam mensura nostrarum actionum.

### QVÆSTIO III.

Quo pacto tempus à motu distinguitur?

**I**NON agitamus hanc quaestionem de tempore extrinseco, & sumpto pro numero, seu mensura actuali, quod residet (ex quaestione præcedenti) in motibus primi mobilis, Solis, & Lunæ comparato ad motus horum inferiorum, qui per ipsos extrinsecè mensurantur. Sic enim nemo dubitat, tempus, & motum non esse eadem realiter; non solum sumpto tempore formaliter, qua ratione dicit denominationem extrinsecā actualis numeri, seu mensuræ in durationibus motuum cælorum ab actu intellectus provenientem: sed etiam sumpto tempore materialiter, scilicet, pro ipsis durationibus motuum cælorum. Exagitamus ergo quaestionem de tempore intrinseco, & sumpto pro numero, seu mensura aptitudinali; quæ (ex actis quaestione præcedenti) reperitur in duratione successiva cuiuscumque motus ad ipsummet motum, in cuius duratione reperitur, comparato.

2 Sunt autem in hac re duæ

oppositæ sententiæ. Prima sustinet, tempus esse idem realiter cum motu, & solum distinguui ab illo distinctione illa media, quæ Scotistæ ex natura rei formale appellamus; Thomistæ verò rationis ratiocinatæ, seu habentis fundamentum in re. Quæ sententiæ non solum videtur esse Aristot. sed etiam Scoti. Videtur esse Aristot. nam tex. 99. huius libri expressè affirmat, tempus esse idem realiter cum motu; differre tamen ab illo ratione quidditativa: verba Aristot. sunt: *Tempus id quidem, quod est, motus est; esse tamen ipsi alterum, & non motus.* Vbi per id, quod est, entitatem realem; & per esse ipsi rationem quidditativam omnes intelligunt. Videtur esse Scoti; nam Scotus in 4. d. 48. q. 2. lit. H. vers. *Ad primum.* expressè affirmat, tempus non esse in motu cæli, sicut vnam quantitatem in alia quantitate; nam oportet ponere in vno subiecto permanente duas quantitates, quarum vna se haberet respectu propriæ passionis. Et hinc concludit, tempus ultra motum (ut motus includit propriam successionem, seu durationem) solum addere rationem mensuræ; quæ eo ipso quod est propria passio successione, seu durationis, quam dicit motus, non erit realiter distincta ab illo, sed solum formaliter, ut in uniuersam de

omni-

omni propria passione respectu sui sustinet Scotus. Verba eius sunt: *Ad primum dicitur sic, quod tempus non est in motu cæli, sicut vna quantitas in alia quantitate; nam non oportet ponere duas tales quantitates in eodem subiecto permanente; quarum vna sit quasi subiectum, & alia quasi passio: ergo tempus ultra motum, ut motus includit propriam successionem, non addit, nisi rationem mensuræ formaliter; & fundamentaliter rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum. Quæ sunt uniformitas, siue regularitas, & velocitas, &c.* Unde tanquam Scoti referunt, & sequuntur sententiam istam ex discipulis eius Ioannes Canonicus 4. Physicorum quæst. 5. Nicolaus Orbellus in epitomatibus 4. Physic. Philippus Faber theoremate 49. Theodorus Smising de Deo vno tractat. 2. disp. 4. quæst. 2. nu 34. & probabilem reputat Tartaretus 4. Physic. quæst. 3. art. 1. dub. 2. Et ex alijs ipsam sequuntur Scotus 4. Physic. q. 4. cœcl. 4. Pererius lib. 12. cap. 1. Conimbricenses c. 12. q. 2. Suarez disput. 50. Metaph. sect. 9. Caietanus 1. p. q. 10. art. 5. & 6. & Toletus hic q. 13.

3 Secunda sententia per oppositum defendit, tempus distinguui realiter à motu. Quæ sententia etiam videtur esse, tam Aristot. quam Scoti. Nam Aristot. à textu 95. non solum affirmat, tempus non esse motum, sed quid consequens ad

motum, nimirum ipsam successione, seu ipsum prius, & posterius, quod reperitur in motu, in quantum numerabilia sunt ab intellectu: sed etiam ex intento id probat ex eo, quod omnis motus est velox, vel tardus; nullum autem tempus velox, aut tardum est. Ex quo inferit, quod existentibus eisdem partibus temporis, possunt multiplicari partes motus; ut patet in illo, qui duplo velocius currit alio per vnam horam; nam partes temporis in utroque motu sunt æquales, non tamē partes motus. Quæ omnia euenire non possent sine distinctione reali temporis à motu. Et eandem doctrinam, & propter idē fundamentum tenet Scotus in 2. d. 2. q. 2. lit. E. vers. *Respondet.* Unde tanquam Scoti referunt, & sequuntur sententiam istam de distinctione reali temporis à motu ex discipulis eius Basolius in 2. d. 2. quæst. 1. ibidem Lichetus quæst. 2. Ioannes de Magistris 4. Physicorum quæst. 5. artic. 3. dub. 3. Et fuit etiam sententia Auerroes, & Burlai in expositione textus 102. Ianduni hic quæst. 18. Et ex recentioribus ipsam sequuntur Rubius quæst. 4. Murcia disputat. 3. quæst. 3. & plures alij.

4 Sed in hac re distinctione opus est, qua adhibita non solum loca Aristot. & Scoti, quæ pro vtraque sententia sunt adducta, & primo aspectu oppo-

oppo-

opposita apparent, in concordiam venient; sed etiam quid in hac re tenendum sit, erit perspicuum. Vt enim si p[er] animadvertimus, motus dupliciter sumi potest. Primò materialiter, id est, pro forma fluenti, & vt in fieri, & esse imperfecto, tendentique ad sui perfectionem consideratur; qua ratione motus non ponitur per se in aliquo speciali predicamento, sed reductiuè collocatur in predicamento sui termini. Secundò formaliter, id est, pro fluxu, à quo forma, quæ fluit ab agente, quamdiu est in fieri, fluens denominatur: qui fluxus nihil aliud est, quam illa mora, seu duratio successiua, quæ in fieri prædictæ formæ consumitur, & per se spectat ad predicamentum quantitatis; vt ex professo docuimus in Logica cap. de quantitate disput. 2. q. 3. sect. 1.

5 Hac distinctione motus supposita, dico primò. Si motus formaliter sumatur, tempus nõ distinguitur realiter à motu, sed solum distinguitur ab illo distinctione illa media, quam Scotistæ ex natura rei formalem appellamus, Thomistæ verò rationis ratiocinatæ, seu habentis fundamentum in re. Et in hoc sensu verissima est prima sententia; & hoc ipsum intendunt Arist. & Scotus locis pro ipsa citatis. Vnde ad hoc propositum ponderanda sunt in verbis Scoti relatis ver-

ba illa, vt motus includit propriam successionem: quibus aduertit Scotus, se loqui de motu, non vt eumque, sed sumpto formaliter, & in quantum quidam fluxus, seu duratio successiua est.

6 Et ratio efficax huius asserti est, quia motus formaliter sumptus nihil aliud est, quam illa duratio successiua, seu habens partes priores, & posteriores, à qua forma, quæ fluit ab agente, quamdiu est in fieri, fluens, seu durans successiue denominatur. Sed tempus intrinsecum (ex dictis questionibus præcedentibus) pro materiali, & denominato consistit in ista duratione successiua, seu habenti partes priores, & posteriores, à qua forma, quæ fluit ab agente, quamdiu est in fieri, fluens, seu durans successiue denominatur; & pro formali, & per se significato solum addit rationem mensurabilitatis, seu numerabilitatis; quæ cum sit propria passio ipsius durationis successiue, etiam distinguitur ab illa, distinctione media; (quam Scotistæ distinctionem formalem ex natura rei appellamus; Thomistæ verò rationis ratiocinatæ, seu habentis fundamentum in re) est tamen idem realiter cum illa; non secus, ac risibilitas distinguitur hac distinctione media ab homine, est tamen idem realiter cum illo: ergo dicendum est, tempus esse idem realiter cum

cum motu (sumpto motu formaliter, & pro fluxu, seu duratione successiua) & solum distingui ab illo præfata illa distinctione media.

7 Dico secundò: si motus materialiter sumatur, tempus distinguitur realiter à motu. Et in hoc sensu verissima est secunda sententia: hocque est, quod cõtendunt Arist. & Scotus locis pro ipsa citatis; vt manifestè conuincunt rationes, quibus vtuntur ad probandum, tempus non esse motum. Nam, quod motus sit velox, vel tardus: & similiter, quod existentibus eisdem partibus temporis possint multiplicari partes motus; & è contrariolū est verum, sumpto motu materialiter, scilicet, pro forma fluente, & vt in fieri, & in esse imperfecto, tendentique ad sui perfectionem consideratur: secus verò si motus sumatur formaliter, scilicet, pro ipso fluxu, seu duratione successiua, à qua forma, quæ fluit ab agente, quamdiu est in fieri, fluens, seu durans successiue denominatur.

8 Probari autem potest hoc secundum assertum. Primò ratione ipsius Aristot. & Scoti; quia motus materialiter sumptus (scilicet, pro ipsa forma fluente) potest fieri in maiori, vel minori tempore: ergo motus materialiter sumptus distinguitur realiter à tempore. Cõsequèria est euidens; nam rea-

lis multiplicatio, vel diminutio in vno, & nõ in altero, signum euidens est distinctionis realis inter illa. Antecedens patet, quia motus materialiter sumptus potest esse velocior, aut tardior; velocior fit in minori tempore; tardior in maiori; vt experientia notum est. 9 Ad hanc Aristotelicam, Scoticamque rationem respondet Suarez sect. 9. citata; ex eo, quod aliquis motus fieri possit in maiori, vel minori tempore, non bene inferri, durationem intrinsecam illius motus posse esse maiorem, vel minorem; nam semper (inquit) est æqualis ipsi motui: sed quod debet inferri (inquit) est, coexistentiam prædictæ durationis ad tempus extrinsecum, siue reale, siue imaginariū, posse esse maiorem, vel minorem. Itaque si cursus vnus leuæ, qui modò fit spatio vnus horæ, duplo velocius fieret, absque dubio fieret in minori tempore; nam fieret in spatio dimidiæ horæ; etsi fieret duplo tardius absque dubio fieret in maiori tempore; nam fieret in spatio duarum horarum. Sed hoc (inquit Suarez) non proueniret ex eo, quod duratio intrinseca prædicti cursus esset in se minor, aut maior; sed quia in priori casu prædicta duratio coexisteret minori tempori extrinseco, scilicet, spatio dimidiæ horæ; & sic partes eius essent quasi compressæ: in po-

steriori verò coexisteret maiori tempore extrinseco, scilicet, spatio duarum horarum; & sic partes eius essent quasi dilatatae. Quod declarat duabus instantiis. Prima Angeli, qui si post duos annos suae creationis esset annihilatus, non diceretur tamdiu durasse, ac modo dicitur: & tamen ex hoc nullus infert, durationem intrinsecam ipsius Angeli in se esse maiorem, vel minorem: sed, quod infertur, est, quod in dicto casu coexistentia durationis Angeli ad tempus nostrum esset minor, ac modo est. Secunda est substantiae materialis permanentis, quae, dum condensatur, dicitur minus extensa, ac quando rarefit, non quia quantitas, quae intrinsecè in ipsa substantia inhaeret, fiat minor in condensatione, & in rarefactione maior; sed quia in condensatione coexistit minori loco extrinseco; & in rarefactione maiori. Eodè modo conatur solvere hanc rationem Smising loco citato.

10 Verùm si duratio intrinseca motus esset indiuisibilis, & inextensa in partes priores, & posterioris, sicuti est duratio intrinseca Angeli, aut cuiuscumque rei permanentis, non dubito, quod solutio ista Suarez locum habere posset. Tamen, quia in omnium (etiam ipsius Suarez) sententia duratio intrinseca cuiuscumque motus diuisibilis, & extensa est, ha-

bès partes priores, & posteriores, praedicta tua resolutio friuola est. Quod sic ostendo. Duratio intrinseca motus, cum sit diuisibilis, & extensa in partes priores, & posteriores, quando coexistit tempore extrinseco, siue reali, siue imaginario, non coexistit illi modo indiuisibili, ita vt tota illa correspõdeat toti tempore extrinseco, & tota cuilibet illius parti; sed potius modo diuisibili, ita vt tota duratio intrinseca motus correspondeat toti tempore extrinseco, & pars parti: ergo, si ratio Arist. & Scoti supra facta conuincit (vt fatetur Suarez) coexistentiam durationis intrinsecae motus ad tempus extrinsecum reale, vel imaginarium posse esse maiorem, vel minorem sine maiori, vel minori tempore: idem profectò conuincet de duratione intrinseca motus in se ipsa. Patet consequentia; nam, si duratio intrinseca motus coexistit tempore extrinseco modo diuisibili, & per correspondentiam totius ad totum, & partis ad partem, impossibile erit, quod duratio intrinseca motus coexistat maiori tempore extrinseco, quin in se ipsa maior fiat; & minori tempore extrinseco, quin in se ipsa fiat minor.

11 Confirmatur, & declaratur amplius ex simili modo coexistendi in loco rerum corporalium: quae, quia coexistit loco

loco extrinseco modo diuisibili, & per correspondentiam totius quantitatis corporis existētis in loco ad totam quantitatem loci, & partis ad partem: hinc fit, vt corpus non possit coexistere maiori loco extrinseco, nisi eius quantitas, quae est, ratione cuius hoc pacto coexistit loco, fiat in se maior: neque è contra coexistere minori loco, nisi eius quantitas fiat in se minor: ergo pariformiter, si motus coexistit tempore extrinseco modo diuisibili, & per correspondentiam totius durationis eius intrinsecae ad totam durationem temporis extrinseci, & partis ad partem; hinc fiet, vt non possit motus coexistere maiori tempore extrinseco; nisi duratio eius intrinseca, quae est, ratione cuius hoc pacto coexistit tempore extrinseco, fiat in se maior; neque è contra coexistere minori tempore extrinseco, nisi duratio eius intrinseca fiat in se minor. Concludit ergo ratio Arist. & Scoti supra facta, eodè motum materialiter sumptum posse fieri in maiori, vel minori tempore, tam extrinseco, quam intrinseco, & consequenter distinctionem realem ipsius, non solum à tempore extrinseco, sed etiam ab intrinseco.

12 Instatiam verò, quibus Suarez praedictam suam solutionem confirmabat, non minus friuolae sunt. Nam prima non est ad rem: ex casu enim, quod

Angelus esset annihilatus post duos annos suae creationis, & consequenter diceretur, non tamdiu durasse, ac modo dicitur, etsi nullus inferat, durationem intrinsecam ipsius Angeli in se ipsa minorem esse, vel maiorem; sed solum hoc inferri possit de coexistentia durationis Angeli ad nostrum tempus. Tamen hoc prouenit ex eo, quod duratio intrinseca Angeli, quae dicitur auum, in se est indiuisibilis, & inextensa in partes priores, & posteriores; & consequenter non coexistens nostro tempore modo diuisibili, & per correspondentiam totius durationis Angeli ad totam durationem nostri temporis, & partis ad partem, sed potius coexistens toti nostro tempore, & tota cuilibet illius parti. Cuius oppositum contingit in duratione intrinseca cuiuscumque motus. Secunda verò instatia supponit falsam doctrinam, quam ex professo in libris de Ortù, & Interitu cum Scoto rejiciemus, scilicet, quantitatem, quae in substantia materiali inhaeret, non fieri minorem in praedicta substantia condensatione; nec in rarefactione maiorem. Imò ex opposita doctrina nostram sententiam num. 11. confirmauimus, 13. Secundo principaliter potest probari nostrum secundum assertum ex doctrina ferè ab omnibus recepta, & quam ex professo docuimus in Logica capite de quantitate dif-

disp. 1. q. 4. nimirum quantitatem distingui realiter à re quanta, quæ ab ipsa quantitate denominatur. Ex hac enim doctrina necessariò infertur, tempus intrinsecum realiter distingui à motu materialiter, & pro forma fluente sumpto: siquidem tempus intrinsecum materialiter sumptum quantitas successiua est, licet non essentialiter; imò neque realiter distincta à quantitate successiua, quam pro formali importat motus: (vt ex dictis in Logica cap. de quantitate disput. 2. q. 3. latius constat) motus autem materialiter, & pro forma fluente sumptus, est id, quod ab ista quantitate successiua quantum, seu successiuè durans denominatur. Vnde sicut partes entitatiuæ, tam substantiæ, quam qualitatis materialis per quantitatem permanentem quantitatiuè extenduntur in ordine ad locum extrinsecum; ita & partes entitatiuæ motus materialiter, & pro forma fluente sumpti per hanc quantitatem successiuam, quam dicit tempus intrinsecum, quantitatiuè extenduntur in ordine ad tempus extrinsecum. Et similiter sicut per condensationem, & rarefactionem partes entitatiuæ substantiæ, quæ condensatur, vel rarefit, subsunt minori, vel maiori quantitati permanenti, & consequenter coexistunt maiori, vel minori loco extrinsecum; ita partes entitati-

uæ motus, materialiter, & pro forma fluente sumpti, per celeritatem, vel tarditatem subsunt minori, vel maiori tempori intrinsecum, seu quantitati successiua, & consequenter coexistunt minori, vel maiori tempori extrinsecum. Et demum, sicut potentia Dei absoluta potest substantia materialis ab omni quantitate permanente expoliari; ita similiter, & motus materialiter, & pro forma fluente sumptus potest potentia Dei absoluta ab omni tempore seu quantitate successiua denudari: vt constabit ex 6. libro huius operis, vbi ex professo demonstrabimus, posse motum, qui modò fit in tempore, & quantitate successiua, per potentiam Dei absolutam fieri in instanti, & sine vlla quantitate successiua. Quæ omnia manifestè conuincunt, eodem prorsus modo se habere tempus intrinsecum respectu motus materialiter, & pro forma fluente sumpti, ac se habet quantitas permanens respectu substantiæ materialis, quam informat; & consequenter nõ minus realiter distingui tempus intrinsecum à motu, materialiter, & pro forma fluente sumpto, ac distinguitur realiter quantitas permanens à substantia materiali, quam informat.

14 Sed obijciunt nobis Suarez, Theodorus Smising, & alij Scotistæ pro prima sententia

titia citati. Duratio intrinseca, per quam Angeli durant, & perseverant in suo esse (quæ communiter æuum appellatur) non est realiter distincta ab existentia, seu esse actuali Angeli: ergo pariformiter duratio intrinseca, per quam motus durat, & perseverat in suo esse (quæ dicitur tempus intrinsecum) nõ erit realiter distincta ab existentia, vel esse actuali motus, materialiter, & pro forma fluente sumpti.

15 Respondetur cum Scoto in 2. d. 2. q. 2. lit. E. verbo *Respondet*, admittendo antecedens; sed negando consequentiam: est enim dispar ratio inter durationem intrinsecam Angeli (quæ dicitur æuum) ad ipsum esse actuale Angeli comparatam; & durationem intrinsecam motus (quæ dicitur tempus) ad ipsum esse actuale motus, materialiter sumpti, comparatam. Nam, cum duratio intrinseca Angeli (quæ dicitur æuum) nõ sit diuisibilis, & extensa in partes priores, & posteriores, hinc est, vt non possit inducere rationem quantitatis successiua respectu esse actualis Angeli; neque etiam augeri, vel minui, non aucto, vel minuto esse actuali Angeli. At cum duratio intrinseca motus (quæ dicitur tempus) sit diuisibilis, & extensa in partes priores, & posteriores natura sua impenetrabiles, hinc est, vt debeat inducere rationem quæ-

titatis successiua respectu esse actualis motus, materialiter, & pro forma fluente sumpti; & similiter possit augeri, & minui, non aucto, vel minuto esse actuali motus, materialiter sumpti. Quæ sunt rationes nos cogentes ad distinctionem realem inter durationem intrinsecam motus (quæ dicitur tempus) & ipsum motum materialiter sumptum constituendam: quæ nõ procedunt in duratione intrinseca Angeli (quæ dicitur æuum) ad ipsum esse actuale Angeli comparata.

16 Obijciunt etiam nobis Arist. qui (vt q. præcedenti n. 7. vidimus) non solum tex. 102. Sed etiam tex. 110. explicans, qualis numerus esset tempus, ait, esse numerum numeratum motus, nam, cum numerus numeratus, non sit alia entitas à rebus numeratis; sed solum addat supra illas (si numerus aptitudinalis sit, vt ibidem explicuimus, esse tempus ab Aristot. definitum) aptitudinem reale ad hoc, vt ab intellectu numeretur, videtur inferri ex Arist. tempus nihil aliud esse, quam ipsum motum, in quantum aptum natum ab intellectu numerari.

17 Respondetur, quod cum ratio numeri numerati (quæ est de ratione temporis) per se solum conueniat motui formaliter sumpto, id est sumpto pro illo fluxu, seu duratione successiua, quæ in fieri alicuius formæ

confumitur, motui verò materialiter, & pro forma fluente sumpto solum competat per accidens, & in quantum est subiectum fluxus, seu durationis successivæ, quam pro formali dicit motus (vt ex q. præcedenti. num. 1. 2. constat) concludit quidem obiectio ista, quod in primo statuimus asserto, scilicet, tempus intrinsecum non distingui realiter à motu formaliter, & pro fluxu, seu duratione successiva sumpto; sed solum distingui ab illo ex natura rei formaliter: non tamen probat, tempus intrinsecum, non distingui realiter à motu materialiter, & pro forma fluente sumpto: quod est nostrum secundum assertum; sed potius probat oppositum: nam probat, respectu motus, materialiter sumpti, tempus se habere, vt quoddam accidens illius spectans ad prædicamentum quantitatis.

#### QVÆSTIO IV.

*Quibus rebus conueniat esse in tempore?*

**I**VT explicemus quibus rebus conueniat esse in tempore, explicandum prius est, quid sit, rem in tempore esse. Et dicendum est cū Arist. c. 1. 2. rem esse in tempore non esse idem, ac existere, quādo tempus est; aliās cū Deus, & Angeli existant, quando tempus nostrum est, tam Deus, quam

Angeli dicentur esse in tempore: quod omnino falsi est. Sed rem esse in tempore esse idem, ac tempore mensurari; non secus ac esse in loco idem est, ac à loco contineri. Solum aduertatis, oportet, in omnibus, quæ sunt in tempore, seu mensurantur tempore, ex adiacentia temporis resultare quoddam accidens, à quo formaliter denominantur esse in tempore; quod accidens dicitur *quando*, & constituit vnum ex sex vltimis prædicamentis: & (vt diximus in Logica loquendo de sex vltimis prædicamentis disp. vnica q. 2. sect. 3.) consistit in relatione extrinsecus adueniente commensurationis ad tempus, quæ subiectatur in re temporali, & terminatur ad tempus.

2 His suppositis, dico primò; omnes motus successiui sunt in tempore per se. In hoc asserto omnes Peripatetici conueniunt. Et ratio est, quia omnes isti motus ratione fluxus, seu durationis successivæ, quæ dicunt pro formali, à tempore extrinsecò per se mensurantur. Vnde tempus (vt ex dictis q. 2. patet) ab Arist. definitum est, quod sit numerus, seu mensura motus. Et dixi notanter *omnes motus successiui*; nā si sint motus instantanei (vt sunt illuminatio, generatio viuientium, &c.) non sunt dicendi esse in tempore; sed potius esse in instanti temporis; non se-

secus ac indiuisibilia, quibus copulantur partes motus successiui, & continui (quæ appellantur mutata esse) non dicuntur esse in tempore, sed in instantibus temporis, quibus partes temporis, in quo sunt motus successiui, copulantur. Et ratio est, quia huiusmodi motus, & indiuisibilia, non tempore, sed instantibus temporis extrinsecò mensurantur.

3 Dico secundò; omnes quietes propriè sumptæ, scilicet, pro carentia motus in subiecto apto nato, sunt in tempore per accidens. In hoc etiam asserto omnes Peripatetici conueniunt. Et ratio est, quia (vt dictum est) illud dicitur esse in tempore, quod tempore mensuratur. Sed quietes propriè sumptæ (scilicet, pro priuationibus motus) per accidens mensurantur tempore: ergo sunt in tempore per accidens. Minor (præterquam quod est expressa Arist. cap. 1. 2. text. 1. 1. 8.) sic ostendi, & declarari potest. Sicut priuationibus attribuitur esse formarum, quarum priuationes sunt, & ita priuationes dicuntur reales, si formæ, quibus priuant, reales sint, & substantiales, vel accidentales, si formæ, quibus priuant, substantiales, vel accidentales sunt, licet cum hoc discrimine, quod hoc esse, cū formis competat ratione sui, dicitur illis conuenire per se; priuationibus

autem, cū non competit eis ratione sui, sed ratione formarum, quarum sunt priuationes, dicitur conuenire per accidens: ita & priuationibus attribuitur propriæ affectiones formarum, quarum sunt priuationes, licet cū hoc discrimine, quod huiusmodi affectiones formis attribuitur per se; eò quod illis conueniunt ratione sui; priuationibus autem attribuitur solum per accidens; eò quod illis conueniant, non ratione sui, sed ratione formarum, quarum priuationes sunt. Modò sic, quietes propriè sumptæ sunt priuationes motus: ergo quietibus attribui debet propriæ passionis motus. Sed vna ex affectionibus motus est tempore mensurari: ergo etiam hæc affectio attribuitur quietibus propriè sumptis; licet cū hoc discrimine, quod motui attribui debet per se, eò quod illi conueniat ratione sui; quietibus verò propriè sumptis, solum per accidens; eò quod illis conueniat, non ratione sui, sed ratione motus, cuius priuationes sunt.

4 Dico terriò; omnia entia permanentia generabilia, & corruptibilia (siue sint substantiæ, siue accidentia) etsi verè dicantur esse in tempore, sed hoc non competit eis ratione sui esse permanentis, sed ratione motus, & quietis, quibus insito esse sunt obnoxia. In hoc asserto omnes debent conuenire; nam est expressum in Arist. cap. 1. 2. textu enim 1. 2. 0



ponit hæc verba: *Quæcumque igitur corruptibilia, & generabilia sunt; & omnino, quæ aliquando quidem sunt, aliquando verò non, necesse est, in tempore esse.* Textu autem 119. explicans, quo pacto entibus permanentibus generabilibus, & corruptibilibus conueniat esse in tempore, differtè affirmat, hoc illis conuenire, non vt in se quædam eantia permanentia sunt; sed vt subsunt in suo esse motui, & quieti. Verba Arist. sunt: *Mensurabit autem tempus id, quod mouetur, & quiescit; quatenus hoc quidem mouetur, illud verò quiescit: motum enim ipsorum mensurabit & quietem, vt quanta quædam. Quare quod mouetur, non simpliciter erit mensurabile à tempore, quatenus quantum quoddam, sed quatenus motus ipsius quantus est. Quare quæcumque quæ neque mouentur, neque quiescunt, non sunt in tempore: esse enim in tempore est mensurari tempore: tempus autem motus & quietis mensura est.*

5. Ratio prioris partis huius asserti (scilicet, entia permanentia generabilia, & corruptibilia verè esse in tempore) est, quia huiusmodi entia verè continentur à tempore, & ab ipso patiuntur. Quæ sunt proprietates eorum, quæ verè sunt in tempore, ab Aristot. textu 117. enumeratæ. Posterioris verò partis (scilicet, huiusmodi entibus permanentibus, non competere esse in

tempore ratione sui esse permanentis, sed ratione motus, & quietis, quibus in suo esse obnoxia sunt) ratio est: quia aliquid esse in tempore (vt ex Aristot. in principio aduertit) idem est, ac tempore extrinsecò mensurari: sed in entibus permanentibus etsi motus, & quietes quibus in suo esse sunt obnoxia, tempore extrinsecò mensurentur; tamen ipsorum esse permanens nullatenus mensuratur tempore extrinsecò: ergo huiusmodi entibus permanentibus solum poterit competere esse in tempore ratione motus, & quietis, quibus in suo esse obnoxia sunt; secus verò ratione sui esse permanentis. Vltimam partem minoris huius discursus, in qua consistit difficultas, sic demonstro. Mensura (ex Aristot. Metaph. cap. 2. & 3. & communi omnium sententia) debet esse homogenea, seu eiusdem rationis cum re, cuius est mensura, saltè quoad conditiones, secundum quas est mensura alterius: sed tempus extrinsecum quoad conditiones, secundum quas induit rationem mensuræ, non est homogeneum, & eiusdem rationis cū duratione intrinseca rerum permanentium; siquidem tempus extrinsecum est quid successiuum, & habens partes priores, & posteriores; duratio verò intrinseca rerum permanentium est quid per-

permanens, & nullashabens partes priores, & posteriores: (vt cum probabiliori sententia determinat Scotus in 2. d. 2. quæst. 1. §. *Potest ergo dici* lit. E. & fusiùs statim demonstro, dum de durationibus rerum sermone instituiamus) nequeunt ergo entia permanentia, etiam si corruptibilia sint, secundum suum esse permanens à tempore extrinsecò mensurare.

6 Non me latet, Vazquez super 1. part. dispu. 35. cap. 2. etsi cum Scoto sustineat, durationem intrinsecam rerum permanentium creaturæ esse quid permanens, & indiuisibile in partes priores, & posteriores, nihilominus contendere, prædictam durationem nostro tempore mensurari. Et probat. Primò, quia, cum actualis mensura sit actus intellectus applicans mensuram quantitati rei mensurandæ, de cuius magnitudine certificari volumus, nihil, (inquit) refert ad hoc, vt duratio intrinseca rei permanentis subiiciatur tempori, tanquam mensuræ, quòd in re non sit successiua, & diuisibilis in partes priores, & posteriores; sicuti est tempus, per quod mensuratur; sed fat est, quòd à nobis, vt quid successiuum, & habens partes priores, & posteriores concipiatur. Secundò probat, quia illud dicitur mensura dura-

tionis alicuius, per quod certificamur de quantitate, & magnitudine talis durationis: sed per tempus nostrum certificamur de quantitate, & magnitudine durationis rerum permanentium: (siquidem per tempus certificamur, quanta fuerit duratio Angelorum, & quòd antiquiores fuerint diluuiò, aut cuiusvis animæ creatione; & similiter quòd magis durauerit vnus homo, quàm alius) ergo tempus verè est mensura durationis rerum permanentium.

7 Sed hæc sententia Vazquez, etsi fuerit Ochami, & Gabrielis in 2. d. 2. est tamen contraria, non solum Scoto in 2. d. 2. quæst. 4. §. *Concedo conclusionem*, sed etiam D. Thom. qui opusculo 44. cap. 3. expressè affirmat, res incorruptibiles non mensurari tempore. Quòd si de rebus permanentibus corruptibilibus oppositum sustineat 1. part. quæst. 10. art. 4. hoc est, quia existimat, durationem intrinsecam rerum permanentium corruptibilium non esse permanentem, nec indiuisibilem secundum partes priores, & posteriores, sicuti est rerum incorruptibilium, sed potius successiuam, & diuisibilem in partes priores, & posteriores; cuius oppositum cum Scoto, & veriori sententia

defendit Vazquez. Imo est contraria Aristoteli, qui non solum docet locis infra citandis, res incorruptibiles non mensurari tempore, sed etiam idem docuit de rebus permanentibus corruptibilibus, si secundum esse permanens, & non secundum motum, & quietem, quibus in suo esse sunt obnoxia, considerentur; ut ex locis num. 4. adductis manifestum est. Item loco Metaph. numer. 5. citato requirit ad rationem mensuræ, quod sit homogenea cum re mensuranda: quod (ut dictum est) non conuenit tempori respectu durationis rerum permanentium. Quod enim respondet Vazquez, scilicet, ad hanc homogeneitatem sufficere, quod tempus, & duratio rei permanentis conueniat in ratione durationis, falsum est: nam, ut mensura dicatur homogenea rei mensurandæ, non sufficit, quod mensura, & res mensuranda conueniant in aliquo prædicato generico: (Aliàs, cum longitudo, & latitudo conueniant in prædicato generico quantitatis permanentis, possemus dicere, quod latitudo posset per longitudinem mensurari: cuius oppositum loco citato tex. 4. docuit Aristot.) sed necessarium per se est, quod sit eiusdem rationis cum re mensuranda quoad conditiones, se-

cundum quas est mensurabilis. Quod in præsentia nõ contingit, cum conditiones, secundum quas mensurat tempus, sint successio, & diuisibilitas in partes priores, & posteriores; quæ non solum nõ conueniunt, sed potius repugnant durationi rerum permanentium.

8 Neque rationes, quibus Vazquez nititur, alicuius momenti. Ad primam respondetur, etsi actualis mensura fiat per operationem intellectus applicantem ipsam mensuram quantitati rei mensurandæ, de cuius magnitudine certificari volumus: nihilominus, ut mensuratio, quæ fit per operationem intellectus applicantem tempus nostrum ad aliquam aliam durationem, vera, & nõ ficta mensuratio sit, necessarium esse, quod illa alia duratio, cui tempus applicamus, in rei veritate sit successiua, & habens partes priores, & posteriores, non secus ac ipsum tempus successiuum est, & habens partes priores, & posteriores: nam, si in rei veritate talis non sit, sed solum a nobis, ut talis imageretur (ut contingit quoties nos durationes rerum permanentium ad tempus, cui coexistunt, ut quid mensuratum ad suam mensuram comparamus) talis mensuratio non vera, sed fictitia debet reputari. Aliàs fateri cogermur, æternitatem

per

per tempus nostrum, cui necessarium coexistit, verè, & non fictè mēsurari: siquidem quoties æternitatem ad tempus, cui coexistit, ut quid mēsuratum ad mensuram cōparamus, ipsam æternitatē, ut quid successiuū, & habens partes priores, & posteriores apprehendimus.

9 Ad secundam dicimus falli, qui existimant, per tempus nostrum nos certificari de quantitate, & magnitudine durationum rerum permanentium: nam, si durationes rerum permanentium (ut nobiscum fatetur Vazquez) carent omni quantitate, & magnitudine successiua, quo pacto fieri poterit, ut per tempus nostrum, cui huiusmodi durationes indiuisibiliter coexistunt, de quantitate, & magnitudine successiua ipsarum certificemur? Certificamur ergo per tempus nostrum, cui durationes rerum permanentium coexistunt, non de quantitate, & magnitudine successiua ipsarum durationum, quia in ipsis nulla talis quantitas, & magnitudo reperitur; sed de quantitate, & magnitudine successiua coexistentiæ, qua prædictæ durationes nostro tempori coexistunt; quæ coexistentia successiua est, & habens partes priores, & posteriores, licet non ratione durationis rerum permanentium, in qua inhaeret; saltem ratione temporis, ad quod prædi-

cta coexistentia terminatur. Non secus, ac de præsentia definitiua, qua Angelus est in loco, diximus disp. I. quæst. 3 esse diuisibilem, & extensam, licet non ratione substantiæ Angeli, quæ est subiectum, in quo inhaeret; ratione tamen loci, ad quem prædicta præsentia terminatur. Sicut enim Angelus est indiuisibiliter totus in toto loco, & totus in qualibet loci parte per præsentiam definitiuam; quæ est relatio extrinsecus adueniens spectans ad prædicamentum *vbi*, extensam, & diuisibilem, non ratione fundamenti, sed sui termini; ita duratio rerum permanentium est coexistens nostro tempori, indiuisibiliter, tota toti tempori, & tota cuiuslibet parti illius, per coexistentiam, quæ est relatio extrinsecus adueniens, & spectans ad prædicamentum *quādo*, extensam, & diuisibilem in partes priores, & posteriores, non ratione durationis rerum permanentium, quæ est ipsius fundamentum, sed ratione temporis, quod est terminus ipsius. Unde sicut ex eo quod vnus Angelus sit in maiori loco, quam alius, non rectè inferitur, vnum Angelum in se ipso habere partes magis extensas, quam alium: sed quod inferitur, est, præsentiam, qua vnus Angelus est præsens loco

ratione termini, esse magis extensam, quam presentiam alterius Angeli; ita ex eo, quod duratio unius rei permanentis coextiterit antiquiori, & longiori tempore, quam duratio alterius rei permanentis, non debemus inferre durationem unius rei permanentis in se ipsa esse antiquiorem, aut longiorem, quam durationem alterius rei permanentis: sed, quod debemus inferre, est, coexistentiam, qua duratio unius rei permanentis coexistit antiquiori, & longiori tempore ratione sui termini, esse antiquiorem, & longiorem, quam coexistentiam, qua duratio alterius rei permanentis coexistit tempore moderniori, & breuiori. Et hoc tantum significare volumus, cum dicimus, Angelos tot annos fuisse antiquiores diluuii, aut alterius animae creatione; aut quod unus homo durauerit tot annos, plusquam alius.

10 Dico quartò; omnia entia creata permanentia incorruptibilia (sive sint spiritualia, ut Angeli; sive materialia, ut sunt cæli) non sunt in tempore. Ita non solum expressè docuit Aristot. cap. 12. tex. 117. sed etiã probauit ex eo, quod neque continentur à tempore, neque ab illo mensurantur. Et id colligit ex eo, quod nihil patiuntur à tempore. Verba Aristot. sunt: *Quare manifestum est, quod ea, quæ semper sunt; non*

*sunt in tempore: non enim continentur à tempore; neque mensurantur esse eorum à tempore. Signum autem huius est, quod neque patiuntur quidquam à tempore, tanquam non existentia in tempore.* Et ratio à priori, cur hæc entia non mensurentur tempore, & consequenter neque in tempore esse dicantur, est, quam adduximus num. 5. ad probandum, entia permanentia corruptibilia ratione sui esse permanentis non mensurari tempore, nimirum, quia ex Aristot. de ratione menturæ est, quod sit homogenea, & eiusdem rationis cum re mensurata quoad conditiones, secundum quas induit rationem mensuræ. quod minimè cõpetit tempore respectu rerum permanentium incorruptibilium; cum tempus sit successiuum, & habens partes priores, & posteriores; duratio verò intrinseca rerum permanentium incorruptibilium sit permanens, & inextensa in partes priores, & posteriores; adhuc in sententia D. Th. & plurium aliorum, qui hoc denegant durationi rerum permanentium corruptibilium.

11 At dicet aliquis, Aristotelem locis citatis, etsi doceat, entia permanentia corruptibilia ratione sui esse permanentis, neque esse in tempore, neque tempore mensurari; tamen ratione motus, & quietis, quibus sunt obnoxia, affirmare esse in tempore, & ab illo men-

mensurari; sed etiã entia permanentia incorruptibilia possunt subire motum, & consequenter quietem, nam tam Angeli, quam cæli localiter mouentur; & Angeli acquirunt, & amittunt varias intellectiones, & volitiones; & cæli variè alterantur secundum lumen. Cur ergo Aristot. de his entibus permanentibus incorruptibilibus, etiam nõ docuit, de ratione horum motuum, & oppositarum quietum, quibus etiam sunt obnoxia, esse in tempore, atque ab illo mensurari?

12 Respondetur ratione esse, quod substantiæ generabiles, & corruptibiles etiam secundum suum esse substantiale sunt capaces mutationis, & quietis, quatenus quædam partes substantiæ defluunt, aut defluere possunt, alijs affluentibus: at substantiæ ingenerabiles, & incorruptibiles, ut sunt Angeli, & cæli, solum secundum esse accidentale, & non secundum esse substantiale, capaces sunt motus, & quietis. Vnde licet de accidentibus generabilibus, & corruptibilibus substantiarum incorruptibilium verificari possit, quod sint in tempore, & ab ipso mensurentur, quamuis non ratione sui esse permanentis, saltem ratione motus, & quietis, quibus in suo esse sunt obnoxia, secus tamen de ipsis substantiis incorrupti-

bilibus. At verò in substantiis generabilibus, & corruptibilibus non solum de eorum accidentibus; sed etiam de ipsismet substantiis debet verificari, quod sint in tempore, & ab ipso mensurentur, licet non ratione sui esse permanentis; sed ratione mutationis substantialis, & quietis illi oppositæ, quibus in suo esse substantiali sunt obnoxia. 13 Dico vltimò, quæ necessariò sunt, vt Deus, & rerum essentialis; & similiter quæ necessariò non sunt, vt omnia impossibilia, non sunt in tempore. Ita Aristot. tex. 120. & cum eo omnes interpretes. Et ratio est, quia hæc nec continentur à tempore, nec ab ipso mensurantur, neque ab ipso aliquid patiuntur.

14 Sed superest, vt de duratione (quæ nihil aliud est, quam perseverantia rei in existendo) aliquid dicamus; nam in supra dictis non semel, vt certum supposuimus, durationem intrinsecam rerum permanentium esse diuersæ rationis à duratione intrinseca cuiuscunque motus. Quod in presenti examinare oportet.

15 Et dicendum est, durationem in communi sumptam diuidi in permanentem, & successiuam. Duratio permanens est, qua durat, seu perseverat in sua existentia omnis illa res, quæ secundum se tota

simul existit, & non per partes post partes: atque ita coexistit tempori extrinseco, ut tota ipsa res sit in priori, & posteriori parte temporis absque fluxu; & successione in sua entitate. Sic durant Deus, Angeli, cælum, & omnis alia substantia, & quam plurima accidentia; ut experientia notum est. Duratio successiva est, qua durat, seu perseverat in sua existentia omnis illa res, quæ habet partes priores, & posteriores, & non exillit tota simul secundum omnes partes, sed per partem post partem; atque ita coexistit tempori extrinseco, ut una parseius sit in priori parte temporis, & alia in posteriori. Sic durant omnes motus, qui fiunt in tempore, & relationes extrinsecus advenientes coexistentiæ, quibus res permanentes tempori nostro coexistunt: & si quod aliud sit huiusmodi accidens.

16 Sed circa hanc divisionem in primis Heraclitus, & Cratylus apud Aristot. 4. Metaph. text. 22. negasse videntur omnem durationem permanentem, dicentes omnia esse in continuo fluxu, & successione, ac nihil stabiliter permanere. At tamen satis exploratum, & notum est, non solum Deum ipsum, sed & plures res creatas, ut Angelos, & cælum; plurimas etiam res corruptibiles, ut

elementa, homines, & alia, verè permanentes durare: hoc est, ita ut idem esse rei fuerit prius, & sit posterius pro toto quodam temporis spatio. Quod optimè explicat Durandus in 2. d. 2. quæst. 3. num. 9. exemplo baculi immobiliter fixi in fluvio; nam circa baculum indefinenter nova fluminis aqua succedit, & baculus semper idem persistit, successivè coexistentibus alijs, & alijs partibus aque successione se tenente non ex parte baculi, sed ex parte aquæ. Sic ergo se habent res permanentes respectu nostri temporis.

17 Deinde D. Bonaventura in 2. d. 2. part. 1. distinctionis art. 1. quæst. 3. etsi admittat dari res creatas permanentes, negat tamen, durationem intrinsecam ipsarum esse permanentem, sed successivam. Affirmat enim, (ut interpretatur Scotus in 2. d. 2. quæst. 1. §. Qui vult tenere) xvum esse durationem variabilem secundum prius, & posterius, & consequenter successivam absque variatione secundum prius, & posterius, & consequenter absque successione ipsius rei æternæ. Et probat. Primò auctoritate plurimorum sanctorum, qui, ut propria nota æternitatis tradunt, quòd in ea nec sit præteritum, nec futurum, quod non esset propria nota æternitatis, sed quid

com-

commune durationibus rerum creatarum permanentium, si prædictæ durationes non essent successivæ, sed permanentes.

18 Secundò probant, quia res permanentes non tantum à Deo creantur, sed etiam conservantur in illo esse per actionem positivam, quæ intelligi non valet absque successione in suo esse. Et confirmatur, quia, si in duratione rerum permanentium non ponatur successio, statim ac primò producerentur, acciperent totum suum esse ultimo modo, quo possent, & consequenter ad nihil deserviret conservatio. Urgetur amplius. Annihilatio nihil aliud est, quam negatio actionis conservantis: sed annihilatio est post rei productionem, & aliquam ipsius conservationem: ergo post aliquam conservationem rei in suo esse adhuc futura erat alia pars conservationis, cuius esset negatio annihilatio: datur ergo successio in conservatione rei permanentis, & consequenter etiam dabitur in duratione, qua in suo esse perseverat.

19 Tertiò probat, quia, si in duratione rerum permanentium creatarum non datur successio, idem esset in ea fuisse, esse, & fore: ergo sicuti impossibile est, ipsam iam non fuisse, ita impossibile esset, ipsam non fore: quod solius Dei est proprium. Confirmatur, quia potuit unus Angelus creari, &

postea annihilari, & postea alius creari. Modò sic. Ille primus numquam fuit illo secundo existente: ergo neque in eodem nunc cum illo: ergo est unus prius, & alius posterius: quia si fuerunt, & non simul; igitur unus post alium: ergo si tertius alius extitisset cum illis ambobus, fuisset in duratione istius tertij prius, & posterius; sicuti & duratio unius istorum est prius, quam duratio alterius.

20 Quartò probat, quia cum Angelus durabit in infinitum cum toto tempore futuro, si nunc haberet totam suam durationem, sequeretur, quòd Angelus haberet nunc durationem infinitam. Confirmatur, & declaratur amplius, quia illud nunc, quod est ex se tale, quòd potest coexistere tempori infinito, est formaliter infinitum. Non secus ac si Angelus haberet in se, vnde posset coexistere omni loco possibili, esset infinitus secundum ubi.

21 Sed licet hanc D. Bonaventuræ sententiam non improbabilem appellaverit Scotus in 2. d. 2. q. 1. §. Qui vult tenere; tamen ibidem §. sed contra conclusionem probabiliorem reputat oppositam, scilicet, durationem intrinsecam rerum permanentium non esse successivam, & divisibilem in partes priores, & posteriores, sed permanentem, & indivisibilem in partes priores, & posteriores; non

sc-

secus ac est ipsum actuale esse ipsarum rerum permanentium. Quæ est doctrina communis, & recepta inter alios Theologos; nam ipsam tenent Aelius 1. p. quæst. 12. memb. 9. ar. 3. Durandus in 2. quæst. 3. Gabriel q. 1. art. 1. Okam q. 10. D. Th. 1. p. q. 10. art. 5. & quodlib. 10. art. 4. Suar. in Metaph. disp. 50. sect. 5. à nu. 8. Vazq. super 1. p. disp. 33. c. 3. Immo est expressa D. Aug. non solum lib. 83. Quæstionū q. 72. vbi affirmat, (teste Scoto loco citato §. *Circa distinctionem secundam*) *etvum esse stabile; tempus autem mutabile; sed etiam* 12. de Trinitate cap. 15. non longè à fine, vbi, vt ostendat Angelos nō potuisse adæquare Deo in æternitate, ponit hæc verba: *Tempus autem, quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immobili non potest esse coæternū: ac per hoc etiam si immortalitas Angelorum non transit tempore, nec præterita est, quasi non sit; nec futura, quasi nondum sit; tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex præterito in futurū trāseunt; & ideo creatori coæterni esse non possunt.* Quibus verbis expressè fatetur Augustinus, in immortalitate Angelorū (quæ nihil aliud est, quam duratio substantiæ ipsorum) nihil esse præteritum, nihil futurum; & solum reperiri successionem in operationibus eorum, & ideo non posse Angelos adæquare Deo in æternitate;

quia etiam in operationibus Dei nulla est successio. 22 Et probari potest hæc nostra sententia. Primò, quia in probabiliori sententia quam infra cum Scoto tuebimur) duratio intrinseca rei permanentis non est aliqua entitas positiva superaddita, & realiter distincta ab actuali existentia ipsius rei permanentis: sed actualis existentia rei permanentis (etiam in sententia D. Bonaventuræ) non est successiva, seu variabilis in partes priores, & posteriores: ergo neque etiam erit successiva, seu variabilis in partes priores, & posteriores ipsius intrinseca duratio. 23 Secundò, quia dato, quòd duratio intrinseca rei permanentis esset aliquid positivum superadditum, & realiter distinctum ab actuali existentia ipsius rei permanentis (non secus ac supra dicebamus, durationem intrinsecam motus, quæ dicitur tempus, esse quid positivum superadditum, & realiter distinctum ab ipsa actuali existentia motus materialiter sumpti) adhuc impossibile apparet, quòd duratio intrinseca rei permanentis sit successiva, & variabilis secundum partes priores, & posteriores: nam, si in duratione intrinseca motus hoc contingit, hoc est, quia existentia motus materialiter sumpti, ad quam consequitur, etiam est successiva, &

& variabilis secundum partes priores, & posteriores; cuius oppositum contingit in existentia actuali rei permanentis, ad quam prædicta duratio consequeretur. Vndè Arist. in hoc 4. libro text. 99. & 100. successionem, & varietatem in tēpore secundum partes priores, & posteriores ex successione, & variabilitate motus materialiter sumpti secundum partes priores, & posteriores, tanquam ex causa, & à priori deduxit: ergo si res permanens in sua actuali existentia nō est successiva, nec variabilis secundum partes priores, & posteriores: neque etiam esse poterit successiva, nec variabilis in partes priores, & posteriores ipsius intrinseca duratio.

24 Et confirmatur à simili de quātitate permanenti, quæ eo ipso quod extensa, & diuisibilis sit, implicat, intrinsecè inhære, seu informare substantiam, quæ entitatiuè sit inextensa, & indiuisibilis; vt est substantia spiritualis: ergo pariformiter implicabit, quòd duratio successiva, & variabilis secundum partes priores, & posteriores intrinsecè inhæreat, seu informet rem, cui repugnat successio entitatiua, seu variabilis in partes entitativas priores, & posteriores; vt est omnis res permanens. Vndè rectè annotauit Smising in disputationibus Theologicis:

de Deo vno tract. 2. disp. 4. q. 2. num. 37. illud simile depositione carnis nō habētis partem, & partem sub eadē quantitate permanente, quo vsus est Scotus loco supra citato, §. *Ad argumenta contra illam positionem* ad declarandum, quomodò in via D. Bonaventuræ intelligi posset, quòd sit diuisibilitas in duratione absque diuisibilitate rei durantis, non esse admitendum; quia non potest satis intelligi, quòd forma per se extensa (vt est quantitas) recipiatur in carne, nisi ipsa caro habeat partes entitatiuè natas extendi per quantitatem; id est, ita natas informari per quantitatem, vt inde connaturaliter sequatur extensio ipsarum in ordine ad locum; licet hæc localis extensio actualis per potentiam Dei absolutam possit ab illa carne, sicuti & ab ipsa quantitate, separari. Cuius ratio à priori est, quia extendere subiectum in ordine ad locum, saltem a pritudinaliter, & connaturaliter est effectus formalis primarius quantitatis permanentis; & implicationē inuoluit, quòd forma actualiter informet subiectum, & quòd non præstet illi suum primarium effectum formalem; quem quantitas permanens nō posset præstare carni in hypothesis, quod caro non haberet partes entitativas natas extendi in ordine ad locum per quantitatem permanentem.

25 Tertiò potest probari hæc sententia alio argumento Scoti, quòd sic efformari potest. Si duratio rei permanentis esset successiua, continuò desineret, & acciperet esse, nam hæc est natura successiuorum, esse in continuo fluxu; sed duratio rei permanentis non desinit, & accipit esse continuò; sed semper eadem indiuisibiliter manet: ergo non est successiua, sed permanens. Probat minor: nã prædicta duratio non potest continuò desinere, & accipere esse ex eo, quòd eius subiectum continuò desinat, & accipiat esse; cum hoc in sententia D. Bonauenturæ non desinat, & accipiat esse continuò; sed idem semper indiuisibiliter maneat: neque etiam ab aliqua causa, quæ sit per se corruptiua, aut generatiua prædictæ durationis, cū durationes neque fiant, neque corrumpantur per se; sed potius fiant, aut corrumpantur ad effectum, aut corruptionem rei durantis. Secus verò contingit (ait Scotus) in tempore, quòd continuò desinit, & accipit esse; & consequenter est duratio successiua; quia eius subiectum (scilicet motus) continuò desinit, & accipit esse.

26 Ad auctoritates Patrum pro sententia D. Bonauenturæ adductas respondetur, propriam notam æternitatis traditam à Patribus non consistere in hoc

quòd est non habere actu præteritum, aut futurum; sed in repugnantia, & impossibilitate ad hoc: cum enim duratio Dei (quæ dicitur æternitas) sit omninò independens ab aliqua causa, non secus ac est independens ipsum esse Dei; hinc est, vt non solum de facto non sit præterita, nec futura (sumpto præterito pro eo, quòd aliquando fuit, & modo non est; & futuro pro eo, quòd modo non est, & aliquando erit.) Sed etiam quòd huiusmodi præteritio, & futuritio ei ab intrinseco repugnet. Et hæc est propria nota, per quam Patres distinguunt, & discernunt æternitatem (quæ est duratio intrinseca Dei) ab omni duratione intrinseca rerum permanentium: quæ, cum dependeat à Deo (non secus ac dependet esse ipsarum creaturarum permanentium) etsi de aliquibus, v.g. de durationibus Angelorum, cælorum, & materiæ primæ, verificetur actu nò habere præteritum, aut futurum (sumpto præterito pro eo, quòd aliquando fuit, & modo non est, & futuro pro eo, quòd modo non est, & aliquando erit) non tamen de ipsis verificari potest, quòd eis ab intrinseco repugnent præteritio, & futuritio: nam, eo ipso, quòd dependent à Deo, tanquam à causa, nulla est implicatio, vt quælibet creatura permanens coexistat cum vna parte nostri

tem-

temporis, & non cum alia: & consequenter, quòd aliqua coexistat tempori præterito, & non præsentis; & sic eius duratio sit præterita: quòd alia coexistat tempori futuro, & non præsentis; & sic eius duratio sit futura.

27 Ad secundam probationem optimè respondet Scotus admittendo res permanentes non solum à Deo creati, sed etiam ab eo in illo esse conseruari per actionem positiuam; negat tamen hoc intelligi, non posse absque successione in ipsa actione, qua res permanens creatur, & conseruatur: nam, si in re permanenti (quæ est terminus actionis creatiue, & conseruatiue) nulla datur successio, (alias non permanens, sed potius successiua diceretur) neque etiam in ipsa actione, qua res permanens creatur, & conseruatur, successio excogitari poterit: dependet ergo res permanens, tam in sua creatione, quam in conseruatione ab eadem indiuisibili actione, quæ, in quantum intelligitur coexistens primo *in* tempore, ad quòd præcessit non esse rei creatæ, dicitur creatio; in quantum verò intelligitur coexistens partibus temporis subsequenti, appellatur conseruatio. Ex his autem non debet inferri, dari successione in actione, qua res permanens creatur, &

conseruatur pro aliquo tempore, sed dari successione in ipso tempore, cui talis actio coexistit; sicuti neque rectè infertur ex eo, quòd generatio æterna dicatur nunc perseuerare, & perseueratura omnino tempore futuro, aliquam esse successione in prædicta generatione, sed successione in nostro tempore, cui prædicta generatio æterna coexistit.

28 Ad primam confirmationem respondetur, etsi rebus permanentibus in prima ipsarum productione totum illarum esse fuerit communicatū, nec relict aliquòd esse in tempore subsequenti illis addendum, non rectè inde inferri, superfluum esse illarum conseruationem: quia cum illud esse essentialiter dependeat ab actione productiua, non poterit tale esse durare, & consequenter tempori subsequenti ad instans iuxta productionis coexistere, quin etiam actio productiua illius etiam duret, & tempori subsequenti ad instans, quo primò posita fuit, coexistat.

29 Ad secundam confirmationem fatemur, annihilationem esse negationem actionis conseruantis; & similiter fatemur, annihilationem esse postrei productionem, & aliquam ipsius conseruationem; & consequenter inter conserua-

tio;

tionem rei, & eius annihilationem esse successione; nõ secus, ac est inter esse rei, & non esse ipsius: negamus tamen, inde inferri in conseruatione debere esse successione, & partem præsentem, & futuram; quia futura annihilatione, etsi sit negatio conseruationis; sed non conseruationis; quæ futura esse deberet, (vt. contendit argumentum) sed conseruationis, quæ præcessit ipsam annihilationem; itaüt, quod conseruabatur à Deo, iam, cum annihilatur, non conseruetur: sicuti non esse rei permanentis, etsi sit negatio esse rei permanentis; sed non esse rei permanentis; quod futurum erat; sed eius, quod negationem præcessit.

30 Ad tertiam probationem respondetur, quod, sicut in æternitate (quæ est duratio indiuisibilis) non est aliud ex parte æternitatis esse, fuisse, & fore; quia ista solum sunt denominationes extrinsecæ in æternitate à coexistentia ipsius cum tempore præsentis, præterito, & futuro proueniētes; ita & in duratione intrinseca rerum creatarum permanentium (quæ etiam indiuisibilis est) non est aliud ex parte durationis esse, fuisse, & fore; quia etiam ista sunt denominationes extrinsecæ in prædicta duratione à coexistentia ipsius, cum tempore præ-

senti, præterito, & futuro proueniētes. Est tamen adhuc notandum discrimen quoad recipiendum istas denominationes extrinsecas præsentis, præteriti, & futuri, inter æternitatem, & durationē intrinsecam rerum creatarum permanentium, ratione cuius æternitas, & durationes intrinsecæ rerum creatarum permanentium valde inter se dissident. Nam, cum æternitas non pendeat in suo esse ex aliqua libera Dei voluntate, simpliciter, & absolute est necessarium, quod cum his temporibus coexistat, & consequenter recipiat denominationes istas extrinsecas præsentis, præteritæ, & futuræ: hæ enim propositiones (supposita existentia temporis, quod nunc est) simpliciter, & absolute necessariae sunt: *Æternitas fuit, est, & erit.* At durationes intrinsecæ rerum creatarum permanentium, cū pendeant in suo esse ex libera voluntate Dei, non secus ac pendet esse ipsarum rerum, quarum sunt durationes, etsi ex suppositione, quod iam coextiterint cum tempore præterito, vel quod existant cum tempore præsentis, vel quod extiturae sint cum tempore futuro, necessarium ex ista suppositione sit, quod recipiant istas denominationes præteritarum, præsentium, & futurarum; tamen

sim-

simpliciter; & absolute hoc non est necessarium, sed liberum, & contingens. Vnde sicut propositiones istæ *Angelus fuit; Angelus est;* solum sunt necessariae secundum quid, & ex suppositione; quod Angelus coextiterit tempore præterito, & quod coexistat tempore præsentis: nam simpliciter, & absolute liberae sunt, & contingentes: ita & ista propositio *Angelus erit,* solum erit necessaria secundum quid, & ex suppositione, quod coextiturus est tempore futuro: nã simpliciter, & absolute libera, & contingens est.

31 Ad confirmationem admittimus libenter, inter durationes intrinsecas duorum Angelorum posse esse prioritatem, & posterioritatem, & consequenter successione. Hoc enim & docuit Scotus loco citato §. *Ad argumenta pro opposita opinione* in solutione quarti argumenti; & manifestè conuincit casus adductus in ista confirmatione, nimirum, quod vnus Angelus crearetur, & postea annihilaretur, & postea alius Angelus crearetur. Tamen hinc non rectè inferitur quod, si tertius Angelus crearetur coexistens cum duobus prædictis Angelis, quorum vnus duratio esset posterior, & succedens durationi alterius, in duratione istius tertij Angeli deberet esse

se prius, & posterius, & consequenter successio; sicuti nec sequitur ex eo, quod æternitas coexistat duobus diebus, quarum vna est posterior, & succedens alteri, quod in ipsa æternitate sit prius, & posterius; & consequenter successio.

32 Ad quartam probationē optimè respondet Scotus loco citato in solutione tertij negando sequelam; & rationem assignat; quia ex coexistentia quanti virtualis cum alio quanto formali infinito solum potest inferri infinitas in quanto virtuali; quoties in quanto virtuali est aliquid necessariò exigens coexistere cum infinitis partibus quanti formalis; vt contingit in duratione intrinseca Dei, quæ dicitur æternitas: secus verò in duratione intrinseca cuiuscumque creaturæ permanentis; quæ cum non necessariò existat, (sicut existit æternitas) sed contingenter, & cum dependentia ex libera voluntate Dei; hinc est, vt licet in se formaliter habeat, vnde possit coexistere cum infinitis partibus temporis; sed hoc non exigat necessariò; sed contingenter, & cum dependentia ex libera voluntate Dei ipsam in suo esse conseruante, ad hoc, vt existere possit cum infinitis partibus temporis. Et per hoc

hoc patet, quid dicendum sit ad confirmationem. Respondetur enim, quod, etiam si duratio rei creatæ permanentis habeat in se formaliter, unde possit coexistere infinitis partibus temporis, non inde benè inferitur, quod in se sit formaliter infinita: quia non habet formaliter, unde necessariò sic coexistat. Et hoc ipsum confirmat instantia, quæ ibi adducta est, Angeli habentis in se, unde possit coexistere omni loco possibili: nam si haberet Angelus in se unde posset necessariò, & independenter à libera voluntate Dei, coexistere omni loco possibili, re vera esset immensus, & infinitus secundùm *ubi*, non secus, ac est immensus, & infinitus secundùm *ubi*, ipsemet Deus. Tamen ex eo, quod in se habeat formaliter, unde possit coexistere omni loco possibili contingenter, & dependenter à libera voluntate Dei, non benè inferitur, quod sit immensus, & infinitus secundùm *ubi*; vt disput. 1. huius libri quæst. 3. num. 24. ostensum est.

33. Præterea Aureolus in 1. dist. 9. quæst. 2. art. 2. etsi supponat, non solum dari res permanentes; sed etiam perseverantiam, quam habent in suo esse, esse permanentem; contenduntamen, hanc

perseverantiam permanentem non esse appellandam veram durationem, atque adeo non dari aliam veram durationem præter perseverantiam successivam, quæ reperitur in motu, & dicitur tempus. Tum quia omnis duratio dicitur tanta, vel tanta, quod de perseverantia permanenti, cum non sit extensa in partes priores, & posteriores, nullatenus verificari potest. Tum etiam, quia vna respectu alterius dicitur magis, aut minus, aut æqualiter durare; quod sine extensione in ipsa duratione intelligi non potest. Tum demum, quia omnis duratio dicitur quandam commensurationem ad tempus: (dicitur enim res durans prius extitisse, & postea esse) ergo omnis duratio, vt reuera talis sit, dicitur necessario successionem secundum partes priores, & posteriores.

34. Sed friuolis rationibus conatus est Aureolus perseverantiæ rei permanentis in existendo rationem veræ durationis denegare. Ad primum dicimus, durationem permanentem dici tantam, vel tantam, quia coexistit tanto; vel tanto tempori: & iuxta hoc dici solet extensa virtualiter, non formaliter; id est, apta coexistere tempori extenso; non verò quia habeat in se

ex-

extensionem. Ad secundam eodem modo dicimus, vnam rem permanentem respectu alterius dici magis, aut minus, aut æqualiter durare; non quia eius intrinseca duratio in se sit maior, minor, aut æqualis durationi alterius rei permanentis; sed quia ratione suæ intrinseca durationis coexistit majori, aut minori, aut æquali tempori cum eo, cui ratione suæ durationis intrinseca alia res permanens coexistit. Ad tertiam dicimus, ad hoc, vt vna res permanens, dicatur prius extitisse, & postea esse, non esse necessarium, quod duratio intrinseca ipsius in se ipsa habeat commensurationem cum tempore; ita vt in ipsa sint partes priores, & posteriores, sicuti in ipso tempore sunt: sed sat esse, quod ipsa indiuisibiliter in se existens coexistat tempori successivè, & secundum partes priores, & posteriores decurrèti; nam, quatenus prioribus partibus temporis coexistit, dicitur prius extitisse; & quatenus coexistit posterioribus partibus temporis, dicitur postea esse.

35. E contrario verò Nominales, Gabriel in 2. d. 3. quæst. 1. Gregorius d. 1. quæst. 4. art. 1. conclus. 1. ex Ochamo sentire videntur, neque motum, neque aliquod quodcumque successivum esse ens reale in rerum natura existens; & con-

sequenter, neque dari durationem successivam, quæ sit ens reale in rerum natura existens; sed hoc solum posse competere durationi permanenti. Assumptum verò probare nituntur eisdem rationibus, quibus usus est Arist. ad idem probandum de tempore; quas quæst. 1. huius disput. num. 2. retulimus. Attamen adè per experientiam notum est, dari motum successivè durantem per partes post partes, qui sit quid reale, & in rerum natura existens, vt ob nullam rationem debeat hoc in dubium reuocari, quantò minus denegari. Rationes autem, quibus usus est Arist. ad id suadendum de tempore, & ab his auctoribus usurpatæ sunt, quæst. illa 1. solutæ sunt; nec libet amplius in ipsis soluendis immorari.

36. Alij verò, etsi libenter admittant, motus successivos esse quid reale in rerum natura existens; ex alio tamen capite conantur, non dari durationem successivam, sed omnè durationem debere esse permanentem, nimirum, quia duratio nihil aliud est, quam perseverantia rei in existendo: in rebus autem successivis nihil est, quod aliquamdiu in existendo perseveret; sed totum, quod est, statim trahit, & continuo fluit, & alia pars est, quæ erat prius ab ea, quæ succedit postea. Sed auctores hi ex æquiocatione lapsi sunt: confundunt enim perse-



uerantiam, seu durationem cum permanentia, & pro eodem vsurpant; cum tamen longè diuersa sint. Nam ad permanentiam requiritur, quòd res aliquamdiu existat, nò parte post partem, sed simul cum omnibus suis partibus. At ad perseuerantiam, seu durationem fat est, quòd res aliquamdiu existat per aliquam sui partem, v. g. motus, qui fit ab vno loco ad alium dicitur perseuerare, seu durare toto illo tempore, quo mobile fertur (non obstante, quòd partes eius non existant simul, sed vna post aliam) quia semper pro eo tempore exercetur aliqua pars illius motus: durat ergo, & perseuerat iste motus toto isto tempore; quia idem motus continuus est, qui toto isto tempore exercetur; durat tamen, & perseuerat, nò permanenter, sed successiuè; quia partes illius non exercentur simul, sed vna post aliam. Et hæc est ratio propria durationis successiuæ ad differentiam durationis permanentis.

37 Demum Pererius lib. 12. cap. 7. et si admittat vtramque istam durationem, permanentem, scilicet, & successiuam; contendit tamen, diuisionem istam durationis in permanentem, & successiuam, non dari per differentias essentielles, sed per accidentales: diuisionem enim durationis in communi per differentias essentielles, existimat, sumendam esse ex diuer-

sis affectionibus quantitatis, vt sunt finitas, & infinitas.

38 Fundamentum Pererij est, quia existimat, durationem in communi essentialiter esse quantitatem. Supposito autem isto principio, infert, diuisionem durationis in communi non esse assignandam per permanentem, & successiuam, tanquam per differentias essentielles, eo quòd isti modi permanentis, & successiuæ non sunt propriæ quantitatis; cum etiam in rebus aliorum predicamentorum reperiantur; sed per finitam, & infinitam, quæ sunt proprietates quantitatis.

39 Porro durationem in communi essentialiter esse quantitatem, (quod est fundamentum Pererij) suadere contendit. Primò, quia in definitionem durationis in communi intrat quantitas. Secundò, quia illud essentialiter est quantitas, cui proprietates quantitatis per se conueniunt. Sed ratio mensuræ (quæ est proprietas quantitatis) per se competit durationi in communi: ergo duratio in communi essentialiter est quantitas.

40 Probat insuper Pererius magis directè suam sententiam alijs duobus argumentis. Primum est, si duæ res permanentes durent, vna tamen diutius, quam alia, hæc durationes dicuntur diuersæ: si autem è contra duæ res æqualiter durent, sed vna permanenter, & alia

luc-

successiuè, dicuntur esse eiusdem durationis: ergo essentialis differentia in durationibus non attenditur ex permanentia, & successione, sed ex proprietatibus quantitatis, vt sunt maior, vel minor extensio. Secundum est, quod adducit cap. 13. desumptum ex eo, quod iuxta hanc diuisionem durationis in permanentem, & successiuam duæ tantum sunt species durationis; cum tamen ab omnibus ad minus tres species durationis numerentur, scilicet, æternitas, tempus, & æuum.

41 Sed non est, cur à communi sententia (quæ docet, diuisionem istam durationis in communi in successiuam, & permanentem esse diuisionem per differentias essentielles) recedamus. Nam fundamentum, quo nititur Pererius (scilicet, durationem in communi essentialiter esse quantitatem) falsum omninò est. Licet enim duratio successiuæ, quæ est vna ex speciebus durationis, & ab omnibus tempus denominatur, essentialiter sit quantitas; eo quòd consistat in extensione partium successiuarum, id est, habentium inter se ordinem prioris, & posterioris: tamè de duratione permanenti, quæ est altera ex speciebus durationis, constat ex dictis, in sua ratione intrinseca, & essentiali, nullo modo includere extensionem partium successiuarum, & cõ-

sequenter non posse esse essentialiter quantitatem: quod esset impossibile, si duratio in communi essentialiter esset quantitas. Neque existimetis durationem in communi spectare ad aliquod speciale predicamentum; nam quid transcendens est ad omnia prædicamenta; imò ad Deum, & creaturas: non secus, ac transcendit existentia; & sic non mirum, quòd in rebus diuersorum predicamentorum reperitur.

42 Neque ea, quæ adducebat Pererius in confirmationem sui fundamenti, alicuius sunt roboris; nam falsum est, in definitione durationis in communi intrare quantitatem. Duratio enim in communi sic ab omnibus definitur, est perseuerantia rei in sua existentia. Perseuerantia autem rei in sua existentia in communi sumpta, nò est quantitas, sed quidam modus entis transcendens ad omnia prædicamenta: imò & ad Deum, & creaturas; non secus, ac existentia in communi. Et similiter est falsum, rationem mensuræ, quæ est proprietas quantitatis, per se competere durationi in communi: licet enim ratio mensuræ competat per se durationi successiuæ, quæ dicitur tempus; sed non competit durationi permanenti, qualis est æternitas, vel æuum; siquidem æternitas, & æuum, (& quæcumque alia duratio permanens) non sunt extensa,

sed potius indiuisibilia, quod repugnat mēsuræ, quæ est proprietas quantitatis.

43 Nec refert, quod plures, & graues auctores sustineant, æuum supremi Angeli esse mensuram extrinsecam æuorum Angelorum inferiorum; non secus, ac duratio primi mobilis, quæ dicitur tempus, est mensura extrinseca motuum horum inferiorū; nam explicandi sunt de mensura perfectionis; qua ratione, tam æuum supremi Angeli, quam æua Angelorum inferiorum extensionem habent: non verò de mensura durationis; qua ratione, tam æuum supremi Angeli, quam æua Angelorum inferiorum non habent extensionem, sed potius in indiuisibili consistunt. Non secus, ac intelligitur illud Aristot. assertum, *primum in unoquoque genere est mensura cæterorū*: & similiter intelligitur id, quod communiter dicunt Theologi, scilicet, *diuinam æternitatem esse primam mēsuram omnium creaturarum durationum*.

44 Minus refert alius modus loquendi Theologorum, scilicet, æternitatem esse mensuram intrinsecam ipsius Dei: & æuum proprium cuiuscumque Angeli esse illius intrinsecam mensuram; nam (vt communiter auctores aduertunt) loquutiones illæ sunt abusuæ, & improprie. Accipiunt enim sic loquentes nomen *mensu-*

*rum* loco nominis *duratio*: & sic apud ipsos idem est, æternitas est intrinseca mensura Dei; ac æternitas est intrinseca duratio Dei; æuum proprium cuiuscumque Angeli est intrinseca mensura eius; ac est intrinseca duratio eius. Et hanc doctrinam non solum recipere tenentur auctores, qui (vt statim videbimus) cum Scoto sustinent, durationem intrinsecam rei permanentis non distingui realiter ab eius actuali existentia (aliàs idem esset mensura sui ipsius.) Sed etiam, qui sustinent, durationem intrinsecam rei permanentis ab actuali existentia rei permanentis realiter distingui. Nam in nostra, & plurimorum sententia duratio intrinseca cuiuscumque motus (quæ dicitur tempus intrinsecum) realiter distinguitur ab ipso motu materialiter sumpto: & in ferè omnium sententia quantitas molis distinguitur realiter à substantia, in qua intrinsecè inhæret: & tamen nullus affirmare potest, durationem intrinsecam motus esse mensuram illius, adhuc materialiter sumpti; aut quantitatem molis esse mensuram substantiæ, in qua intrinsecè inhæret, sumpta mensura proprie, & in rigore. Cuius ratio à priori est; quia ratio mensuræ formaliter consistit in hoc, quod per illam cognos-

camus,

camus, quanta sit res, quæ mēsuratur; atque adeò id, quod induit rationem mensuræ, nō debet primò constituere rem, quam mensurat, in esse quantæ, sed potius ipsam in esse quantæ constitutam supponere: quod neque competit durationi intrinsecæ motus respectu prædicti motus materialiter sumpti; neque quantitati molis respectu substantiæ, in qua inhæret. Imò addo, etsi in duratione intrinseca alicuius motus possimus determinare aliquam partem eius, & per ipsam totam illam durationem, & consequenter motum, cuius est intrinseca duratio, mensurare: & idem contingere possit in quanto molis: non tamen id posse contingere in durationibus rerum permanentium; eo quod indiuisibiles, & inextensæ sunt secundum partes priores, & posteriores; vt optimè annotauit Scotus in 2. d. 2. q. 2. §. *Ad secundam partem quæstionis*, lit. H.

45 Ad primum ex alijs duobus argumentis, quibus idem Pererius directè probabat suam sententiã, respondetur, quod, si duæ res permanentes durent, vna tamen diutius, quam alia, durationes earū dicentur eiusdem rationis essentialis, sed diuersæ rationis accidentalis; qualis erit maior, vel minor coexistentia ipsarum ad tempus nostrum reale, vel imaginarium: quod si è contratio durent

æqualiter duæ res, vna permanēter, & alia successiue; durationes earum dicentur essentialiter diuersæ, nō obstant, quod in ratione accidentaliter coexistentiæ ad tempus extrinsecum sint æquales. Ad secundū negamus sequelam; nam etiãsi duratio in cōmuni primò, immediatè diuidatur in permanētē, & successiuam, hoc non impedit, quod duratio permanens subdiuidatur in æternitatem, & æuum, & sic fiant plusquam duæ species durationis, vt ex dicendis constabit.

46 Sed de durationibus permanentibus adhuc supersunt duo explicanda. Primū, an durationes permanentes consistant in aliquo positiuo superaddito actuali existentia rerū permanentiū, & ab ipsa realiter distincto? Secundū, quotuplex sit duratio permanens? circa primā plures ex auctoribus, qui nobiscū sustinebant, durationem successiuā (quæ est duratio intrinseca motus, & dicitur tempus) esse aliquid positiuū superadditū actuali existentia motus actualiter sumpti, & ab ipsa realiter distinctū, idē affirmant de durationibus permanentibus, facta cōparatione ad actualem existentiam rerum permanentium, quarum sunt durationes.

47 Sed nobis tenendū est cū Scoto in 2. d. 2. q. 2. lit. E. vers. *Respondeo* (quem communiter non solum discipuli, sed etiam alij Philosophi, & Theo-

logi sequitur) durationes permanentes non consistere in aliquo positivo superaddito actuali existentiae rerum permanentium, & ab ea realiter distincto; sed eundem modum intrinsicum, qui dicitur existentia actualis, quatenus est forma, per quam res permanens habet esse actu extra causas, appellari etiam, & esse durationem eius, in quantum est forma, per quam res permanens actu extra causas perseverat. Non secus, ac eadem indivisibilis actio, quae in quantum est productio rei ex nihilo, dicitur creatio, appellatur, & est conservatio, in quantum est actio, per quam res creata in suo esse conservatur, & perseverat.

48 Fundamentum Scoti, & nostrum est; quia ea, quae nos cogunt ponere durationem successivam (quae dicitur tempus) ut quid positivum superadditum existentiae actuali motus materialiter sumpti, & ab ea realiter distinctum, y. g. esse quantitatem motus materialiter sumpti; & similiter posse augeri, vel minui; non aucto, vel minuto motu materialiter sumpto; imò posse per potentiam Dei à motu materialiter sumpto separari, non cogunt nos, ponere durationem permanentem, ut quid positivum superadditum existentiae actuali rei permanentis, & ab ea realiter distinctum; quia, cum duratio permanens sit indivisibilis in par-

tes priores, & posteriores, non potest inducere rationem quantitatis respectu existentiae actualis rerum permanentium. Neque experiamur, posse augeri, vel minui, non aucta, vel minuta ipsa existentia actuali rei permanentis. Et multò minus posse (adhuc potentia Dei absoluta) à praedicta actuali existentia realiter separari. Est autem receptum inter Philosophos principium, res non esse multiplicandas absque cogente necessitate.

49 His adde, fore necessarium, ut duratio permanens poneretur per se in aliquo determinato praedicamento; non secus, ac ponitur duratio successiva, si semel constitueretur (sicut & constituitur duratio successiva) in aliquo accidenti superaddito, & realiter distincto ab actuali existentia rei permanentis. Non autem facile inuenies determinatum praedicamentum, in quo durationes permanentes per se collocari possint; quia non in praedicamento quantitatis, (sicut collocantur durationes successivae) siquidem durationes permanentes non sunt extensae, & divisibiles in partes priores, & posteriores, (sicut sunt successivae) sed potius indivisibiles, & inextensae. Quod autem alicui respondent, scilicet, durationes permanentes per se collocari in praedicamento *quando*, falsum omnino est; nam si-

cut

cut in rebus successivis, quae tempore mensurantur, accidens *quando*, non est ipsarum intrinsicae duratio, ratione cuius haberent, quòd à tempore mensurerentur; sed illa relatio extrinsecus adveniens commensurationis ad tempus, quae ex adjacentia temporis extrinseci inter ipsas, è tempus extrinsecum confurgit; ita in rebus permanentibus (in hypothese, quòd duratio intrinsicae ipsarum esset accidens ab ipsarum actuali existentia realiter distinctum) accidens *quando*, non deberet esse hoc accidens; sed potius relatio extrinsecus adveniens coexistentiae, quae ex adjacentia temporis extrinseci inter ipsas, ut affectas praedicto accidenti durationis, & ipsum tempus extrinsecum resularet.

50 Circa secundum dicendum est, quòd, cum duratio permanens (ex dictis) nihil aliud sit, quam existentia rerum permanentium, in quantum est forma, per quam praedictae res in suo esse actuali, & extra causas perseverant, tot eorum species durationum permanentium, quot fuerint modi essentialiter diversi perseverandi res permanentes in suo esse actuali, & extra causas. Et in primis inter res permanentes aliqua est ita perseverans in suo esse, ut ab intrinseco ei repugnet ab eo deficere: eo quòd habeat illud omni-

no independens ab alio. Huiusmodi res est solus Deus. Et duratio, qua res, quae ita perseverat, durat, dicitur aeternitas. Quam Theologi ex Boetio §. de consolatione, prola 6. sic definiunt: *Aeternitas est interminabilis vita tota simul, ac perfecta possessio*. In qua definitione (ut animadvertit Scotus quodlib. 6. §. *Reslat nunc videre*) ponitur *vita*; quae accipitur pro existentia actuali perfecta; iuxta illud Ioann. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, (id est, existentiam actualem perfectam) *sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Ponitur *interminabilis*; quod excludit defitionem: *Tota simul*; quòd excludit successionem. Et *perfecta possessio*; quòd excludit dependentiam. Itaque aeternitas supra existentiam Dei solum addit triplicem negationem, scilicet, interminationis, successionis, & dependentiae. Et ex his (teste eodem Scoto) vitam, seu existentiam actualem perfectam dicit pro materiali, & conotato: triplicem autem negationem pro formali, & per se significato: & ad has negationes sequitur relatio potentialis, seu aptitudinalis coexistentis cuicunque durationi, quae (ut advertit Scotus) non est realis, sed rationis.

51 Secundus gradus rerum permanentium est earum, quae ita perseverant in suo esse, ut licet ab intrinseco eis non repugnet

ab eo deficere; eo quod habeant illud dependens à libera voluntate Dei; tamè naturaliter petunt, numquã ab eo deficere. Et duratio, qua res, quæ ita perseverat, durat, dicitur ævum: cuius definitionẽ infra commodius, & adducemus, & explicabimus. Prædicto genere durationis durãt omnia entia creata permanẽtia, quæ natura sua incorruptibilia sunt; siue sint substantiæ, siue accidentia, siue materialia, siue spiritalia, siue ordinis naturalis, siue ordinis supernaturalis.

52 Vndè non placet sententia Caietani, & aliorum Thomistarum, qui cum D. Tho. 1. p. q. 10. artic. 5. ad 1. & in 4. d. 49. art. 1. & q. 2. & 3. contra gentes cap. 16. docent, entia creata supernaturalia, & præsertim visionẽ beatificam, non durare ævo, sed æternitate participata. Sed tenendũ est cum Scoto in 4. d. 49. q. 6. §. *De secundo dubio*, nullum ens creatũ supernaturale (vt sunt visio, & fruitio beata; item lumen gloriæ, cæterique habitus supernaturales, & per se infusi) durare æternitate participata, sed ævo; quia, cum æternitas sit duratio omninò necessaria, & independens ab aliqua causa, implicationem inuoluit in adiecto, dari æternitatem participatam; nam prædicatum destruit subiectum. Nec refert, quod beatitudo (quæ in visione, & fruitione beata consistit).

dicatur æterna vita; nam, vt optimè respondet Scotus, ibi æternum non accipitur strictè, & prout distinguitur contra æuiternum, sed pro ævo perpetuò permanẽte: sic enim frequenter accipitur *æternum* in scriptura, Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum: & infra, ibunt hi in supplicium æternum: cum tamen non sit æternum æternitate distincta ab ævo, vel à tempore perpetuo.* Nec etiam refert, quod hæc sint entia supernaturalia; nam esse supernaturale, vel naturale in rebus durantibus respectu durationis non est differentia formalis, sed omninò materialis: non secus, ac esse substantiale, & esse accidentale, esse materiale, & esse spirituale differentia materiales sunt. Quod patet à simili de durationibus successiuis, (quæ dicuntur tempus) quas nullus vnquam specie distinxit ex eo, quod motus, cuius sunt durationes, in sua entitate sint specie, vel genere differentes; eo quod hæc differentia respectu durationis eorum valdè materialis sit.

53 Tertius, & vltimus gradus rerum permanentium est earum, quæ ita perseverant in suo esse, vt naturaliter petant ab eo deficere. Tales sunt omnes substantiæ, & similiter omnia accidentia corruptioni, & interitui subiecta. Et de his sidium est inter auctores in ex-

pli-

plicando, quo genere durationis durent. Nam D. Tho. 1. p. quæst. 10. artic. 4. ad 3. & art. 5. in corpore affirmat, huiusmodi rerum permanentium durationem esse tempus. Quæ doctrina, si intelligeretur, non de duratione, quæ conuenit eis ratione sui esse permanentis, sed ratione motus, & quietis, quibus res istæ in suo esse sunt subiectæ, à nullo posset negari; siquidem manifestum est, motus, & quietes, quibus huiusmodi res in suo esse sunt subiectæ, durare successiue, & consequenter tempore. Tamen, si doctrina ista D. Tho. intelligatur de duratione, quæ conuenit his rebus, non ratione motus, & quietis, quibus in suo esse sunt subiectæ, sed ratione sui esse permanentis; quæ est duratio ipsarum propria, & de qua in præfenti est sermo, meritò illam reiecit Scotus in 2. d. 2. quæst. 4. Et ratio est, quia (vt num. 22. & sequentibus probatum est contra modum philosophandi D. Bonaventuræ) nulla duratio rei permanentis potest esse successiua; sed potius debet esse permanens; non secus, ac est permanens ipsum esse rei, cuius est duratio: sed de ratione intrinseca temporis est, quod sit duratio successiua: nequit ergo duratio intrinseca, & propria rei permanentis, quantumuis natura sua corruptibilis sit, esse tempus;

sed ad aliud genus durationis erit reducenda. Vndè num. 4. & sequentibus, tam ex Aristot. quàm per rationes ostendi, omnia entia generabilia, & corruptibilia, etiam ratione motus, & quietis, quibus in suo esse sunt obnoxia, verè dicantur esse in tempore, & ab illo mensurari; tamen ratione sui esse permanentis, neque esse in tempore, neque ab illo mensurari posse.

54 Scotus verò in 2. d. 2. q. 4. absolutè affirmat, omnium rerum creatarum permanentium (siue natura sua incorruptibiles, siue corruptibiles sint) durationẽ intrinsecam, & propriam esse ævum. Cuius fundamentũ est; quia tres tantũ species durationum à Theologis antiquis enumerantur, scilicet, æternitas, tẽpus, & ævum. Sed duratio rerum creatarum permanentiũ (tam corruptibiliũ, quàm incorruptibiliũ) non est æternitas; quia æternitas est duratio omninò necessaria, & indefectibilis; duratio verò rerum creatarum permanentium (tam corruptibiliũ, quàm incorruptibiliũ) est contingens, & defectibilis; cum pendeat in suo esse ex libera voluntate Dei: neque etiam est tempus (vt num. 53. ostensum est contra D. Thom.) ergo à sufficiente partium enumeratione dicendum est, quod sit ævum.

55 Sed doctrina ista Scoti difficult-

ficul-

ficulatem patitur, adhuc in ipsius Scoti principijs. Nam negari non potest in principijs Scoti, quod duratio intrinseca, & propria rerum creatarum permanentium, quæ natura sua interitui, & corruptioni sunt subiectæ, sit essentialiter, & specificè distincta à duratione intrinseca, & propria rerum creatarum permanentium, quæ natura sua sunt incorruptibiles; siquidem in principijs Scoti (qui sustinet, æternitatem essentialiter differre à durationibus rerum creatarum permanentium; quia Deus, cuius propria, & intrinseca duratio est æternitas, in suo esse omninò necessariò, & independenter ab aliqua causa perseverat: res autem creatæ permanentes contingenter, & dependenter) affirmandū venit id, quod num. 50. statuimus, scilicet, durationes rerum permanentium essentialiter, & specificè differre penes diversos modos perseverandi res permanentes in suo actuali esse: & manifestum est, modum perseverandi rerum permanentium corruptibiliū in suo esse actuali, esse essentialiter diversum à modo perseverandi actuali in suo esse actuali rerum permanentium incorruptibilium: cum illæ habeant, quod defectibiliter perseverent ab intrinseca natura sua; istæ verò indefectibiliter, licet dependenter ab extrinseca voluntate Dei; quæ sicut li-

berè eas conferuat in suo esse, potest, si velit, ipsas non conservare: ergo, si ævum (vt dictū est num. 51.) est propria, & intrinseca duratio rerum permanentium incorruptibilium, nō poterit esse propria, & intrinseca duratio rerum permanentium corruptibilium; sed necessariò assignanda erit illis alia duratio ab ævo essentialiter diversa. Vnde Suar. disput. 50. Metaph. sect. 7. distinctam speciem durationis pro rebus permanentibus, & corruptibilibus apposuit; quam neque ævum, neque tempus, neque alio certo nomine appellat: & consonant Hurtado disp. 17. Metaph. in fine, & Rubius tractatu de tempore q. 3.

56 Nihilominus non solum in gratiam Scoti, sed etiam antiquorum Theologorum (qui solum harum trium durationum numerum, scilicet, æternitatis, temporis, & ævi) nobis dicendum est, entia permanentia corruptibilia (sive sint substantiæ, sive accidentia) habere pro duratione propria, & intrinseca ævum, licet non eiusdem speciei infimæ cum ævo, quo durant entia permanentia creata incorruptibilia, sed diversæ: ac per consequens optimè stare non solum id, quod docuerūt antiqui Theologi, scilicet, tantum esse tria genera durationum, (nempe æternitatem, tēpus, & ævum) sed etiam id, quod docuit Scotus,

tus, scilicet, omnia entia creata permanentia durare ævo, non obstante; quod duratio, quæ entia permanentia corruptibilia durant, sit distincta in specie infima à duratione, quæ durat entia creata permanentia incorruptibilia; vt ratio facta n. 55. conuincebat.

57 Quod vt clariùs comprobemus, aduertendum est, diuisionem durationis in has tres species (æternitatem, tempus, & ævum) etsi celebris sit, vt potè à Theologistradita, & à Philosophis recepta, non tamen omnes ex eodem capite probasse huius diuisionis sufficientiam. Nam D. Bonaventura loco num. 17. citato huius diuisionis sufficientiam ex differentia permanentiæ, & successione, quæ est in rebus, sic deducebat. In rebus, quæ sunt in mundo, quædam est permanens, tam in suo esse, quàm in sua duratione, scilicet, Deus; & huius duratio dicitur æternitas. Quædam verò sunt, quæ etiam si in suo esse permanentes sint, tamen ipsarum duratio non est permanens, sed successiua, nimirum, omnes res permanentes creatæ; & harum duratio dicitur ævum. Et demū aliæ sunt; quæ, tam in suo esse, quàm in sua duratione sunt successiua, videlicet, motus omnes; & harum duratio dicitur tempus. Et quia quartum discrimen permanentiæ, & successione, quod assignari pote-

rat, scilicet, rerum, quæ in suo esse essent successiua, & earum duratio esset permanens, in nulla re mundi reperitur; inde colligebat, durationem rerum, quæ sunt in mundo, ad quantissimè diuidi in æternitatem, tempus, & ævum. Tamen hæc ratio sufficientiæ diuisionis durationis in æternitatem, ævum, & tempus, non est admittenda; nam in ea supponitur quoddam fallum, scilicet, durationem rerum permanentium creatarum non esse permanentem, sed successiuam: quod iam in hac quæstione à nobis ex Scoto fuit improbatum.

58 Pererius verò loco num. 37. citato, cum existimet, durationem in communi esse essentialiter quantitatem; & consequenter differentias essentielles, per quas diuiditur duratio, non esse permanentiæ, & successione, sed finitatem, & infinitatem; ex alio capite deducit huius diuisionis sufficientiam, dicens, in rebus, quæ sunt in mundo, quædam est omninò infinita, id est, carens principio, & fine, scilicet, Deus; & huius duratio est æternitas. Aliæ verò sunt omninò finitæ, id est, habentes principium, & finem, videlicet, omnes res corruptibiles, sive permanentes sint, sive successiua; & harum duratio est tempus. Aliæ demū sunt partim finitæ, & partim infinitæ, id est, habentes principium, carètes fine; & harum du-

duratio est æuum. Et quia ex rebus, quæ sunt partim finitæ, & partim infinitæ nulla est in mundo, quæ non habeat principium, & careat sine: hinc colligit, nõ dari quartam speciem durationis; sed adæquatissimè in tres species enumeratas fuisse diuisam.

59 Sed neque etiam hæc sufficientia diuisionis durationis in has tres species, est admittenda. Tum quia supponit falsum, & à nobis (num. 41.) late impugnatum, scilicet, durationem in communi essentialiter esse quantitatem. Tum etiam, quia dato, quod duratio in communi esset essentialiter quantitas, adhuc nõ posset essentialiter diuidi per infinitum in actu (vt diuidit Pererius) nam infinitas, quæ est proprietatis quantitatis, non est infinitas in actu, sed in potentia: infinitas autem in actu potius in plurium sententia repugnat quantitati, & dato, quod non repugnaret (vt nobis lib. 3. placuit) non potest negari, quod prædicta infinitas respectu durationis sit differentia valde accidentalis: nam (vt optimè vidit D. Th. 1. par. q. 10. art. 4. & 5.) etiã si Angeli fuissent creati ab æterno, & consequenter eorum duratio fuisset omnino infinita, id est, carentes principio, & sine, non esset æternitas, sed æuum. Et idẽ contingeret in casu, quod eorum esse aliquando haberet fi-

nem, vt si Deus illos annihilaret. Et similiter, si motus celi protraheretur in perpetuum sine fine, adhuc duratio eius esset tempus eiusdem rationis, ac modo est.

60 D. Th. 1. p. q. 10. art. 5. ex alio capite deducit huius diuisionis sufficientiam, nimirum, ex variabilitate, vel inuariabilitate rei tam in sui esse, quàm in suis operibus, dicens: ex rebus, quæ sunt in mundo, quædam est inuariabilis non solum in suo esse; sed etiam in suis operibus, scilicet, Deus: & huius duratio est æternitas. Aliæ sunt inuariabiles in suo esse, & non in suis operationibus, vt Angeli, cæteræque substantiæ incorruptibiles: & harum duratio est æuum. Aliæ demum sunt tam in sua substantia, quàm in suis operationibus, seu accidentibus variabiles: vt motus, & entia permanentia corruptibilia, & harum duratio est tempus.

61 Verum neque hæc ratio sufficientiæ diuisionis durationis in has species satisfacit. Tum, quia secundum ipsam duratio propria, & intrinseca rerum permanentium corruptibilium debet esse tempus: quod num. 53. impugnatum est. Tum etiam, quia formaliter, & præcisè explicat, & distinguit durationis rationem prout unicuique rei, & singularis accidentibus, ac operationibus perse conuenit propria du-

duratio. Et demum, quia differentia essentialis propriæ, & intrinsece durationis vniuscuiusque rei ex proprio, & intrinsecò modo perseuerandi in suo esse actuali, & non ex modo perseuerandi aliorum, quæ sibi adiacent, desumi debet.

62 Optimè ergo ratio sufficientiæ huius diuisionis est, quam tradidit nobis Scorus, vt potè desumpta ex diuersis modis intrinsecis perseuerandi res; & consequenter durandi (perseuerantia enim, & duratio synonyma sunt) in suo esse actuali. Quæ sic efformari potest. Omnis res, quæ sunt in mundo actualiter existentes, vel ex intrinseca natura sua perseuerant in suo esse actuali instabiliter, seu successiue; vt perseuerant motus, & similiter relationes coexistentiæ, à quibus res permanentes coexistentes temporari denominantur; etsi quod est aliud accidens successiuum: aut ex intrinseca natura sua perseuerant stabiliter, seu permanentemente: si ex intrinseca natura sua habent, quod perseuerent instabiliter, seu successiue, earum propria, & intrinseca duratio erit tempus. Si verò ex intrinseca natura sua habent, quod perseuerent stabiliter, seu permanentemente, adhuc distinguendum est. Nam vel ex intrinseca natura sua habent, quod perseuerent in suo esse stabiliter, & perma-

nentes omninò necessariò, & absque dependentia ab aliqua causa; sicut, perseuerat solus Deus; & huiusmodi rei duratio erit æternitas: aut omninò contingenter, & dependenter à libera voluntate Dei, sicut, perseuerant omnes res permanentes creatæ, siue sint substantiæ, siue accidentia, siue spirituales, siue materiales, siue naturales, siue supernaturales: & huiusmodi rerum duratio erit æuum: quod est duratio quasi media inter æternitatem, & tempus; & in hac generalitate sic defini potest: *Est duratio entis creati stabiliter se habentis.* In hac quidem definitione aut reperies omnia à Philosophis requisita ad rectam definitionis integritatem necessaria. Apponitur pro prima conditione, videlicet, pro genere, verbum duratio; in quo tanè, conuenit æuum cum æternitate, & tempore. Et reliquæ particule ponuntur loco differentiæ: & per primam (scilicet, *entis creati*) differt ab æternitate; quæ non esse creati, sed potius entis, seu esse increati, & omninò independentis ab aliqua causa, duratio est. Et per secundam (scilicet, *stabiliter se habentis*) differt à tempore, quod etiam si sit duratio esse creati, sed non stabiliter, seu permanentemente se habentis, sed potius instabiliter, & successiue.

63 Sed quamuis ratiocinatione facta optimè ostensum sit, diuisionem durationis in tempus, æternitatem, & æuum exactam esse: siquidem nullares ex realiter existentibus excogitari potest, cuius duratio sub aliqua ex tribus assignatis non contineatur: tamen non est existimandum omnes istas species durationis, in quas duratio in communi adæquatè diuisa est, esse species infimas; nam sicut tempus (in omnium sententia) est species subalterna continens sub se tres species infimas temporis, scilicet, tempus præsens, præteritum, & futurum: sic & æuum species subalterna est continens sub se duas species æui; vnam, per quam durant res creatæ permanentes, quæ natura sua sunt indefectibiles, seu incorruptibiles: quæ sic definiri potest, *est duratio entis creati stabiliter, & indefectibiliter se habentis.* Et alteram, per quam durant res creatæ permanentes, quæ natura sua defectibiles, seu corruptibiles sunt: & sic definiri potest, *est duratio entis creati non stabiliter, sed defectibiliter se habentis: vt ratio num. 55. facta conuincit manifestè.*

64 Ex quibus omnibus patet, non solum esse verum id, quod num. 56. in gratiam antiquorum Theologorum statuumus, scilicet, tantum esse tria genera durationum, videlicet, æternitatem, tempus, &

æuum: sed etiam esse verum id, quod statuumus in gratiam Scoti, nimirum, omnia entia creata permanentia durare æuo, non obstante, quòd entia permanentia corruptibilia durant duratione specie distincta à duratione, qua durant entia creata permanentia incorruptibilia: siquidem vtraque ista species conuenit in ratione communi durationis, quæ dicitur æuum. Non secus, ac omnes fatentur, omnes motus durare tempore, non obstante, quòd motus, qui modò labitur, durat duratione specie distincta à duratione, qua durat, tam motus, qui lapsus est, quam motus, qui lapsurus est; eo quòd omnes istæ durationes conueniunt in ratione communi durationis, quæ dicitur tempus.

65 Nec obstat, quòd Scotus in 2. d. 2. quæst. 4. §. *Contra conclusionem*, & §. *Concedo conclusionem* pro viribus contendit, intellectiones Angeli, quæ etsi entia permanentia sint, sunt tamen natura sua terminabiles, seu corruptibiles, durare duratione eiusdem rationis cù duratione, qua durat ipsa substantia Angeli; quæ non solum est ens permanens, sed etiam est ens natura sua interminabile, seu incorruptibile. Et ad hoc probandum adducit pro ratione; quia terminabile, & interminabile non variant rationem durationis, si alias res du-

ran-

rantes eodem modo, scilicet, permanenter durent. Nam ibi Scotus (vt annotauit Smiling de Deo vno tract. 2. disp. 4. q. 2. num. 47.) non contèdit durare duratione eiusdem rationis in specie infima; sed eiusdem rationis in specie subalterna, qualis est æuum, & non tempus. Loquitur enim contra Henrichum, & alios contentendentes intellectiones Angelicas, eo quòd essent terminabiles, non posse durare eodè genere durationis, quo durant substantia Angeli, quæ interminabiles sunt: ac per consequens, si substantia Angeli durat æuo, intellectiones Angelicas debere non æuo, sed tempore durare. Contra istos statuit Scotus, Angelicas intellectiones non durare tempore, sed æuo: sicut & durant substantia Angelorum. Et ad hoc probandum profert rationem adductam, scilicet, ad iudicandum, an intellectiones Angelici durent æuo, sicut & Angelorum substantia, an verò tempore: nihil referre, quòd sint terminabiles, seu corruptibiles: substantia verò Angelorum interminabiles, seu incorruptibiles: quia ad differentiam temporis, & æui nihil refert ratio terminabilis, & interminabilis; sed solum attendenda est ratio durandi in suo esse permanenter, vel successiuè: quia hæc solum differentia est, quæ facit, durationem esse æuum,

vel esse tempus. Non tamen per hoc negat Scotus, intra rationem æui durationem substantia Angeli esse specie infima distinctam à duratione, qua durant intellectiones Angelicæ terminabiles, & corruptibiles: aut quòd terminabile, & interminabile, quando proueniunt ex intrinsicis naturis rerù, constituent æua specie infima distincta.

66 Est autem aduertendum in calce huius quæstionis, plures Auctores (inter quos sunt Henricus quodlib. 1. 2. quæst. 8. D. Th. 1. par. quæst. 10. art. 5. ad 1. & quæst. 53. art. 3. Caietanus, & alij recentiores Thomistæ super prædicta loca D. Th. & Capreolus in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 1.) tempus, quod est vna ex speciebus numeratis durationis, subdividere in tempus continuu, & tempus discretum. Tempus continuum appellant durationem nostrorù motuum. Tempus verò discretum durationem plurium intelligendi, aut volendi actuum eiusdem Angeli: quorum vnus alteri succedit. Itaque dicunt, plures intelligendi, aut volendi actus eiusdem Angeli, quorum vnus alteri succedit, dupliciter sumi posse, scilicet, collectiuè, & singillatim. Si collectiuè sumantur, affirmari, durationem correspondentem toti illi collectioni esse tempus discretum; tempus (ip-  
quam)

quam) quia cernuntur in ea partes priores, & posteriores, ac per consequens successio, quæ est de ratione temporis; discretum verò, quia huiusmodi partes non continuantur inter se; sicuti neque continuantur ipsius Angelii operationes. Si autem sumantur singulationes, dicunt, durationem vniuersalemque istorum actuum esse instans prædicti temporis discreti: instans (inquam) non quia statim euanescat, sicuti euanescent instantia temporis nostri ( potest enim intellectio, vel volitio Angelica coexistere diuturno tempore nostro.) Sed quia, cum sit duratio rei permanentis, non habet partes priores, & posteriores: & sic est quid indiuisibile; non fecus, ac est instans nostri temporis.

67 Sed hanc diuisionem temporis in continuum, & discretum late rejicit Scotus in 2. d. 2. q. 4: Et pro nunc impug-nari potest. Primo, quia sicuti in Angelo dari possunt plures actus intelligendi, vel volendi permanentes, & indiuisibiles in partes priores, & posteriores, quorum vnus succedat alteri, ita & in quocunque homine: ergo sicuti hi Auctores affirmant, collectionem istorum actuum in Angelo durare tempore discreto, idem affirmare cogentur de collectione similium actuum, scilicet, durare tempore discre-

to: nam non est maior ratio de vna collectione actuum, quam de alia. Ponere autem in nobis tempus discretum contrariatur Aristoteli, qui cap. de Quantitate tempus nostrum in tres species quantitatis continuæ enumerauit.

68 Secundò, & principaliter: quia positio ista temporis discreti absque vlla necessitate conficta est. Si enim res attentè inspiciatur, solum ponitur ab his Auctorebus tempus discretum, vt sit duratio collectionis plurium operationum vnus Angelii, quarum vna succedit alteri: & manifestum est, collectioni plurium operationum vnus Angelii, quarum vna succedit alteri, non correspondere vnicam durationem; sed potius collectionem plurium durationum, quibus vnaquæque operatio ex his in suo esse propriè, & intrinsecè perseverat: nã sicut vnaquæque operatio distincta est ab alia; ita vnicuique operationi sua propria, & distincta duratio assignari debet: & sicuti ex collectione omnium harum operationum non resultat vna operatio; sed congeries plurium operationum; ita neque ex collectione omnium durationum, quibus operationes istæ propriè, & intrinsecè durant, poterit resultare vna duratio; sed potius congeries plurium durationum. Quod non est speciale operationibus

An.

Angelorum; sed etiam commune operationibus nostris, quoties vna succedit alteri.

69 Solum posset quis desiderare, quoniam genere durationis ex tribus supra assignatis durent Angelorum operationes? Et distinguendum est: nã in Angelis possunt esse operationes successiuæ; (vt sunt motus locales) & permanentes; vt sunt intellectiones, & volitiones. Et adhuc istæ intellectiones, & volitiones possunt esse in duplici differentia: nam aliæ sunt natura sua interminabiles, seu incorruptibiles; vt affirmat D. Tho. quodlib. 5. q. 7. & q. 8. de veritate ar. 6. ad 7. & art. 14. ad 6. de cognitione, qua Angelus cognoscit se ipsum. Et idem opinatur de naturali cognitione, qua Angelus cognoscit Deum: atque id ipsum insinuat de naturali amore sui ipsius, & Dei. Aliæ vero sunt natura sua terminabiles, seu corruptibiles; vt sunt cæteræ cognitiones, & volitiones naturales ipsorum. Et, si sermo sit de operationibus successiuis, dicendum est, durationem propriam, & intrinsecã

ipsarum esse tempus eiusdem rationis eum nostram: nam, quod motus sint spirituales, vel materiales, non est differentia essentialis, sed materialis respectu durationis ipsorum. Si vero sit sermo de operationibus permanentibus, dicendum est cum Scoto loco citato §. *Concedo conclusionem*, earum durationem esse ævum: licet eum hoc discrimine, quod si operationes permanentes sint natura sua interminabiles, erit ævum eiusdem speciei in fine æui ævo, quo durant ipsa substantia Angelorum, cæteræque substantiæ natura sua incorruptibiles: si autem operationes permanentes, sint natura sua terminabiles, erit ævum eiusdem speciei in fine æui substantiarum corruptibiliu: nam (vt sæpè dictum est) durationes solum distinguuntur essentialiter, & specie ex diuerso modo intrinsecò perseverandi res, quarum sunt durationes, in sua actuali existentia; non verò ex eo, quod res, quarum sunt durationes, sint substantiæ, vel accidentiæ, spirituales, vel materiales.



# LIBER QUINTVS

## DE PHYSICO AVDITV, SEV auscultatione.

TEXTVS. *Mutatur autem, quod mutatur, omne, &c.*

### SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

**I**N hoc quinto libro ( qui sex continet capita ) agit Arist. de motu in ordine ad suas partes subiectiuas, seu ( quod idem est ) in ordine ad suas species: diuiditurq; in tres partes præcipuas. In prima per duo priora capita non solum docet quæ sint species mutationis, & motus; sed etiam declarat, ad quæ prædicamenta detur per se motus. In secunda per alia duo capita agit de vnitare, tam specifica, quam numerica motus. In tertia per duo posteriora disputat de contrarietate, tam motuum inter se, quam motus ad quietem comparati, & ipsarum quietum inter se.

Accedendo ad primam partem, in primo capite præmittit Arist. quamdam distinctionem, quam accomodat, tam mobili, quam motui, dicens, eorum, quæ mouentur, quædam mouentur per accidens; vt, cum ambulare musicum dicimus, quia id ambulat; cui accidit musicum esse: quædam verò mouentur ratione suæ partis; veluti cum corpus dicitur sanari, quia oculus, aut pectus sanatur: quædam denique mouentur per se; nimirum, quæ neque per accidens, neque ratione alicuius partis moueri dicuntur, sed quia ipsa primò mouentur. Item, eorum, quæ mouent, quædam mouent per accidens; vt cum dicimus, musicus sanat; quædam ratione partis; vt cum dicimus, homo percutit, quia manus eius percutit: quædam demum per se; vt cum dicimus, medicus sanat. Deinde docet, in omni motu quinque reperiri, scilicet, mouens, mobile, tempus, terminus à quo, & terminus ad quem. Et inter mobile, & terminos ponit hoc discrimen; quod mobile denominatur motum; nullus autem terminorum denominatur motus; sed est illud, à quo, vel in quod fit motus. Inter ipsos autem terminos ponit aliud discrimen, nimirum, quod motus denominatur à termino ad quem, non à termino à quo, v. g. mo-

motus, qui est à caliditate in frigiditatem, denominatur frigidificatio, non calefactio. Dubitat, an albedo (& idem est iudiciū de alijs formis, seu passionibus) motus sit? & responder, non albedinem, sed dealbationem esse motum. Quod inde probat; quia, cum ad albedinem detur motus, si albedo esset motus, ad motum daretur motus. Applicat statim distinctionem, quam in principio præmiserat, etiam terminis ad quos motus: nam quidam (inquit) est terminus motus ratione partis; vt cum dicimus albificatio est mutatio ad colorem; eo quod est mutatio ad partem subiectiuam coloris, scilicet, ad albedinem. Quidam verò est terminus per se; vt albedo in motu albificationis. Quidam demum est terminus motus per accidens, vt in dicto exemplo albificationis ratio cogniti in colore; quia accidit colori, quod cognoscatur, vt totum potentiale respectu albedinis, & aliarum suarum specierum; quando illi applicamus motum dealbationis, tanquam termino illius. Admonet, in inuestigatione specierum motus ablegandam esse mutationem per accidens, eo quod è re quauis in rem quamlibet esse possit; & in rebus omnibus reperiri: quia nihil est, quod hisce mutationibus non subiaceat: & solum esse accipiendam mutationem per se; quia hæc non in omnibus reperitur; sed solum in contrarijs, & contradictorijs: quod (inquit) potest inductione probari, accipiendo contrarietatem largè, prout se extendit ad repugnantiam, quæ est mediorum ad extrema; quia medium comparatum ad aliquod extremorum habet vicem alterius extremi; vt fulcum comparatum ad album habet vicem nigri: & è contra comparatum ad nigrum habet vicem albi. His prælibatis, vt mutationis per se species, seu partes subiectiuas explicet, duo præmittit. Primum, mutationem semper ex vno in aliud fieri; idque ipso nomine mutationis indicari, dicit: nã mutatio (inquit) *posi aliquid aliud* significat, atque adeò vnum prius, alterum posterius. Secundum, quatuor tantum combinationes posse excogitari, secundum quas aliquid dicatur, ex vno transire in aliud, & consequenter mutari, scilicet, aut ex subiecto in subiectum; aut ex subiecto in non subiectum; aut ex non subiecto in subiectum; aut ex non subiecto in non subiectum. Et explicat, quid intelligat per subiectum, dicens, se intelligere id, quod affirmatione declaratur, vt album, nigrum, ex quo, & in quod fit transitus. Hinc infert, tantum esse tres species mutationis, scilicet, illam, quæ est ex subiecto in subiectum; & illam, quæ est ex subiecto in non subiectum; & illam, quæ est ex non subiecto in subiectum: nam illa, quæ fingitur ex non subiecto in non subiectum, nõ est

mutatio; nam non est inter opposita, neque contrariè, neque contradictoriè. Et explicans quales sint illæ species mutationis, subdit, quòd illa, quæ est ex non subiecto in subiectum, dicitur generatio; illa verò, quæ est ex subiecto in non subiectum, dicitur corruptio: & utramque istam mutationem diuidit in generationem, & corruptionem simpliciter, & in generationem, & corruptionem secundum quid; appellans generationem, & corruptionem simpliciter illas mutationes, in quibus gignitur, vel corrumpitur ens simpliciter, nimirum, generationem, & corruptionem substantialem: & generationem, & corruptionem secundum quid illas mutationes, in quibus gignitur, vel corrumpitur ens secundum quid, nimirum, generationem, & corruptionem accidentalem. Probat deinde duplici ratione generationem simpliciter, siue substantialem non esse motum: & ut priorem conficiat, prius supponit, non ens trifariam accipi. Primo pro eo, quod non est in rebus, sed in sola operatione intellectus componentis, vel diuidentis, ut hominem esse belluam. Secundo pro illo, quod etiam si sit in rebus, est tamen pura potentia nullum includens actum formalem; qua ratione materia prima dicitur non ens. Tertio accipitur non simpliciter, sed cum addito; ut cum dicimus non album, non bonum, & hoc pacto, quod est ens simpliciter potest appellari non ens; nam homo est ens simpliciter, & tamen potest appellari esse non albus, aut non bonus. Modò sic ratiocinatur. Non ens primo modo moueri non potest; (ut perspicuum est) neque etiam non ens secundo modo; quia, ut aliquid moueatur, oportet, quòd simpliciter sit, & consequenter in actu, & non in pura potentia; non ens tertio modo moueri potest accidentaliter; quia bene stat, quòd aliquid sit simpliciter ens, & quòd sit non album, vel non bonum: cum autem id, quod gignitur simpliciter, ante generationem sit non ens secundo modo, sequitur, id, quod generatur simpliciter, non moueri; & consequenter generationem substantialem non esse motum. Secunda ratio, quam ad hoc ipsum probandum conficit, talis est. Ea quæ alios motus subeunt, possunt etiam per se lationem subire, & similiter per se quiescere; atque adeo per se continentur à loco: sed materia prima, quæ est subiectum generationis substantialis, non est per se in loco: igitur neque per se moueri poterit: atque adeo generatio simpliciter, quæ habet pro subiecto materiam primam, non est motus. Probat similiter, corruptionem substantialem, non esse motum, ex eo quòd aliàs generatio ei contraria esset motus, vel quies; siquidem motui non nisi motus, vel quies aduersatur: constat au-

tem

tem ex dictis, generationem substantialem, neque esse motum, neque quietem. Hinc colligit, solam mutationem, quæ est ex subiecto in subiectum, esse motum: quod probat; quia, cum motus sit species mutationis, & tantum sint tres species mutationis, ex quibus generatio, quæ est mutatio ex non subiecto in subiectum; & corruptio, quæ est mutatio ex subiecto in non subiectum, motus non sint, (ut probatum est) necessarium est, quòd sola mutatio, quæ est ex subiecto in subiectum, sit motus. Et explicans, quid intelligat nomine subiecti, dicit, se intelligere, non solum extrema contraria, sed etiam media inter contraria, imo & priuatiua; non tamen quæ substantiæ, sed quæ accidentis priuationem invehunt (ut annotauit Simplicius.) Et reddit pro ratione, quia non solum album, & nigrum, sed etiam medium affirmatione declaratur. Et explicans, ad quæ prædicamenta per se sit hæc vltima mutatio, quæ solum dicitur motus, docet, quòd ad tria tantum, scilicet, ad quantitatem, ad qualitatem, & ad *vbi*: ac per consequens tantum esse tres species motus propriè sumpti, scilicet, augmentationem, (quæ est motus ad quantitatem) alterationem; (quæ est motus ad qualitatem) & lationem, quæ est motus ad *vbi*. In secundo capite pluribus rationibus declarat, & confirmat Aristot. id, quod ad calcem præcedentis capituli statuerat, scilicet, ad nullum prædicamentum dari per se motum per se sumptum, præterquam ad illa tria, scilicet, quantitatem, qualitatem, & *vbi*. Quas rationes consultò omitto, quia in disputationibus adducendæ, & explicandæ sunt.

Accedendo ad secundam partem. In tertio capite ad vberiore intelligentiam eorum, quæ ab ipso in reliquis capitulis tractanda sunt, exponit Aristot. hos terminos *simul*, *separatim*, *tangere*, *intermedium*, *consequenter*, *contiguum*, & *continuum*. Et similiter declarat, quibus singula hæc congruere apta sint, dicens; *loco simul* ea dicuntur, quæ in vno primo sunt loco, *separatim* autem, quæ in diuersis; *se tangere*, quorum extrema sunt simul, ita ut inter ipsa, nihil sit interiectum; *intermedium* id, in quod necesse est, id, quod continetur mouetur, prius deuenire, quam extremum attingat. Et explicans, quid sit *continenter moueri*, dicit, idem esse, ac nihil, vel minimum intermittere, non quidem temporis, sed magnitudinis, super quam fit motus. Et quia extrema cuiuscumque motus contraria esse, docuerat, statim exponit, quo pacto se habeat contrarietas in lationibus dicens, ea loca esse contraria, quæ recta linea plurimum inter se distant: maximam verò distantiam idcirco à recta linea, non verò à curva sumenda esse: quia oportet, mensuram esse quid certum, ac

Q3

defi-

definitum: quod soli rectæ lineæ, quæ inter duo puncta ex æquo producit. conuenire potest; & insuper est omnium breuissima; nam lineæ curuæ, quæ inter prædicta puncta extrahi possunt, maiores sunt, & inæquales inter se, & consequenter incertæ, & indefinitæ: *Consequenter*, seu (vt alij vertunt) *deinceps* dicuntur ea, inter quæ nihil eiusdem generis est medium; vt milites ordinati in bello: *Contiguum*, seu (vt alij vertunt) *hærens* est illud, quod ita consequitur, seu deinceps sequitur, vt tangat id, quod sequitur. Quia verò de intermedio egit, subdit, in contrarijs dari intermedia, vt caruleum inter album, & nigrum; non tamen dari medium inter contradictoria: *Continua* tandem dicit esse, quorum extrema vna sunt: quo pacto se habent duæ partes eiusdem lineæ, quæ ad vnum commune punctum copulantur. Deinde comparat inter se hos modos, *consequenter*, *tangere*, & *continuum*; & docet; se habere sicut superius, & inferius: nam omne, quod tangit, *consequenter* est, non tamen è contra; nam numeri sunt *consequenter*, non tamen vna species numerorum tangit aliam: item omne continuum tangit; non tamen è contra; nam contigua tangunt se, non tamen sunt continua, quia eorum extrema non sunt vnum, sed multa: evadent autem continua, si eorum extrema fiant vnum. Et hunc colligit, continuum & natura, & ortu. postremum esse. Docet præterea, punctum, & vnitatem, siue separata sint, (vt quidam finxerunt) siue non, nequaquam idem esse: ponitque inter illa discrimen, quòd vnitatis competit, consequenter se habere, non verò se tangere; sicut conuenire potest punctis. Item, quòd inter puncta eiusdem lineæ semper aliquid est interiectum, scilicet, pars lineæ: quòd non reperitur in vnitatis, neque enim inter vnum, & duo cadit aliquid.

In quarto capite docet, motum totidem modis dici, quot vnum, nempe, vnum genere, vnum specie, vnum numero. Illi motus sunt vnum genere, qui sunt ad formas eiusdem categoriæ; vt omnes alterationes; omnes motus locales. Illi verò motus sunt eiusdem speciei infimæ, qui sunt ad formas, quæ in specie infima conueniunt; vt omnes dealbationes. Et demum illi motus sunt eiusdem speciei subalternæ, qui sunt ad formas, quæ conueniunt in specie subalternæ; vt dealbationes, & denigrationes, sed obijcit contra prædicta, quòd si vnitatis specifica termini sufficeret ad hoc, vt motus essent in specie vnum, sequeretur, motum circulem, & rectum, cum vterque ab eodem puncto ad idem punctum per diuersas lineas sit, eiusdem fore speciei, & idem contingeret in volutione, & deambulatione, si ab eodẽ loco in eundem

dem tendant: quòd videtur absurdum. Respondet, lationes non solum à terminis, sed etiam à modo mouendi, seu tendendi in terminos specificationem sumere; quare, cum rectum, & obliquum, circulari spatio differant, etiam motum circulem, & rectum; volutionem, & deambulationem, etiam quando sunt inter eosdem terminos, specie differre. Deinde explicat, quæ requirantur ad vnitatem simpliciter motus, id est, ad hoc, vt vnum numero sit. Et docet, quòd tria simul requiruntur, scilicet, vt forma, ad quam acceditur, sit vna numero; & tempus vnum sit, id est, nulla fiat temporis intermissio, quæ fieri solet interiecta quiete: & quòd mobile sit vnum, non ex accidenti, sed per se; nõ commune, sed singulare. Mouet deinde duas dubitationes. Prima est, si Socrates nunc alteretur ad aliquam qualitatem, & ista corrupta, postea in alio tempore alteretur ad qualitatem eiusdem speciei; an iste alterationes dicendæ sint vnus numero motus? Respondet, quòd si fieri possit, vt id, quòd semel euauit, idẽ numero redeat, huiusmodi alteratio potest esse idem numero motus. Secunda dubitatio est, sit ne eadem numero valetudo, qua quis potitur hodie, & cras? Et mouetur ad hoc dubitandum propter opinionem Heracliti, qui ponebat, omnia esse in continuo fluxu; nam, si hoc non obstante, eadem numero perseverat, nihil videtur causæ esse, cur etsi intereat, eadem numero generetur. Respondet, adhuc admissio, quòd omnia essent in continuo fluxu (vt asserbat Heraclitus) dicendum esse, prædictam valetudinem esse eandem numero; nam ad vnitatem successiuorum, & quæ sunt in continuo fluxu, non est necessarium, quòd omnes partes simul maneant; sed quòd a continuo, & sine quiete transeant. Neque ex hoc sequitur, quòd, si valetudo intereat, & postea regeneretur, sit eadem numero valetudo; nam deficeret continuitas, quæ ad vnitatem successiuorum requisita est per se. Vterius progreditur ad vberius explicandum illa, quæ ad vnitatem numeralem motus concurrunt, & dicit, quòd, etiam si omnis motus sit continuus; nam est diuisibilis in semper diuisibilia; solum tamen illi sunt vnus numero, qui vno communi termino copulantur: non enim (inquit) omnis motus cum alio continuari, seu communi termino copulari potest: nam quidam terminos, seu extrema non obtinent: alij verò etsi habeant, huiusmodi tamen sunt, vt in vnum coire nequeant, vt sunt extrema deambulationis, & febricitationis, & in vniuersum extrema motuum diuersarum specierum. Sed quamuis motus diuersarum specierum non possint continuari, docet tamen posse diu coherentes, aut consequenter se habentes,

quoties vnus ita alterum subsequitur, vt nulla media quiete interrumpatur, vt si mox ac aliquis cucurrit, febricitaret. Vnde colligit, ad continuitatem motus necessario simul requiri, quod sit idem motus in specie, quod sit idem mobile, & quod sit tempus idem, nec vlla quietis mora intercedat. Alijs duobus modis motum posse dici vnum docet præterea Aristot. Primò, quatenus perfectionem suę naturę debitam, & congruentem habet: nam bonum, siue perfectum, & vnum; imò & totum perpetuò se se in his, alijsque rebus comitantur. Quod si motus sit imperfectus, admonet Aristot. non obstare hanc imperfectionem, seu defectum vnitatis ad hoc, vt absolutè motus dicatur vnus, si aliàs continuus sit. Secundò, quatenus æquialitatem, seu regularitatem seruat: vt enim motus, qui modò tardior est, modò velocior, ob hanc partium dissimilitudinem minus est vnus; ita, qui toto decursu vniformitatem, & regularitatem seruat, magis est vnus. Et explicans, in quibus motibus hæc regularitas, vel irregularitas, ex quibus maior, vel minor vnitas resultat in motibus, reperitur, docet, in omnibus motibus reperiri; in motu locali, tam recto, quàm circulari; in augmentatione, & diminutione; & etiam in aiteratione. Adducit causas irregularitatis in motu dicens, primò provenire ex inæqualitate illius, in quo fit motus. Secundò ex augmento, vel diminutione potentie mouentis, manente eadem resistentia. Tertiò ex augmento, vel diminutione resistentie, manente eadem potentia. Et isti tres modi reducuntur ab vnum, qui provenit ex velocitate, & tarditate: nam ille motus dicitur irregularis, cuius in vna parte temporis motus est velocior, quàm in alia. Hinc infert duo consectaria. Primum est, celeritatem, & tarditatem, neque esse species motus, neque ipsorum essentialia differentias. Quod ex eo concludit, quia in omni motu permiscuè reperiri queunt. Secundum est, neque etiam distinguuntur specie gravitatem, qua aliquis celeriter tendit ad locum infimum, à gravitate, qua aliquis ad eundem locum tardè mouetur. Et concludit aduertendo, et si irregularitatem faciat, quod motus minus participet de vnitatis, quàm regularis; nò tamè impedire, quod absolutè dicatur vnus, si aliàs continuus sit.

Accedendo ad tertiam partem. In quinto capite enumerat quinque modos, quibus motus inter se comparati contrarij videri possunt, vt ex his veram contrarietatem inter motus eligat, dicens, quod, cum motus non sint ad inuicem contrarij, nec ratione tēporis, nec ratione subiecti, in quo fiunt, necesse est, quod sint

sint ad inuicem contrarij ratione terminorum. Quod quinque modis (inquit) ex cogitari potest. Primo, quia terminus à quo vnus motus est idem cum termino ad quem alterius; vt motus à sanitate, & motus ad sanitatem; quales etiam videntur esse generatio, & corruptio. Secundò, quia terminus à quo vnus motus est contrarius termino à quo alterius, vt motus à sanitate, & motus à morbo. Tertiò, quia terminus ad quem vnus motus est contrarius termino ad quem alterius; vt motus ad sanitatem, & motus ad morbum. Quarto, quia terminus à quo vnus est contrarius termino ad quem alterius; vt motus à sanitate, & motus ad morbum. Quinto, quia tam terminus à quo, quàm terminus ad quem vnus sunt contrarij terminis à quo, & ad quem alterius; vt motus à sanitate in morbum, & motus à morbo in sanitatem. His quinque modis enumeratis, primò docet, si motus quarto modo se habeant, non esse contrarios. Et probat, quia eidem motui conuenit habere terminum à quo contrarium termino ad quem idè enim motus est, quo Socrates ab ægritudine liberatur, & quo sanitatem comparat, differens tantum ratione; quia est corruptio ægritudinis, & generatio sanitatis. Secundò docet, si motus secundo modo se habeant, nò esse cōtrarios; nò quia reuera cōtrarij non sint, sed quia non ideo cōtrarij censeri debent, quod ex contrarijs proficiscantur, sed potius, quod in contraria tēdāt. Idque ex eo cōfirmat, quia à contrarij terminis dari potest progressus, & ad terminos per se cōtrarios, & ad mediū. In quibus innuit, motus à cōtrarijs in mediū nò esse contrarios. Sed de hoc dicit, postea esse tractaturū, scilicet, text. 52. Deindè quia moueri à cōtrarijs est cōtraria abijcere; ad ea vero terminari est ea assumere; cōtrarietas autè ex his, quæ assumuntur, pēfanda est. Et demū, quia motus sicut à terminis, in quos desinit, nomē accipiūt, ita & quod ex eis dē cōtrarij, vel nò contrarij iudicātur, cōsentaneū erit. Tertiò (silentiō premens primā motu cōiugationem; quippe de ipsa paulò post erat acturus, scilicet, text. 51.) dicit, superesse iudicare de motibus tertiò, & quinto modo dispositis, nimirū, de illis, qui in cōtraria desinūt; & de illis, quis è cōtrarijs in cōtraria tēdūt; & docet, hæc duo mēbra ad vnū duci, quia motus, qui sunt in contraria, aut nò sunt motus; sed mutationes, aut, si motus sunt, necessario oriuntur à contrarijs; siquidem hoc interest inter motum, & mutationē, quod motus à cōtrario, mutatio verò à cōtradiciente inchoetur: ac per consequens eos, dūtaxat motus esse cōtrarios, qui è cōtrarij terminis in cōtrarios tēdūt; vt ægrotatio, & sanatio: ægrotatio nāq; è sanitate in ægritudinē; sanatio ex ægritudine in sanitatē abit. Et probat dupliciter. Primò

quia motus determinat sibi, quod sit de subiecto in subiectum: (vt dictum est supra) ergo solum illi motus sunt contrarij, qui sunt à subiectis contrarijs ad subiecta contraria. Secundò probat inductione; nam morbo corripì, & sanari contraria sunt: & similiter addiscere per se ipsum est contrarium decipi per se ipsum: & addiscere per alium est contrarium decipi per alium: & latio, quæ in superum locum, est contraria ei lationi, quæ est in inferum: hæc enim in longitudine sunt contraria: item latio, quæ dextrum versus, lationi, quæ sinistrum versus; cum hæc in latitudine contraria habeantur: & rursus latio, quæ est in locum anteriorem, lationi, quæ in posteriorem; nam hæc in altitudine contraria sunt. Quartò docet, etsi prima coniugatio non contineat eam contrarietatem, quæ motus contrarios reddat, sufficere tamè ad mutationes contrarias constituendas. Itaque cum duæ mutationes sic se habent, vt terminus à quo vnus sit terminus ad quem alterius contrariæ sunt; vt corruptio, & generatio hominis: hæc enim tedit ex non homine in hominem; illa ex homine in non hominem. Demum determinat de contrarietate motuum, qui sunt ab extremis ad medium, aut ex medio ad extrema: & dicit, quod eodem modo illi motus sunt contrarij, quemadmodum & illi, qui sunt ab extremo ad extremum: nam medium comparatum ad extremum habet vicem alterius extremi (vt prius dictum est) v. g. fuscum comparatum ad album habet vicem nigri, & comparatum ad nigrum habet vicem albi.

In sexto, & vltimo capite docet, non solum vnum motum esse contrarium alteri motui; sed etiam motum esse contrarium quieti, licet diuersimodè: nã quies, cum sit priuatio motus, non nisi priuatiuè motui contrariatur; vnus autem motus contrariatur alteri perfecta contrarietate; cum vterque sit quid positium. Et explicans, cui quieti motus contrarietur, docet, contrariari quieti, quæ est in termino à quo motus, nõ verò quieti, quæ est in termino ad quem, v. g. si motus est ab albo in nigrum, motus hic contrariatur quieti, quæ erat in albedine, nõ verò quieti, quæ est in nigredine: nam quies, quæ erat in albedine est, quæ per hunc motum destruitur, nam, quæ est in nigredine potius per hunc motum perficitur. Deinde docet, etiam vnã quietem esse contrariam alteri: & reddit pro ratione, quia si motus, quibus ab eis, vel ad eas itur, contrarij inter se sunt, absurdum erit dicere, quod etiam & quietes inter se non opponantur. Et explicans, quæ quietes inter se contrariae sunt, dicit, quod in motibus contrarijs quies, quæ est in termino à quo vnus motus, non est contraria quieti, quæ est in termino ad quem alterius motus (sicuti neque contrariatur terminus

à quo vnus motus, & terminus ad quem alterius motus contrarij, sed potius sunt idem; vt videre est in sanitate, & ægrotatione) sed contrariari quietem, quæ est in termino ad quem alterius motus contrarij; & similiter quietem, quæ est in termino à quo vnus motus contrarij, & quietem, quæ est in termino à quo alterius motus contrarij. Et in vniuersum in vno motu quietem, quæ est in termino à quo contrariari quieti, quæ est in termino ad quem eiusdem motus. Dubitat statim, quæ quies contrarietur mutationi? Et prius supponit, terminum à quo mutationis, etsi sit quid priuatiuum, tam ipsius mutationis, quam termini ad quem ipsius, non esse appellandum quietem, sed immutationem. Quo presuppósito respondet, quod, etiam si immutatio, quæ est in termino à quo mutationis, contrarietur ipsi mutationi, non secus, ac quies, quæ est in termino à quo motus contrariatur ipsi motui, nulla tamen quies contrariatur mutationi. Et probat, quia omne illud, cui contrariatur quies, vel est motus, vel quies: (vt patet ex dictis) sed mutatio neque est motus, neque quies: ergo nulla quies contrariatur mutationi. Vt aliam contrarietatem motuum, & quietum, quæ ex ratione naturalis, & violenti ortum habet, aperiat, Arist. in quaestionem vocat, vtrum sicut in lationibus contingit, quod quædam sint naturales, vt cum lapis tendit deorsum, & ignis sursum; quædam verò violentæ, vt cum lapis ascendit sursum, & ignis descendit deorsum; idem etiam contingat in alijs motibus, atque etiam in mutationibus, vt sunt generationes substantiæ? Et primum disputat in partem negatiuam singillatim expendendo mutationum genera, in quibus nulla videtur reperiri ratio, cur non omnes secundum naturam exillimari debeant. Quo non obstante determinat, etiam in alijs motibus, præter lationem, & etiam in mutationibus dari quosdam naturæ consentaneos; & alios contra naturam, seu violentos. Quod inductione probat; nam in generationibus quædam dantur naturales, (vt perspicuum est) & quædam violentæ, & contra naturam; vt si in hyeme propter inordinationem temporum generarentur flores: similiter in interitu; nam alius est interitus naturalis, vt qui fit ex senio; & alius violentus, vt qui fit ex interfectione, vel combustione: item in augmentatione, & diminutione; datur enim augmentatio, & diminutio naturalis, scilicet, quoties viuens, tam in accretione, quam in diminutione leges crementi, & incrementi a natura stabilitas obseruat: & similiter datur augmentatio, & diminutio contra naturam, & violenter, vt cum quis nimio cibo, & deliciarum affluencia ad magnitudinem nõdum ætati congruentem pergit; vel è contra, cum quis, vr-

urgente morbo, debilitatur, & corpus eius à magnitudine, vel grossitie sibi naturaliter debita discedit. Et demum in alteratione; nam sanatio est naturalis (ait Aristot.) si fiat in diebus criticis; & contra naturam, seu violenta, si in diebus nō criticis eueniat. Hoc supposito, docet, contrarietatem, quæ ex ratione naturalitatis, & violentiæ ortum habet, reperiri non solum inter motus, vel mutationes, sed etiam inter ipsas quietes. Quod inductione probat, & declarat. Primò in mutationibus; nam corruptio naturalis, & corruptio violenta hoc modo contrariantur, etiam si simpliciter; id est, ratione terminorum non contrariantur. Secundò in motibus; nam motus, quo ignis tendit sursum, contrariatur motui, quo idem ignis deprimitur deorsum, non solum simpliciter, & ratione terminorum, sed etiam ratione naturalitatis, & violentiæ; cum primus sit naturalis, & secundus violentus. Tertiò in quietibus; nam in vniuersam, quies in termino *ad quem* motus naturalis contrariatur quieti in termino *ad quem* motus violenti; v.g. quies, quæ est in igne in loco sursum, cōtrariatur hoc genere contrarietatis quieti, quæ est in eodem igne in loco deorsum: cum prima sit naturalis, & secunda violenta. Ponit deinde quamdam dubitationem, nimirum, vtrum omnis quies, quæ non semper est, sed modo conuenit rei, modo non, generetur? & arguit, quòd sic; quia omnis illius, quòd aliquando est, aliquando non est, est generatio. Respondet huic dubitationi, etsi omnis quies, quæ non semper est, verè generetur; non tamen generationem cuiuscumque quietis esse viam ad statum, seu (quod idem est) esse generationem naturalem. Quod probat. Primò, quia, cum lapis, v.g. mouetur sursum, lapis non dicit inclinationem ad quietem sursum: ergo generatio illius quietis non debet via ad statum, seu (quod idem est) generatio naturalis appellari. Maiorem probat, quia mobile, quòd inclinatur ad quietem, velocius mouetur in fine, quam in principio; quòd non competit lapidi, cum mouetur sursum. Secundò probat, quia mobile nunquam in statum pergit, seu (quòd idem est) tendit in quietem naturaliter, nisi moueatur ad suum locum naturalem; sed quando lapis ascendit sursum, non mouetur ad suum locum naturalem: ergo generatio quietis, quam habet lapis in loco sursum, non est via ad statum, seu (quòd idem est) non est generatio naturalis quietis. Demum contra ea, quæ supra statuerat, scilicet, motum contrariari quieti, quæ est in termino à quo ipsius, insurgit Aristot. Videtur enim esse falsum; siquidem quies,

quies, quæ est in termino à quo motus, simul est cum ipso motu: & tamen contraria non possunt esse simul. Respondet, etsi quies, quæ est in termino à quo motus, secundum aliquam partem sui sit simul cum aliqua parte motus: nam, quòd calefit, non confestim totam frigiditatem amittit, sicuti neque totam caliditatem recipit, sed sensim, & gradatim; sicque interim, dum mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino *ad quem*; & consequenter partim sub quiete, & partim sub motu; tamen quietem secundum se totam non esse simul cum motu: & hoc sufficere ad hoc, vt quies, quæ est in termino à quo motus, contrarietur ipsi motui; licet non tanta contrarietate, ac contrariantur duo motus contrarij, quibus non possunt esse simul, neque secundum se totos, neque secundum aliquas ipsorum partes. Et hæc in litera totius quinti libri.

### ANNOTATIONES CIRCA litteram huius libri.

I. **C**IRCA ea, quæ Aristot. docet in primo capite huius libri, aliqua adnotanda sunt. Primò notandum est, quando Aristot. dicit, quamdam mutationem fieri, *ex non subiecto in subiectum*, & quamdam *ex subiecto in non subiectum, per non subiectum* intelligere id, quòd negatione, seu priuatione declaratur: nam, si per *subiectum* (vt ipsemet exposuit) intelligitur id, quòd affirmatione declaratur, consequens est, vt per *non subiectum* id, quòd non affirmatione, sed potius negatione, seu priuatione declaratur, veniat intelligendum.

2. Secundò annotandum est, *non subiectum* dupliciter sumi posse. Primò pro priuatione entis simpliciter, vt non homo; non ignis, &c. Secundò pro priuatione entis secundum quid, vt non album, non nigrum, &c. Est autem notandum discrimen inter *non subiectum* sumptum primo, & sumptum secundo modo: nam sumptum primo modo, cum sit priuatio entis simpliciter, simpliciter, & absolute dicitur *non subiectum*: at sumptum secundo modo, cum solum sit priuatio entis secundum quid, quæ (vt optime ipsemet Arist. aduertit) benè compatitur cū affirmatione entis simpliciter. (Homo enim est ens simpliciter, & tamē potest esse non albus, vel non niger) etsi secundum quid possit dici non subiectum; (vt de facto dictū est ab Arist. cum generationem accidentalem mutationem ex nō subiecto in subiectum appellauit) eo quòd secundum quid nō affirmatione, sed priuatione

tione declaratur: tamen simpliciter, & absolute debet *subiectum* appellari; eo quod simpliciter, & absolute affirmatione declaratur: nam *non album*, v. g. omnes declarant esse subiectum carens albedine; quæ declaratio est affirmatio entis simpliciter, & solum negatio, seu priuatio entis secundum quid. Et hæc est ratio, quare Aristot. postquam in fine primi capituli docuit, ad motum propriè sumptum esse necessarium, quod sit mutatio ex subiecto in subiectum, statim explicans, quid ipse intelligat nomine subiecti inter subiecta enumerat omnia priuatiua, quæ solum entis secundum quid priuationem inuehunt; vt sunt non album; non lucidum; & in vniuersam omne subiectum nudum qualitibus.

3 Tertiò annotandum est, apud Aristot. non esse idem, mutationem fieri ex subiecto in subiectum; & mutationem fieri ex contrario in contrarium: nam mutationes, quæ fiunt ex priuatione formæ accidentalis in prædictam formam accidentalem (vt sunt quæ fiunt ex non albo in album, & ex non lucido in lucidum) iuxta doctrinam Aristot. numero præcedenti traditam, simpliciter, & absolute dicuntur fieri ex subiecto in subiectum; & tamen non dicuntur fieri ex contrario in contrarium; sed ex contradictorio in contradictorium. Quod si roges, quid requiratur ad hoc, vt mutatio dicatur fieri ex contrario in contrarium? Respondeo ex Scoto quest. 4. super hunc 5. Physic. per se requiri, vt sit mutatio à termino positiuo in terminum positiuum, inter quos mediet aliqua distantia, siue situalis, siue formalis, quæ naturaliter petat, non subito, sed successiue per dictam mutationem pertransire.

4 Circa tertiam illam diuisionem, qua Aristot. in primo etiam capite diuidit terminum motus in terminum motus ratione partis, & in terminum motus per accidens, & in terminum motus per se, annotandum est, hanc diuisionem Philosophum attulisse, vt constaret, non omnia prædicamenta terminare motum per se; sed esse aliqua, quæ per se motum terminant, & aliqua, quæ nullo modo motum terminant, & aliqua, quæ solum terminant per accidens, & per consequens, cum motus distinguantur genere, vel specie ex diuersitate generica, vel specifica terminorum non per accidens, sed per se ipsos (vt cap. 4. fusè probat Aristot.) necessarium fuisse Philosopho ad dijudicandum, quinam sint motus genere, seu prædicamento diuersi, inuestigare prius, quænam sint prædicamenta, quæ per se motum terminant; quænam verò, quæ nullo modo terminant; & quænam, quæ solum terminant per accidens. Quod non solum ipse præstitit in fine præ-

prædicti capituli, sed etiam capite secundo multis rationibus comprobauit, affirmans, tantum esse tria prædicamenta, quæ per se motum terminant, scilicet, quantitatem, qualitatem, & vbi; & consequenter tantum esse tres species, seu tria genera motuum, scilicet, augmentationem, alterationem, & lationem; reliqua verò prædicamenta, vel non terminare motum, (vt de substantia, actione, & passione docuit) vel, si motum terminant, solum illum terminare per accidens; vt ex præse docuit, & probauit de prædicamento *Ad aliquid*. Cur autem de alijs tribus prædicamentis, quæ supersunt, scilicet, de *situ habere*, & *quando*, idem non ex præserit, nec probauerit, in disputationibus aperiam.

5 Dubitat autem Martinez in illustratione primi, & secundi capituli huius libri *discutiendo* 2. quidnam per se requiratur ad hoc, vt aliquid dicatur terminare motum per accidens? Cui dubitationi respondet, per se requiri, vt ab illo, quod dicitur terminus per accidens motus, mobile non intrinsecè, sed extrinsecè afficiatur. Et probat ex Aristot. qui adducens exemplum termini per accidens in motu dealbationis dixit, terminum per accidens in motu dealbationis esse, esse cognitum colorem: nã esse cognitum non aliquid intrinsecum, neque in ipso colore, neque in subiecto dealbationis importat, sed meram denominationem extrinsecam. Vnde cum Aristot. relationes, quæ ad prædicamentum *Ad aliquid* spectant inter terminos per accidens motus enumerauerit, consequenter infert Martinez, secundum Aristotel. relationes istas non esse constituendas in aliquo respectu, qui realiter, & intrinsecè ipsum relatum afficiat (sicut docent communiter Doctores) sed in quadam denominatione extrinseca; sicut ipse Martinez in sua Logica iam statuerat.

6 Sed nobis dicendum est, ad hoc, vt aliquid dicatur terminare motum per accidens, solum per se requiri, quod per accidens comitetur terminum per se motus: quod autem non intrinsecè, sed extrinsecè afficiat, tam terminum per se motus, quam ipsum mobile, etsi conuenire optimè possit termino per accidens motus; (vt patet in exemplo cogniti coloris respectu motus dealbationis, quo vsus est Aristot. eo quod in ipso manifestius erat, motum non posse ad ipsum, nisi per accidens terminari: & similiter in exemplo relationis similitudinis, quæ resultat in albo præexistente, ex eo, quod aliud corpus de nouo ad esse aibi moueatur, quo etiam vsus est Aristot. ad probandum, relationes, non per se, sed per accidens motum terminare) non tamen esse conditionem per se, & necessariò requisitam, sed posse optimè terminum per accidens alicuius motus, tam ipsam terminum per se

se motus, quàm ipsum mobile, licet per accidens, intrinsecè tamen afficere, vt patet in relatione similitudinis, quæ resultat in corpore, quod de nouo ad esse albi mouetur, & terminatur ad aliud corpus album præexistens; ad quam motus dealbationis non per se, sed per accidens terminatur: & tamen prædicta relatio (in Peripatetica doctrina, quam in Logica, capite de *Ad aliquid* statuimus) non in aliqua denominatione extrinseca, sed in respectu reali intrinsecè inhærente, & afficiente ipsum album, quod est terminus per se motus dealbationis consistit.

7 Hæc est, meo videri, termini per accidens motus communis omnium Doctorum intelligentia. Nam sicut omnes Doctores ad rationem mouentis per accidens, per se non exposcunt, quod mouens per accidens extrinsecè, & non intrinsecè afficiat ipsum mouens per se (aliàs album non per accidens; sed per se ædificaret, quia albedo non extrinsecè, sed intrinsecè afficit ipsum ædificatorem.) Sed quod per se requirunt, est, quod per accidens sit coniunctum cum mouente per se. Et similiter sicut omnes Doctores ad rationem mobilis per accidens, per se non exposcunt; quod mobile per accidens, extrinsecè, & non intrinsecè afficiat ipsum mobile per se (aliàs album non per accidens, sed per se moueretur ad sanitatem, quia albedo non extrinsecè, sed intrinsecè afficit ipsum animal, quod per se sanatur.) Sed quod per se requirunt, est, quod per accidens sit coniunctum cum ipso mobili per se: ita ad rationem termini per accidens nullus vnquam per se requirit, quod prædictus terminus per se motus, & consequenter ipsum mobile, sed quod omnes per se requirunt, est, quod per accidens comiteatur ipsum terminum per se motus; siue intrinsecè, siue extrinsecè ipsum afficiendo. Lege Scotum hic quæst. 5. §. *Sed dubitatur.*

8 Et confirmari potest ex ipso Aristotele, qui postquam adduxit pro exemplo termini per accidens motum dealbationis esse cognitum in colore, reddens rationem, ob quam esse cognitio competat ratio termini per accidens in prædicta dealbatione, non assignauit pro ratione id, quod exposcunt Martinez, scilicet, quia esse cognitum non intrinsecè, sed extrinsecè afficiat ipsum mobile; sed quod adducit pro ratione, & causa, est id, quod nos exposcimus, scilicet, quia colori qui est terminus per se licet non ratione sui, saltem ratione suæ partis) ipsius motus dealbationis, accidit esse cognitum. Verba Aristotele sunt: *Id autem, quod dealbatur, ad id quidem, quod intelligitur, mutatur per accidens: color enim*

*enim* (causalem pondera) accidit, quod intelligatur. Ex quibus colliges, quàm falso nixus fundamento intulit Martinez ex eo, quod Aristoteles doceat in his duobus prioribus capitulis, ad relationes tertij prædicamenti non dari per se motum, sed potius per accidens, iuxta mentem Aristotele asserendum esse, relationes tertij prædicamenti non in aliquo respectu reali, & intrinsecè, sed potius in denominationibus extrinsecis esse constituendas. Siquidem optimè compatitur, quod aliquid sit terminus per accidens affectus motus, & quod nihilominus terminus per se illius motus, & consequenter ipsum mobile, etsi per accidens, non tamen extrinsecè, sed intrinsecè afficiat, & denominet.

9 Circa id, quod docet Aristoteles cap. 6. scilicet, vnam quietem contrariari alteri, dubium est, quo pacto possit hoc verificari, cum quietes nihil aliud sint, quàm priuationes motus; & manifestum sit, duas priuationes non posse ad inuicem contrariari; quia neque contrarietate propria; quia hæc solum reperitur inter extrema positiua; neque contrarietate impropria, qualis est, quæ reperitur inter opposita priuatiuè; quia ad hanc oppositionem requiritur, quod vnum extremum sit quid positiuum.

10 Respondetur, quietem dupliciter sumi posse. Primò priuatiuè, scilicet, pro priuatione motus: qua ratione sumpsit quietem Aristoteles cum in hoc capite 6. docuit, motum priuatiuè contrariari quieti, quæ est in termino à quo eius. Secundò positiuè, scilicet, pro dispositione illa, secundum quam mobile quiescit in altero terminorum motus: qua ratione diximus lib. 2. huius operis disp. 1. quæst. 2. num. 15. sumpsisse Aristoteles quietem, cum in definitione naturæ dicit, esse principium & causam motus, & quietis. Et in hoc sensu (vt optimè annotauit Scotus in expositione textus 54. huius libri) sumpsit Aristoteles quietem, cum dicit in littera, vnam quietem contrariari alteri quieti.

11 Circa litteram huius libri duo disputanda veniunt. Prima disputatio erit de numero generum, seu specierum motus. Secunda de unitate, & contrarietate motuum. In prima includemus ea, quæ Aristoteles docet in duobus prioribus capitulis. In secunda, quæ in quatuor posterioribus capitulis edocuit.



## DISPUTATIO PRIMA.

## De numero generum, seu specierum motus.

**V**T explicemus, quot sunt genera, seu species motus strictè sumpti, (sumpto motu, non formaliter, & pro fluxu, qua ratione spectat ad prædicamentum quantitatis; sed materialiter, & pro forma fluente; qua ratione motus non ponitur per se in aliquo determinato prædicamento; sed reductiuè collocatur in prædicamento sui termini: sic enim accipit motum Arist. in istis libris; vt in principio tertij libri docuimus) tria sunt examinanda. Primum, *quæ sint conditiones per se, & essentialiter requisitæ ad rationem motus?* Secundum, *utrum sit verum, ad quantitatem, qualitatem, & ubi dari per se motum?* Tertium, *utrum verum sit, ad alia prædicamenta non dari per se motum?*

## QUESTIO PRIMA.

*Quæ sint conditiones per se, & essentialiter requisitæ ad rationem motus?*

**P**RO intelligentia tituli huius quæstionis annotandum est cum Scoto in 4. d. 16. q. 6. §. *ad intelligentiam.* motum posse tripliciter sumi. Primò pro quacumque receptione alicuius formæ in subiecto, ratione cuius subiectum aliter se habet nunc, quàm prius; in qua acceptione sumpsit motum Aristot. dum 3. Physic. tex. 5. & etiã 11. Metaph. dixit: *Motus, & mutationis tot sunt species, quot entis.* Et merito sanè ita loquitur; nam, cum in Arist. sententia nullum sit prædicamentum,

quod formaliter cõsistat in aliqua denominatione extrinseca, sed omnia prædicamenta formaliter consistant in aliqua vera, & reali entitate, receptio formæ ( cuiuscumque sit prædicamenti) in subiecto aliquo poterit optimè motus in ista acceptione appellari: siquidè ratione ipsius necessariū erit, vt subiectum aliter se habeat nunc, quàm prius, vel absolute, & in se, si forma fuerit absoluta; vel respectiuè, & ad aliud, si forma fuerit relatio. Et consequenter sumpto motu in ista acceptione, tot erunt species

MQ:

motus, quot fuerint species entium, seu formarum.

2. Secundò sumitur motus pro via, seu tendentia, qua media subiectum (siue sit ens in actu formali, vt est ens naturale, siue sit ens in potentia formali, vt est materia prima) virtute alicuius propriè efficienti transit ex termino à quo ad terminum ad quem. (siue terminus à quo sit contrarius termino ad quem, siue sit contradictorius, qua ratione motus conuertitur cum mutatione in cõmuni) Et in hac acceptione ostendimus supra lib. 3. disp. 1. q. 2. sumpsisse Aristot. motum, cum ibi illum definiuit, *esse actum entis in potentia secundum quod in potètia:* & similiter supposit illum in postprædicamentis, dum ibi sex species motus enumerauit.

3. Tertio, & propriissimè sumitur motus pro vltima ex tribus speciebus mutationis, in quas Aristot. cap. 1. huius libri mutationem in cõmuni diuisit, & illam appellauit motum ad distinctionem aliarum duarum specierum mutationis, quas generationem, & corruptionem appellauerat; & postea subdivisit in tres species, scilicet, in motum ad quantitatem, in motum ad qualitatem, & in motum ad *ubi*: eo quòd huiusmodi motus ad ista tria prædicamenta poterat tãtummodò terminari per se. Qua ratione motus non conuertitur cū mutatione

in cõmuni, sed est quid inferius ad illam. De motu ergo in ista tertia, & propria acceptione sumpto inquit præfens quæstio, *quæ sint conditiones, quæ ad rationem ipsius per se, & essentialiter requiruntur?*

4. Sunt autè in hac quæstione vnus certum, & duo, quæ etsi apud antiquos Doctores semper certissima fuerunt, tamen aliqui recentiores in dubiū reuocarunt. Certū est, ad rationem motus conditionem per se, & essentialiter requisitã esse, quòd illius subiectum sit ens in actu formali; quale (respectu motus physici) est omne, & solum ens naturale, seu cõpositum substantialia. Hanc conditionem (quam inter alias enumerat Scot. q. 3. super 5. Phys.) expressit Arist. in hoc libro cap. 1. dū excludens generationes, & corruptiones substantiales à ratione motus, ex eo illas excludit; quia ipsarum subiectum (scilicet, materia prima) non est ens in actu formali, sed ens in pura potètia formali. Quæ ratio nihil valeret, nisi supponeret Aristot. vt certum, ad rationem motus, de quo in præfenti est sermo, conditionem per se, & essentialiter requisitã esse, quòd eius subiectum esset ens in actu formali, vt sunt (respectu motus physici) omnia, & sola entia naturalia, seu composita substantialia.

5. Et ratio à priori est, quia motus propriè, & strictè sumptus (vt est iste, de quo loquimur)

R 2

mur)

mur) solū potest ei competere, quod propriè, & strictè est mobile: sed solū entia naturalia (qualia sunt omnia, & sola cōposita substantialia) sunt propriè, & strictè mobilia; nā materia prima, sicuti neque est ens naturale, sed potius vnū ex principijs, quibus ens naturale intrinsecè coalescit; ita neque est propriè, & strictè mobilis, sed potius principiū, & causa, vt id, in quo est, moueatur: ergo ad rationem motus physici propriè, & strictè sumpti conditio per se, & essentialiter requisita erit, vt eius subiectum sit ens naturale, seu compositū substantiale; & consequenter ens in actu formali; nec sufficiet, quod sit ens in pura potētia formali, vt est in sententia omnium materia prima.

6. Primum, quod recentiores aliqui vertunt in dubium, est, vtrum etiā ad rationē motus sit conditio per se, & essentialiter requisita, quod sit mutatio ex subiecto in subiectū? sumpro subiecto (iuxta prædicta in annotationibus num. 2.) non solū pro extremis contrarijs; nec solū pro medijs inter contraria; sed etiam pro priuarijs, quæ solū entis secundū quid priuationē inuehant.

7. Partem negatiuam tenet Martinez hic *Discutiendo* 1. sed certè non solū contra omnes Doctores; sed etiā cōtra ipsum Arist. imò cōtra se ipsum. Contra omnes Doctores; quia nul-

lus est, qui inter conditiones ad rationē motus per se, & essentialiter requisitas hanc nō numeret. Contra Arist. quia expressè in primo capite huius libri tex. 9. hanc conditionē, vt per se, & essentialiter requisitā ad motum, enumerauit, affirmans, solā illam mutationem esse motū, quæ ex subiecto in subiectū est mutatio: verba refero: *Quoniam autē omnis motus mutatio quædā est: mutationes autē tres, quæ dictæ sunt; harū autem ea, quæ sunt, secundū generationem & corruptionē, nō sunt motus: hæc autē sunt, quæ secundū contradictionem sunt, necesse est, eam, quæ ex subiecto est in subiecto mutationem, motum esse solū.* Quid clarius? contra se ipsum; quia, si dari posset motus absque eo, quod esset mutatio ex subiecto in subiectū, etiā dari posset motus absque eo, quod eius subiectū esset ens in actu formali; nam ista duo, motus habet pro subiecto aliquod ens in actu formali: motus est transitus ex subiecto in subiectū, essentialiter sunt connexa; & sicut ex affirmatione vnus inferitur affirmatio alterius; ita ex negatione vnus, alterius inferitur negatio. Sed in sententia Martinez non potest dari motus absque eo, quod eius subiectū sit ens in actu formali: ergo cōtra se ipsum loquitur, dū dicit, nō esse conditionē per se, & essentialiter requisitā ad rationem motus, quod sit transiens ex subiecto in subiectum; & consequen-

quēter dari posse motum absque ista conditione: cum istæ duæ conditiones ita essentialiter sint connexæ, vt valeat inter ipsas subsistendi consequētia: ac per consequens, si vna per se, & essentialiter ad rationem motus non requiritur, neque etiam requiretur & altera: aut è contra, si vna per se, & essentialiter requiritur, etiam erit per se, & essentialiter altera requisita.

8. Secundum, quod in dubiū vertunt aliqui recentiores, est, an, præter duas conditiones assignatas, sit etiam conditio per se, & essentialiter requisita ad rationem motus, quod acquisibile per motum sit per se, & ex natura sua successiuè, & non subitò acquisibile? seu (quod idem est) quod sit mutatio à contrario in contrarium: hæc enim duo in vnum coincidunt, vt docet Scot. hic q. 3. Et meritò sic docet; quia (vt in annotationibus ex eodē Scoto docuimus) mutationē fieri à contrario in contrariū, idem valet apud Arist. ac mutationē fieri à termino positiuo in terminū positiuum, qui sint talis nature, vt inter ipsos mediēt aliqua distātia, quæ petat naturaliter, non subitò, sed successiuè per mutationē transiri: & per hoc distinguitur à mutationē, quæ fit à contradictorio in cōtrictoriū; in qua, cum termini sint immediatè oppositi, nulla potest esse inter ipsos distātia, quæ

petat naturaliter, successiuè transiri per mutationē: sed potius hæc mutatio petit, vt subitò, & in instanti ex vno termino in alium fiat transitus.

9. Partem negatiuam tenet etiam Martinez loco supra citato, cuius verba refero, quia sicuti, & arrogantia, ita & ignorantia sunt plena: *Habes hinc, (dum rectè expendis) insanire certè vulgus, dum exinde colligit, generationem, & corruptionem substantialem non esse motus propriè dictos, quod positivos terminos non habeant, aut quod sint successiuè ex accidenti. Neutrum certè somnauit Aristot. cur obsecro, tam diū blaterones istos sustineamus?* hæc iste: nec aliunde probat nisi quia, si successio per se competeret motui, aut ly per se denotaret essentiam, vel passionem; nō potest denotare essentiam, cum tempus, seu successio ex Philosopho afficiat motum, non constituat: non passionē; quia competeret motui soli, & semper; quod non est verum; nam successio potest in generationibus substantialibus, quæ nō sunt motus, saltem ex accidenti reperiri. Et similiter motus potest, saltem potentia Dei absoluta, à successione, & tempore denudari.

10. Sed nobis tenendum est, præter duas conditiones supra assignatas, etiam esse conditionem per se, & essentialiter ad rationem motus requisitam, quod sit mutatio à cōtra-

rio in contrarium, seu (quod idem est) quod sit mutatio inter terminos positivos, inter quos mediet distantia, quæ naturaliter petat, non subito, & in instanti, sed successiue, & in tempore pertransiri: & consequenter, quod acquisibile per motum per se, & ex natura sua sit successiue, & non subito acquisibile. Hæc est sententia Scoti hic q. 3. & D. Tho. lect. 2. & 5. quos unanimiter non solum discipuli, sed etiam alij Theologi, & Philosophi sequuntur. Imò est expressa ipsiusmet Arist. nam in principio capituli secundi huius libri reddens rationem, cur mutatio substantialis non sit motus, non aliam ibi assignat, nisi quia mutatio ad substantiam non est à contrario in contrarium: quam rationem perperam attulisset, nisi putaret, ad rationem motus hanc esse conditionem per se, & essentialiter requisitam: verba Arist. sunt: *Secundum substantiam autem non est motus. propterea quod nullum est entium substantiæ contrarium.* Quæ verba consultò retuli, vt rubescens aduertat Martinez, cum verbis num. 9. relatis, dixit: *Infantè certè vulgus, dum exinde colligit, generationem, & corruptionem substantialem non esse motus propriè dictos, quod positivos terminos non habeant, aut quod sint successiue: ex accidēt. &c. sub nomine vulgus non solum Scoti, D. Tho. cæterosque classici Docto-*

res, sed etiam ipsum philosophiæ Principem comprehendisse: & consequenter super ipsos appellare verba ista, quæ incautus subiecit: *Cur, obsecro, tamdiu blaterones istos sustinamus?* sed ignosce illi; quia ignorans, in quos latrabat, hæc verba protulit.

11. Sed age, confirmemus ratione ex principijs Aristotelis desumpta, etiam ad rationem motus esse conditionem per se, & essentialiter requisitam, quod sit mutatio à contrario in contrarium, seu (quod idem est) à termino positivo in terminum positium, inter quos mediet aliqua distantia, quæ naturaliter petat, non subito, & in instanti, sed successiue, & in tempore per mutationem pertransiri. Illuminatio (& idem est iudiciū de quacumque alia mutatione accidentali, si fieret, non ex contrario, sed ex contradictorio, v. gr. si Deus conservaret aliquod corpus nudum omni qualitate, & de nouo produceretur in illo aliqua qualitas) est mutatio habens pro subiecto ens in actu formali; & insuper est mutatio ex subiecto in subiectum (nam non lucidum non est priuatiuum entis simpliciter, sed entis secundum quid: & omnia priuatiua entis secundum quid Arist. inter subiecta enumerauit; vt patet ex dictis in annotationibus num. 2.) & nihilominus illuminatio non est propriè motus. Alias perperam Ari-

Aristot. mutationes accidentales, quæ fiunt ex contradictorio, vt album ex non albo; nigrum ex non nigro; lucidum ex non lucido, inter generationes adscriberet, vt de facto adscripsit text. 7. his verbis: *Quæ igitur ex non subiecto est in subiectum mutatio secundum contradictionem, generatio est: quam generationem statim in generationem simpliciter, seu substantialem, & in generationem secundam, quid seu accidentalem diuisit. Ergo hoc prouenit, quia etsi ad rationem motus per se, & essentialiter requiratur, quod eius subiectum sit ens in actu formali; & similiter, quod sit ex subiecto in subiectum; tamen istæ duæ conditiones non sufficiunt, sed adhuc tertia desideratur, scilicet, quod sit à contrario in contrarium, seu (quod idem est) à termino positivo in terminum positium: inter quos mediet distantia, quæ naturaliter petat, non subito, sed successiue per mutationem pertransiri: & ideo defectu huius tertiæ conditionis, etiam si duæ priores adsint, tam illuminatio, quam quæcumque alia mutatio accidentalis, quæ sit ex contradictorio in contradictorium, merito à ratione motus propriè sumpti excluduntur, & inter mutationes, quæ dicuntur generationes adscribuntur.*

12. Id autem, quod adducebat Martinez ad probandum

suam sententiã, non est ad rem: nos enim non sustinemus actualem successionem esse de essentia motus, aut saltem illius passionem: est enim actualis successio, seu tempus accidens quoddam motus materialiter sumpti, & ab eo realiter distinctum (vt supra libro 4. ostensum est) licet non qualecunque accidens, sed connaturaliter motui debitum: non secus ac actualis inherencia est accidens connaturaliter debitum accidenti absoluto, puta, quantitibus, & qualitibus: & similiter extensio actualis in ordine ad locum est accidens connaturaliter debitum quantitibus permanentibus. Sed, quod nos cum Scoto, D. Tho. & Arist. sustinemus, est, successionem aptitudinalem, quæ oritur in mutatione ex eo, quod sit à contrario in contrarium, seu (quod idem est) à termino positivo in terminum positium, inter quos mediet distantia, quæ naturaliter petat, non subito; sed successiue per mutationem pertransiri, esse de essentia motus materialiter sumpti; licet non in primo modo dicendi per se, saltem in secundo modo: ac per consequens esse conditionem ad rationem motus per se, & essentialiter requisitam; quod sit mutatio à contrario in contrarium, seu (quod idem est) à termino positivo in terminum positium, inter quos mediet distantia, quæ naturaliter petat, non subito, sed successiue

siuè per mutationem transiri. Neque rationes factæ à Martinez ad probandum, successiōnem nō esse propriam passiōnē motus materialiter sumpti, procedunt contra successiōnē aptitudinalē, sed solū contra actualem. Nam falsum est, posse successiōnem aptitudinalē (adhuc potētia Dei absoluta) separari à motu materialiter sumpto, sicut potest successiō actualis. Et similiter falsum est, posse successiōnem aptitudinalē competere mutationibus substātialibus, adhuc ex accidenti; sicut competere ei potest successiō actualis.

### QVÆSTIO II.

*Utrum sit verum, ad quantitatem, qualitatem, & ubi dari per se motum?*

**A**ristoteles (vt vidimus in littera) ex professo docet, ad tria tantum prædicamenta dari per se motum, scilicet, ad quantitatem, qualitatem, & ubi. Quæ propositio, cū exclusiua sit, duas exponentes includit. Prima est, ad tria præfata prædicamenta dari per se motum. Secunda, ad cætera alia prædicamēta motum per se non terminari. Et prima ex his propositionibus in præsentī quæstione est examinanda; nam secunda examinabitur in quæstione sequenti.

**2** Si sermo sit de prædicamēto quantitatis, auctores, qui su-

stinent, quantitatem non subiectari in toto composito substātiali, sed immediatē in materia prima, esseq; illi coæuā, difficile sanè sustinere possunt, in accretione viuentis augmentatiōnē (qui est motus, de quo hic affirmat Arist. per se terminari ad quantitatem) esse verē, & propriē motū; nam in istorum sententia consequēter fatendum est, in accretione viuentis per augmentatiōnē per se non produci aliquam quantitatem; (aliās non esset coæua materiæ) sed per se productum, esse solū illud indiuisibile, quo medio quantitas coæua materiæ alimenti quantitati coæua materiæ aliti vnitur, & continuatur. Et manifestū est, productioni prædicti indiuisibilis non posse competere rationem motus propriē dicti; cū non sit mutatio à contrario in contrarium, seu (quod idem est) à termino positiuo in terminū positiuum, inter quos mediet aliqua distantia, quæ naturaliter pctat, non subito, & in instanti, sed successiuē, & in tempore per mutationem pertransiri: sed potius sit mutatio à contradictorio in contradictoriū, videlicet, à priuatione indiuisibilis continuatiui, quæ præcessit in prædictis quantitibus, ad ipsum indiuisibile. Quæ est ratio, qua vsus est Arist. in principio capitis secūdi huius libri ad probandum mutationem, quæ per se datur

ad

ad substantiam, non esse motum; vt quæstione præcedenti num. 10. aduertit.

**3** Nec valet, quod auctores isti respondent, nimirum, etsi augmentatio formaliter sumpta solū consistat in productione illius indiuisibilis, quo medio, quantitas coæua materiæ alimenti vnitur quantitati coæua materiæ aliti; tamen augmentatiōnem esse mutationem successiuā, & consequēter verū motū; eo quod in accretione viuentis quātitas coæua materiæ alimenti non tota simul, & in instanti vnitur quātitati coæua materiæ aliti, sed successiuē, & parte post partē.

**4** Hoc, inquam, nihil valet. Primò, quia sicut de nutritiōne viuentis (quæ est mutatio, per quam substantiam alimenti transit in substantiam aliti) etsi de facto non fiat in instanti tota simul, sed successiuē, & parte post partem; nihilominus nullus dixit, esse per se successiuam, sed solū esse successiuam per accidens; eo quod ista successiō non conuenit ei ratione terminorum, sed ratione alterationis præuē requisitæ in alimento ad hoc, vt in eius materiam forma viuentis introducat: ita similiter in sententiā istorum auctorum fatendum erit, etsi augmentatiō viuentis de facto non fiat in instanti, & tota simul, sed successiuē, & parte post partē; nihilominus non esse per successiuā,

sed solū per accidens; eo quod ista successiō non competit ei ratione terminorū (non enim est productio indiuisibilis, quo mediante vnitur quantitas coæua materiæ alimenti cū quātitate coæua materiæ aliti, mutatio à contrario in contrariū, sed à contradictorio, in contradictoriū, vt supra ostensum est) sed ratione alterationis præuē requisitæ ad nutritiōnem; & consequēter ad ipsam augmentatiōnem.

**5** Secundò, quia sicut indiuisibilia, quibus partes quātitatis coæua materiæ alimenti successiuē vnuntur, seu cōtinuantur quantitati coæua materiæ aliti, etsi vnū succedat alteri; nō tamen sunt inter se continua: (mediat enim inter hæc indiuisibilia aliqua pars quātitatis) ita & productiones, quibus ista indiuisibilia producuntur, etsi vna succedat alteri; nō tamen erunt inter se cōtinuæ, sed discreta: ergo necessario fatendū est in istorum sententiā, augmentatiōnē viuentis, etsi fiat successiuē, nō tamen esse cōtinuam; & consequēter, neque motum propriē dictū, sed aggregatiōnem plurium mutationū successiuē, & eum ordine prioris, & posteriorum se habentium.

**6** Auctores autem, qui cum priori sententiā (quæ ex professo in libris de Ortu, & Luteritu disp. 2. q. 5. Deo dāte, examinabimus) sustinemus, quātitatē non subiectari immediatē

in

In materia prima, neque esse illi coequali; sed potius immediate subiecti in composito substantiali, facillimè defendere possumus. In accretione viuentis augmentationē (quæ est motus, de quo hic affirmat Arist. per se terminari ad quantitatem) esse verè, & propriè motum: siquidem in ista nostra sententia fatendum est, in accretione viuentis, quæ sit præuia nutritione, per augmentationem de nouo produci aliquam partem quantitatis, non discretam, sed continuam cum quantitate, quæ præcessit in viuenti, quod augetur; non secus, ac per nutritionem producitur de nouo aliqua pars substantiæ, non discreta, sed continua cum substantia, quæ præcessit in viuenti, quod nutritur. Et manifestum est, augmentationi sic explicatæ competere omnes conditiones, quas diximus quæstione præcedenti esse per se, & essentialiter ad rationem motus propriè sumpti requisitas. Nam non solum habet pro subiecto aliquod ens in actu formali, scilicet, ipsum viuens, quod augetur: ( hoc enim est subiectum, quod ex minori quantitate per augmentationem ad maiorem transit quantitatem) nec solum est mutatio à subiecto in subiectum; (siquidem, tam *minus quantum*, quam *maius quantum* affirmatione declarantur) sed etiam est mutatio à contratio in con-

trarium; cum versetur inter minorem, & maiorem quantitatem: quæ quantitates non solum sunt termini positiui; sed etiam inter ipsas mediata distantia quantitativa, quæ eo ipso petit naturaliter, non subito, & tota simul, sed successiuè, & per partes per augmentationem pertrāsiri. In hoc enim sita est contrarietas, quam Arist. inter terminos mutationis requisit ad hoc, vt sit propriè motus. (vt in annotationibus nu. 3. ex Scoto statuimus) Vnde vt Aristotelicam sententiam istam sequuntur Scotus hic q. 3. & cæteri interpretes: excipio Martinez, & Caberum, qui oppositum affirmant haud ignari, quod in hoc se Aristoteli opponant.

7. Sed contra hanc nostram, & Arist. sententiam aliqua solent obijci, quæ nunc soluere necessarium est. Primo obijcit Scotus quæst. 3. citata: in omni motu aliquid mouetur primo: sed in augmentatione (quæ est mutatio à minori quantitate in maiorem) nihil mouetur primo: ergo augmentatio non est motus. Probatur minor; nam, si in augmentatione aliquid moueretur primo, vel hoc esset præexistens ad augmentationem, vel superueniens: sed non præexistens; quia illud non est maius post augmentationem, quam antea: nec superueniens; quia illud ante augmentationem non erat.

8. Respondet optimè Scotus

re-

negando minorem: & ad probationem dicit, id, quod per augmentationem primo, & per se mouetur, esse illud viuens, quod ante augmentationem præexistit, quod idem numero manet ante, & post augmentationem, non obitate, quod per nutritionem præuiam ad augmentationem de nouo recipiat aliquam partem substantiæ; quæ prius non habebat; atque adeo falsum esse, hoc viuens non esse maius post augmentationem, ac antea; cum per augmentationem idem numero viuens, quod ante augmentationem subijciebatur minori quantitati, post augmentationem subijciatur quantitati maiori.

9. Secundo obijcit Martinez: de ratione motus est, quod sit mutatio: (est enim mutatio quid essentialiter superius ad motum, generationem, & corruptionem. Aliàs perperam Aristoteli in cap. huius libri mutationem in communi in motu, generationem, & corruptionem, vt genus in suas species diuisisset) sed augmentatio respectu viuentis (quod est subiectum, quod per ipsam transit ex minori quantitate ad maiorem) non induit rationem mutationis: ergo neque etiam poterit induere rationem motus. Minorem probat; quia ad hoc, vt augmentatio indueret rationem mutationis respectu viuentis, necessarium erat, vt quantitas, quæ producitur de nouo

per augmentationem, esset terminus per se illius; reciperetur in ipso viuenti: quod non contingit, cum potius recipiatur in illa parte substantiæ, quæ per nutritionem præuiam ad augmentationem de nouo additur viuenti.

10. Ad obiectionem istam (quæ est Achilles Martinez) facillimè respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Et ad probationem fatemur libenter, ad hoc, vt augmentatio induat rationem mutationis respectu viuentis, esse necessarium, vt quantitas, quæ producitur de nouo per augmentationem, estque terminus per se illius, in ipso viuenti recipiatur. Sed negamus, hoc non contingere; nam, si (teste Martinez) prædicta quantitas recipitur in illa parte substantiæ, quæ per nutritionem præuiam ad augmentationem additur viuenti, efficiturque pars illius, necessario fatendum erit recipi etiam in ipso viuenti, licet non ratione partium substantialium, quæ præferant in ipso viuenti ante nutritionem, saltem ratione illius partis substantialis, quam de nouo per nutritionem præuiam ad augmentationem acquisiuit.

11. Quod si aliquis obijciat, sequi ex ista nostra solutione, quod viuens non possit simpliciter, & absolute denominari augmentatum, sed solum

sc-

secundum quid, & cum addito diminvente, scilicet, secundum partem illam, in qua recipitur quantitas, quæ per augmentationem producit. Et exemplificare velit in dealbatione, per quam Petrus, v.g. dealbatur, à qua Petrus non denominatur dealbari simpliciter, & absolute, nisi in casu, quo albedo producta per dealbationem recipitur in Petro secundum omnes illius partes; nam, si solum recipiatur in aliqua parte, scilicet, in sola manu, Petrus solum denominabitur dealbari secundum quid, & cum addito diminvente, scilicet, secundum manum.

12 Respondetur negando sequelam: neque exemplum dealbationis est ad rem. Et ratio à priori est, quia, cum augmentatio sit mutatio viuantis à minori quantitate ad maiorem, potius ex sua natura postulat, vt viuens, quod simpliciter, & absolute ab ipsa denominatur augmentatum, præcedat ad ipsam affectum quantitate; & quod quantitas, quæ per augmentationem producit, esse debeat recipi in ipso; sed non secundum illas partes, secundum quas supponitur quantitate affectum, sed potius secundum illas, quas de nouo per nutritionem præuiam ad augmentationem de nouo acquirit; vt sic in viuente ex partibus quantitatis, quæ in ipso

præcesserant augmentatione, & ex partibus quantitatis, quæ de nouo per augmentationem in ipso accrescunt, fiat maior quantitas, sub qua dicatur esse viuens in termino augmentationis. Quod non currit in dealbatione, sed potius oppositum: eo quod dealbatio non est mutatio à minore albedine ad maiorem; sed potius à forma contraria albedini, scilicet, a nigredine ad ipsam albedinē. Et sic non mirum, quod Petrus non dicatur dealbari simpliciter, & absolute, sed solum secundum quid, & cum addito diminvente, scilicet, secundum manum, quoties ad dealbationem supponitur Petrus habens albedinem in omnibus alijs partibus præterquam in manu, quæ est nigra: & sic sola albedo, quæ producit per dealbationem, recipitur in manu, & expellit nigredinem, quæ in illa sola parte erat; quia sola illa pars per dealbationem transit à forma contraria in formam contrariam, non verò totus ipse Petrus.

13 Tertio obiecit Scotus: ad illud non est per se motus, quod non acquiritur, nisi consequenter ad alios motus; sed in accretione viuantis maior quantitas non acquiritur, nisi consequenter ad alios motus: ergo ad maiorem quantitatem non datur per se motus, & consequenter augmentatio perpetua ab Aristot. inter motus per

per se enumeratur. Discursus est optimus: maior est Aristot. nam in cap. 2. istam maiorem assumpsit ad probandum, ad relationes prædicamenti ad aliquid non dari per se motum, sed potius per accidens. Minor autem est manifesta; quia augmentatio viuantis, per quam in ipso acquiritur maior quantitas, non fit, nisi consequentiue ad motum localem, per quem alimentum deducitur in stomachum, & ad alias partes, in quibus fit nutritio; & ad motum alterationis, per quem alimentum disponitur, vt in substantiam viuētis conuertatur, & ad nutritionem, per quam forma viuantis inducitur in materiam alimenti, & forma alimenti corrumpitur.

14 Ad hanc obiectionem optimè respondet ipsemet Scotus distinguendo maiorem. Dupliciter enim intelligi potest, quod aliquid acquiritur consequentiue ad alios motus. Primo, ita vt præter illos motus nullus alius assignetur motus, per quem acquiritur: & in hoc sensu vera est maior, optimèque usurpata ab Aristot. ad probandum, ad relationes prædicamenti ad aliquid non dari per se motum: siquidem præter motum dealbationis, v.g. quo producit aliquod album, nullus est assignabilis motus, per quem relatio similitudinis acquiritur. Tamen falsa est minor: siquidem augmentatio, quæ ter-

minatur ad quantitatem, diuersus motus est ab his, ad quos consequenter fit. Secundo, ita vt licet assignari possit motus, per quem acquiritur, tamen vt ponatur iste motus in re, necessarium est, vt alij motus præcedant, saltem natura. Et in hoc sensu vera est minor discursus supra facti, sed falsa est maior, neque in isto sensu usurpata ab Aristot. ad probandum, ad relationes prædicamenti ad aliquid non dari per se motum, sed solum per accidens. Et eius falsitas manifestè conuincitur instantia dealbationis, quam adducit Scotus; nam dealbatio in omnium sententia est motus per se; & tamen non fit, nisi consequenter ad alterationem primarum quantitatum.

15 Est tamen aduertendum, (vt instantijs aliquarum argumentationum, quæ vel non sunt motus proprie sumpti, vel saltem non sunt motus distincti à motu locali, occurramus) augmentationem multipliciter posse accipi; vt annotauit Scot. hic q. 3. Primo, pro quacunque maioratione quantitatis, siue fiat adueniente aliqua substantia, siue non: & sic rarefactio potest dici augmentatio; sed impropiè, cum non sit motus ad quantitatem, sed potius ad qualitatem; vt optimè probat Scotus ex eo, quod per rarefactionem mutantur prædicata de genere qualitatis, vt sunt rarum, densum ab illo, quod

quod sic augmentatur. Secundo potest accipi augmentatio pro maioritate quãtitatis mediante aliqua substantia de nouo adueniente; quã multipliciter potest aduenire. Primo per aggregationem, qua ratione cumulus lapidum dicitur augeri per appositionem lapidum: & hæc augmentatio, etsi sit verè, & propriè motus, sed non distinctus à motu locali. Secundo per cõtinuationem, vt quando aqua apponitur aquã: & in hac augmentatione etsi, præter motum localem, inueniatur aliqua aliã actiones, nimirũ, illa, per quam producitur indiuisibile, quo medio substantia vnus aquã cõtinuatur cũ substantia alterius aquã; & similiter illa, per quã producitur indiuisibile, quo medio quantitas, quã est in vna aqua, continuatur cũ quãtitate, quã est in alia aqua; tamen huiusmodi actiones nõ sunt motus, sed mutationes, cõtinenturque sub specie generationis; vt de actione, qua producitur indiuisibile, quo continuantur duę aquã, per se notum est: & de actione, qua producitur indiuisibile, quo cõtinuantur quãtitates, quã sunt in prædictis aquis, cõuincunt rationes, quas adduximus supra n. 2. ad probandum, nõ posse saluari, augmentationem viuẽtis esse motum propriè sumptum in sentẽtia eorum auctorum, qui sustinent, quãtitationem non subie-

ctari immediatè in composito substantiali, sed in materia prima, esseque illi coauam. Tertiõ potest aduenire per aggenerationem, seu nutritionem. Et de hac augmentatione (quã est, cui propriè competit ratio augmentationis; & in rigore solum reperitur in viuẽtibus; licet extendi etiam possit ad nõ viuẽtia; vt cùm ignis, qui est in aliqua parte vnus ligni, successiue augetur per totũ lignũ) intelligenda solum est uoltra, & Arist. sententia; quã (vt visum est) affirmat, augmentationem esse verè, & propriè motum, non de alijs.

16 Ex quibus infero, hoc affatum Arist. *ad quantitatem dari per se motum* solum esse intelligendum de quantitate continua, & permanenti; vt sunt linea, superficies, & corpus, nam ad quantitatem successiuam continuam, qualis est tempus materialiter sumptũ, cùm nihil aliud sit, quã duratio ipsius motus, non potest dari per se, nõ solum motus, sed neque mutatio; non secus, ac non potest dari per se, neque motus, neque mutatio ad ipsum motũ. Et idẽ est iudicium de quãtitate discreta, quã dicitur oratio, cũ vnitates, quibus constat oratio, morulæ, siue tempora parua sint. Et quamuis quantitates, quibus cõflatur numerus prædicamentalis (qui est altera species quãtitationis discretæ) sint quantitates permanentes; &

con-

consequenter ad quamcũque ipsarum possit dari per se motus: tamen ad discretionẽ istarum vnitatum (quã est, in qua formaliter consistit numerus) non datur per se motus; imò neque mutatio, cùm non primo, & per se acquiratur, sed resultet, vel ad productionem plurium vnitatum quantitatarum, vel ad diuisionem cõtinui, quã fit per corruptionẽ indiuisibilis, quo parte eius copulantur, seclusa quacũque alia actione, quã per se tendat in illam.

17 Si verò sermo sit de prædicamento qualitatis, conueniunt omnes interpretes, doctrinam Arist. (scilicet, ad qualitatem dari per se motum, qui dicitur alteratio) esse veram, & intelligendam de qualitatibus, quã producuntur in subiecto habente qualitatem diuisibiliter oppositam qualitati, quã producitur; non tamen esse verã, neque intelligendam de qualitatibus, quã producuntur in subiecto non habente qualitatem illi oppositam, vt sunt lux, & species intentionales: vel si habet qualitatem oppositam illi, quã producitur, non tamẽ opponitur ei diuisibiliter; sed potius indiuisibiliter: quod contingit, quoties qualitas, quã producitur, in quocũque gradu producat, etiam remisso, expellit qualitatem oppositam, quã existerat in subiecto, non quantum ad aliquẽ gradum,

sed totaliter, & quantum ad omnes gradus, ab illo subiecto vt contingit inter sciẽtiam, & errorem; inter fidem, & infidelitatem; inter amorem, & odiũ circa idem obiectum.

18 Et in primis ad qualitatem, quã producitur in subiecto habente qualitatem oppositam diuisibiliter ipsi, quã producitur, dari per se motum, probari potest ex eo, quod huic productioni conueniunt omnes cõditiones per se, & essentialiter ad rationem motus propriè sumpti requisitæ, quas q. 1. remuneratumus: siquidẽ non solum subiectum, quod per ipsam ex vno termino in aliũ transmutatur; est ens in actu formali (vt perspicuum est in sentẽtia veriori, quã sustinet, tam quantitatẽ, quã accidentia materialia subiectari immediatè, non in materia prima, sed in toto substantiali) nec solum est mutatio à subiecto in subiectũ (versatur enim inter extrema, quã non negatione, sed potius affirmatione declarantur, vt calidum, & frigidum, album, & nigrum, &c.) sed etiam est mutatio à cõtrario in contrariũ; cùm habeat terminos positiuos, inter quos (ratione oppositionis diuisibilis, & gradualis, quam habent) mediat aliqua distantia, quã naturaliter nequit subito, & tota simul, sed potius successiue, & per gradus per prædictã mutationem alteratiuam pertransiri.

19 Deinde ad qualitates, quæ vel non habent qualitatem oppositam in subiecto, in quo producantur, vel si habent, non tamen ei opponitur diuisibiliter, sed potius indiuisibiliter, non dari per se motum, conuincitur potest ex eo, quod productioni harum qualitatum non conueniunt omnes conditiones per se, & essentialiter ad rationem motus requisita: licet enim sit per se mutatio: & similiter habeat pro subiecto ens in actu formali; imò sit mutatio à subiecto in subiectum; non tamen est mutatio à contrario in contrarium; sumpta contrarietate pro distantia media inter terminos positiuos alicuius mutationis, quæ naturaliter petat, non subito, & tota simul; sed successiue, & parte post partem per ipsam mutationem pertransiri; quæ contrarietas etsi sit impropria, est tamen, quam exposulauit Aristot. inter terminos mutationis ad hoc, vt dicatur fieri à contrario in contrarium, & consequenter motus: vt sæpè annotatum est. Assumptum probò; quia, si sit productio qualitatis in subiecto, in quo nulla est qualitas contraria, prædicta productio non erit mutatio à termino positiuo in terminum positiuum; sed à termino priuatiuo in terminum positiuum. Etsi sit productio qualitatis in subiecto, in quo est qualitas sibi indiuisibiliter opposita, et-

si prædicta productio sit mutatio non solum inter terminos positiuos, sed etiã inter terminos contrariè oppositos; tamè quia ista oppositio non est diuisibilis, sed in indiuisibili consistens; hinc est, vt distantia, quæ mediat inter istos terminos, nõ petat naturaliter successiue, & per partes per ipsam mutationem alteratiuam pertransiri; sed potius petit pertransiri subito, & tota simul. Quod confirmari potest experientia, qua experimur, corpus lucidum subito & in instanti producere lumen in subiecto sibi approximato, quam intensum potest, & voluntatem amorem, etiam si affecta sit odio circa idem obiectum.

20 Ex quibus infero, etsi in productione qualitatis, quæ habet in subiecto, in quo producit, qualitatem sibi diuisibiliter, & gradualiter oppositam, possimus considerare duplicem mutationem; alteram intensiuam; qualis est, qua prædicta qualitas in eadem parte subiecti magis, ac magis perficitur; alteram extensiuam, qualis est, qua prædicta qualitas per plures subiecti partes diffunditur: solum prædictam productionem qualitatis esse natura successiuam, & consequenter propriè motum ratione mutationis intensiue, non verò ratione mutationis extensiue; quia ratio, ob quam inter terminos huius productionis reperitur di-

distantia, quæ naturaliter petit, nõ subiecto, sed successiue per prædictam productionem pertransiri, est sola oppositio diuisibilis, seu gradualis, quæ est inter terminos huius productionis; (vt dictum est) non verò extensio subiecti, super quod sit hæc productio. Quod inde manifestè conuincitur, quod sublata ista oppositio inter terminos, & manente extensione subiecti, subito, & in instanti per totum illud subiectum prædicta qualitas produceretur: vt clarè demonstrat instantia illuminationis; & instantia specierum intentionalium.

21 Si demum sermo sit de prædicamento *vbi*, conueniunt omnes interpretes, doctrinam Aristot. (scilicet, ad hoc prædicamentum dari per se motum, qui dicitur latio, seu motus localis) esse verissimam. Et ratio est; quia latio (quæ est motus, qua aliquid existens in vno loco defertur ad alium) conueniunt omnes conditiones ad rationem motus propriè sumpti per se, & essentialiter requisitæ; quas q. 1. enumerauimus. Siquidem non solum subiectum, quod per latioem ex vno loco fertur in alium, est ens in actu formali: nec solum latio est mutatio à subiecto in subiectum: (Extrema enim, seu termini per se latiois, vt sunt esse in loco deorsum; esse in loco sursum; &c. non negatione, sed affirmatione declarantur) sed etiã

est mutatio à contrario in contrarium; sumpta contrarietate pro distantia media (vt dictum est hic sumi ab Aristot.) inter terminos positiuos alicuius mutationis, quæ naturaliter petat, non subito, & tota simul, sed successiue, & per partes per ipsam mutationem pertransiri. Hoc vltimum assumptum probò: nam ubi quationes, seu præsentia, quas mobile habet in diuersis locis, & sunt termini à quo & ad quem motus localis, seu latiois, non solum sunt entia positia, sed etiam sunt diuisibiles in partes extensas in ordine ad locum: ex hoc enim prouenit, vt distantia, quæ est inter duas ubi quationes, seu præsentias locales, petat naturaliter, non subito, & tota simul, sed potius successiue, & per partes per mutationem localem pertransiri. Quæ ratio non solum probat, motum localem, quo vnum corpus mouetur à loco in locum, esse natura sua successiuum, siue à contrario in contrarium; & consequenter dari per se motum ad *vbi* circumscriptionem, sed etiam conuincit id, quod expressè docuit Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub lit. Z. *vers. Tunc ad illa*, scilicet, motum localem, quo vnus Angelus mouetur à loco in locum, esse natura sua successiuum, siue à contrario in contrarium; & consequenter etiam dari per se motum ad *vbi* definitiuum: siquidem etiam ubi quationes, seu



præsentia locales diffinitivæ, quas habent Angeli, diuisibiles sunt in partes extensas in ordine ad locum, diuisibilitate proueniente in istis vbiuationibus, seu præsentijs nõ ex parte subiecti, in quo inhærent; (quia hoc, cum sit Angelus, indiuisibile est) sed ex parte termini, scilicet, loci, qui diuisibilis in partes extensionis est.

22 Sed contra ea, quæ tam de augmentatione, quam de alteratione statuimus, obijciunt nobis aliqui, Aristotelem, qui 8. Physicorum text.

23. affirmat neque augmentationem, neque alterationem esse continuam; nam ex his videtur inferri, neque augmentationem, neque alterationem esse propriè motum; siquidem de ratione motus ex eodem Arist. 6. Physic. est, quod sit continuus.

23 Respondetur ex Scoto in 2. d. 2. q. 9. lit. Q. dupliciter posse aliquem motum appellari continuu. Primò sumpro continuo pro perpetuo; & in hoc sensu negat Arist. loco citato, tam augmentationem, quam alterationem esse continuas contra aliquos Philosophos, qui (vt ipse refert) affirmabāt, omnia entia esse in continuo, & perpetuo motu, etiā si hoc nos latebat. Secundò pro eo, quod est habere partes copulatas termino communi: & in hoc sensu non negat Arist. augmenta-

tionem, & alterationem pro eo tempore, quo durant, esse continuas. Aliàs nõ solum sibi met, sed experiētiae esset contrarius. Vnde Auerroes 3. Physic. cõmentò 6. dicit, augmentationem totalem cõponi ex multis motibus, & quietibus, nimirum, quia etsi viuens ab initio vitæ vsque ad finem non sit in perpetua accretione, eo quod accretio totius vitæ aliquibus quietibus interrumpatur; nihilominus tempore, quo durant accretiones, successiuæ, & continuæ sunt, & cõsequenter veri motus.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum verum sit, ad alia prædicamenta non dari per se motum?*

I AD alia prædicamēta (præter tria quæstione præcedenti numerata) nõ dari per se motum, nõ solum docuit, & probauit Arist. c. 1. & 2. huius libri; sed etiā docent, & approbant cõmuniter omnes Arist. interpretes. Inter quos est Scotus varijs in locis, sed ex professo hic q. 5. Verum, quia ex triplici capite prouenire potest, quod ad aliquod prædicamētum nõ detur per se motus. Primò, quia tale prædicamētum, nullo modo est per se acquisibile per veram actionem, & passionem. Secundò, quia actus sit acquisibile per se, per veram actionem, & passionem, nõ tamen prædictæ actioni, & passioni cõueniant cõditiones, quæ per se, & essen-

tia.

tialiter ad rationem motus requiruntur. Tertiò, quia etiā si sit acquisibile per actionem, & passionem, cui actioni, & passioni cõueniant cõditiones ad rationem motus per se, & essentialiter requisitæ, nõ tamè per se, sed potius per accidens prædictam actionem, & passionem terminat. Ideo in hac quæstione nõ solum statuendū erit id, quod nobis tam Arist. quam eius interpretes tradiderunt: sed etiā, & præcipuè in vestigandū est, ex quonam horum trium capitum cõueniat cuilibet ex his prædicamentis nõ posse per se motum terminare.

2 Et quidè si sermo sit de prædicamēto substantiæ, affirmant omnes interpretes cū Arist. c. 2. nõ dari ad ipsum per se motum; non quia substantia per se acquisibilis non sit per veram actionem, & passionem. (Manifestum est enim, substantiam per se generationem substantialem terminare; quæ substantialis generatio, si nõ esset vera actio; & passio, perperam ab Arist. in hoc 1. c. inter species mutationis esset enumerata: siquidè de ratione mutationis est, quod si actus agentis, & patientis; & consequenter vera actio, & vera passio) sed quia huic veræ actioni, & passioni, quæ per se terminatur ad substantiam, nõ cõueniunt cõditiones ad rationem motus per se, & essentialiter requisitæ, quas q. 1. enumerauimus; Quod probari potest per singulas discurrendo.

3 Et in primis non conuenit ei prima conditio; nam hæc est, vt subiectum mutationis, quæ est verè, & propriè motus, sitens in actu formali. Quod nõ competit actioni, & passioni, quæ per se terminatur ad substantiam; cum in omnium sententia subiectum eius sit materia prima; quæ non est ens in actu formali, sed potius ens in pura potentia formali. Hac ratione vsus est Arist. ad excludendum generationem substantialem à ratione motus in 1. cap. huius libri tex. 8. Et ex defectu huius conditionis manifestè inferitur, non posse generationi substantiæ secundam conditionem per se, & essentialiter ad rationem motus requisitam conuenire, nimirum esse mutationem à subiecto in subiectum: nam istam conditionem esse ita cõnexam cum prima, vt valeat inter ipsas subsistendi cõsequētia, & consequenter sicut ex affirmatione vnius inferitur affirmatio alterius; ita ex negatione vnius inferitur negatio alterius, ostendimus supra q. 1. huius disputationis num. 7. Et ratio à priori est, quia terminus à quo generationis substantialis, cum sit priuatio non qualificumque esse, sed esse simpliciter, & substantialis, nullo modo poterit affirmatione declarari: quod erat necessarium, vt indueret rationem subiecti.

4 Deinde neque competit ei tertia, & vltima conditio; nam

generatio substantialis, seu (quod idem est) actio, & passio, quæ per se terminatur ad substantiam, non est mutatio à contrario in contrarium, sumpta contrarietate (vt dictum est, hic sumi ab Arist.) pro distantia media inter terminos alicuius mutationis, quæ distantia petat naturaliter, non subito, & tota simul, sed successiue, & per partes per ipsam mutationem pertransiri. Quod (præterquam quod est expressum in Arist. in initio cap. 2. imo ex defectu huius conditionis ibi excludit generationem substantialem à ratione motus) facile ostendi potest; si prius aduertamus, ex duplici tantum capite prouenire posse, quod distantia mediâ inter terminos alicuius mutationis petat naturaliter, non subito, & tota simul, sed potius successiue, & per partes per prædictam mutationem pertransiri; & consequenter quod prædicta mutatio sit à contrario in contrariū. Primò, quia terminus acquirendus per ipsam naturam suam habet partes actualiter extensas in ordine ad locum; vt contingit, tam in augmentatione, quam in motu locali. Secundò, quia etiam si terminus acquirendus per ipsam non habeat naturam suam partes actualiter extensas in ordine ad locum, habet tamē in subiecto, in quo acquiritur, aliquam formam sibi diuisibiliter, & gradualiter

oppositam; quæ eo ipso petit, vt per formam acquirendam diuisibiliter, & per gradus expellatur à prædicto subiecto; vt contingit in calefactione, in dealbatione, & similibus alijs alterationibus.

5 Ex his enim prænotatis manifestè conuincitur, generationem substantialem, non esse mutationem à contrario in contrarium, seu (quod idem est) distantiam, quæ mediat inter terminos illius, non petere naturaliter, quod successiue, & per partes per ipsam generationem percurratur, sed potius subito, & in instanti; siquidem forma substantialis, quæ est terminus acquirendus per ipsam, natura sua non habet partes actualiter extensas in ordine ad locum. Et quamuis in materia prima, quæ est subiectum, in quo recipitur, præsupponatur alia forma substantialis per ipsam formaliter expellenda: tamen huic formæ, non opponitur diuisibiliter, & gradualiter; quia in formis substantialibus, sicuti, nec datur intensio, ita neque oppositio diuisibilis, & secundum diuersos gradus intensiois dari poterit.

6 Ex quibus colliges, quæ sit ratio à priori, ob quā in productione formæ substantialis, nõ assignemus pro termino à quo illius alteram formam substan-

tia-

tialem, quæ præcedit in materia prima prædictâ productionem. At in productione qualitatis assignemus, pro termino à quo illius alteram qualitatem, quæ præcedit in subiecto ipsâ productionem. Ratio enim à priori est, quia respectu productionis formæ substantialis omnino per accidens se habet, quod in materia prima, in qua recipitur, præcedat, vel non præcedat altera forma substantialis: nõ, cum forma substantialis, quæ præcedit (quæcumque illa sit) non possit opponi diuisibiliter, & gradualiter formæ substantiali producendæ, eodem pacto prædicta productio formæ substantialis erit natura sua instantanea; & consequenter non inter motus, sed inter generationes adscribenda, quando præcedit in materia prima altera forma substantialis, ac si nulla forma substantialis præcederet. At respectu productionis qualitatis, non se habet per accidens, sed omnino per se, quod in subiecto ipsius præcedat, vel non præcedat altera qualitas: nam qualitas, quæ præcedit, potest esse diuisibiliter, & gradualiter opposita qualitati producendæ; & tunc prædicta productio erit natura sua successiua; & consequenter inter veros motus adscribenda; quod non contingeret in casu, quod in prædicto subiecto non præcederet alia qualitas; vel si præcederet, non

esset diuisibiliter, & gradualiter opposita qualitati producendæ: nam in his casibus productio qualitatis in subiecto natura sua esset instantanea; & consequenter non inter motus, sed inter generationes accidentales adscribenda.

7 Sed obiiciet aliquis; omnis mutatio successiua est verè, & propriè motus: sed productio substantiæ est successiua: ergo productio substantiæ, non ad speciem mutationis, quæ dicitur generatio, quæ dicitur verè, & propriè motus, erit reducenda. Minor non solum est Arist. qui 7. huius operis cap. 4. text. 34. dicit, vnam generationem substantialem esse alia velociorem, aut tardiorē, quod solum de mutationibus successiuis, & consumētibus tempus verificari potest: sed etiam constat experientia, qua experimur, nõ solum nutritionem viuentiū, quæ est productio nouæ partis substantiæ, fieri successiue, sed etiam fieri successiue generationem ignis in ligno; nam prius generatur in vna parte, & postea in alia.

8 Respondetur distinguendo maiorem: dupliciter enim potest contingere, quod aliqua mutatio sit successiua. Primò ex natura sua; quod solum contingit, quoties forma adquirenda habet naturam suam partes extensas in ordine ad locum, vt

cōtigit in augmētatione, & in latione; vel partes intēsas, secū- dum quas diuisibiliter, & gradualiter opponatur partibus intensis formæ præexistentis in subiecto; vt in alteratione contingit. Secundò ex accidenti: & hoc contingit, quoties forma producenda, etsi nihil horum habeat, inducitur tamen in subiectum quantitatiuè extensum: & ideo sicut dispositiones prædictum subiectum ad talem formam recipiendam nō disponunt omnes partes illius simul, sed successiuè, quia prius disponunt partem sibi propinquaiorem, quàm remotiorem: & quòd prædicta forma, non simul in omnibus partibus illius subiecti producatur, & recipiatur, sed successiuè, & per partes, necessarium erit. Nunc in forma respondetur, si mutatio sit successiua primo modo, maior obiectio est vera, sed minor falsa: si verò mutatio sit successiua, solum secundo modo, minor est vera: atque id est, quod probant, tam authoritas Arist. quàm experientia, quæ adductæ sunt pro ipsa, sed maior est falsa: nā ad rationem motus non sufficit, quòd sit mutatio successiua ex accidenti, sed quòd natura sua hoc petat, desideratur.

9 Si verò sermo sit de prædicamento *ad aliquid*, affirmat Aristot. cap. 2. & cum eo om-

nes interpretes (inter quos est Scotus hic quæst. 5. & in 3. d. 1. quæst. 1. §. *Ad aliud*) ad prædictum prædicamentum non dari per se motū: & hoc prouenire, non quia relationes huius prædicamenti non possint acquiri per actionem, & passionem, cui omnes conditiones per se, & essentialiter ad rationem motus conueniat: dantur enim de facto quàm plures ex his relationibus, quæ per verum motum acquirantur: sed quia huiusmodi relationes non per se, sed per accidens terminant prædictum motum.

10 Et in primis dari plures relationes huius prædicamenti, quæ de facto acquiruntur per actionem, & passionem, cui omnes conditiones per se, & essentialiter requisitæ ad rationem motus conueniunt; & consequenter ad hoc prædicamentum *ad aliquid* dari motum, optimè probat Scotus quæst. 5. citata ratiocinatione ista. Ex eo colligimus, ad aliquod prædicamentum dari motum, quia ad quæsitum illius prædicamenti de aliquo mobili responsio, quæ datur antè motum, variatur post motum secundum prædicata illius prædicamenti; v. gratia, ex eo colligimus, ad quantitatem dari motum, quia si quæretur de aliquo viuenti, quantum

fit?

fit? responsio, quæ datur de illo antè motum augmentationis dicendo esse pedale, variatur post prædictum motum augmentationis secundum prædicata quantitatis, dicendo, esse bipedale. Et idem potest exemplificari in qualitate, & *vbi*. Sed ad quæsitum prædicamenti *ad aliquid* de aliquo mobili responsio, quæ datur antè motum, variatur post motum secundum prædicata prædicamenti *ad aliquid*: ergo ad prædicamentum *ad aliquid* datur motus. Minor est manifesta: nam, si inquiratur, v. g. de aliquo subiecto, quod per motū dealbationis transit ex nigro in album, quomodò respiciat aliud subiectum? v. g. album, responsio, quæ datur antè motum dealbationis, scilicet, esse dissimile, variatur post motum dealbationis secundum prædicata prædicamenti *ad aliquid* respondendo esse simile. Et idè exemplificari potest in quàm pluribus alijs relationibus.

11 Deinde relationes prædicamenti *ad aliquid*, etsi acquiri possint per verum motum, nō tamen terminare per se prædictum motum, sed per accidens; ac per consequens, etsi admittamus ad prædicamentum *ad aliquid* dari motum; negandum tamen semper esse dari motū per se, sed solum esse affirmandum dari motum per accidens, optimè probat Scotus loco citato ista ratiocinatione. Ad

hoc, vt ad aliquod prædicamentum dicatur dari motum per se, necessarium est, vt variatio responsionis, quæ datur ad quæsitum illius prædicamenti de aliquo mobili secundum prædicata illius prædicamenti post motum, & antè motum, sequatur omnino necessariò ad ipsum motum; nam, si solum sequitur ex accidenti, solum inferri potest, ad illud prædicamentum dari motum per accidens, v. g. ad quantitatem datur per se motus, quia variatio responsionis secundum prædicata huius prædicamenti, quæ datur ad quæsitum, quantum est viuēs? antè, & post motum augmentationis, sequitur omnino necessariò ad motum augmentationis. Sed variatio responsionis secundum prædicata prædicamenti *ad aliquid*, quæ datur post, & antè motum ad quæsitum prædicamenti *ad aliquid*, non sequitur omnino necessariò ad ipsum motum, sed solum ex accidenti: vt patet in exemplo adducto illius subiecti, quod per dealbationem trāsit ex nigro ad album: licet enim quando de illo subiecto inquiritur, qualiter respiciat aliud subiectum album? varietur responsio antè, & post motum dealbationis; nam antè responderetur, quòd sit dissimile, & post, quòd sit simile: tamen ista variatio non sequitur omnino necessariò ad motum dealbationis, sed ex accidenti,

nimirum, quia aliud subiectum, ad quod refertur, supponitur, esse album; nam, si non esset album, sed potius nigrum, non esset eadem variatio, sed potius opposita, scilicet, ex simili in dissimile: ergo dicendum est, etsi ad predicamentum *ad aliquid* detur motus, non tamen predictum motum terminari ad ipsum per se, sed per accidens.

12 Et confirmatur ratione, qua ad hoc ipsum probandum usus est Aristot. quam sic expendit Scotus q. 5. citata. Ad illud genus non datur per se motus, sed solum per accidens, cuius predicata variantur in mobili per mutationem factam in alio, ipso mobili non moto, sed predicata generis *ad aliquid* variantur in mobili per solam mutationem factam in aliquo alio: ergo ad predicamentum *ad aliquid* non datur motus per se, sed solum per accidens. Minor probatur: nam, si aliquod corpus album modò sit dissimile ad aliquod corpus nigrum, potest fieri simile eidem corpori per hoc solum, quòd corpus nigrum mutatur per dealbationem ex nigro in album, nulla facta mutatione in corpore albo.

13 Si sermo sit de actione, & passione, distinguendum est: nam (vt dictum est sup. li. 3.) tam actio, quam passio dupliciter sumi possunt. Primò materialiter, scilicet, pro fieri rei, quòd, inquam, est actus actiuus, dicitur

actio, & inquam est actus passiuus, dicitur passio. Qua ratione actio, & passio non constitunt quintum, & sextum predicamentum; sed reductiue collocantur in predicamentis superiorum terminorum (vt saepe dictum est) secundò sumi possunt formaliter, scilicet, pro respectibus extrinsecis aduenientibus transmutatis efficienter, & transmutati, à quibus producens aliquam formam in subiecto, & subiectum, in quo illam producit adinuenit comparata, vnum transmutatis efficienter, & aliud transmutatum, formaliter denominantur. In qua acceptione diximus, tam in Logica disp. de sex ultimis predicamentis q. 2. sect. 1. & 2. quam in 3. huius operis, actionem, & passionem constituisse quintum, & sextum predicamentum.

14 Loquendo de actione, & passione primo modo sumptis, scilicet, materialiter, & pro fieri rei, inquam est actus, quo agens agit, & quo patiens patitur. (Et idem est iudicium de motu materialiter sumpto) affirmat Aristot. & cum eo omnes interpretes, neque ad actionem, neque ad passionem, neque ad motum dari motum per se; imo neque mutationem, & hoc prouenire; tum, quia neque actio, neque passio, neque motus sunt acquisibiles per se per aliquam veram actionem, & passionem, quæ induere possit rationem motus, vel mutationis. Tum etiam quia neque actio, neque passio, neque

mo-

motus subiecta sunt alicuius motus, vel mutationis.

15 Primum ex his (scilicet, neque actionem, neque passionem, neque motum esse per se acquisibiles per aliquam actionem, & passionem, quæ induere possit rationem motus, vel mutationis) quadrupliciter probat Aristot. Primò inductione, nam per se acquisibile per generationem non est aliqua actio, vel passio, vel motus; sed aliquid permanens, scilicet, esse rei substantialis: & sic inducendo per reliquas species motus, & mutationis. Secundò, quia, si ad actionem daretur actio, & ad motum daretur motus, tanquam ad terminum per se acquisibilem, sequeretur processus in infinitum in ipsis actionibus, & motibus: nam, si ad albatationem, v. g. requireretur alba dealbatio, per quam illa prima dealbatio per se acquiratur, secunda dealbatio requireret etiam tertiam aliam dealbationem, per quam etiam ipsa per se acquiratur, & illa tertia requireret aliam quartam; & sic in infinitum. Tertio, quia, si vna mutatio esset ad aliam, tanquam ad terminum per se acquisibilem per ipsam, tunc non posset esse ad quamlibet indifferenter, sed determinatè ad suam oppositam; vt sanatio ad ægrotationem: ergo sanatio sit per se ad sanitatem, tanquam ad terminum; & cum hoc ex opposita sententia

fit ad ægrotationem, cuius terminus per se est ægrotatio, sequeretur, quòd sanatio esset simul ad sanitatem, & ad ægrotationem; quòd est impossibile, cum sint termini contrarii. Quarto, quia si vna actio, seu vna mutatio esset ad aliam, tanquam ad terminum per se acquisibilem, & illa ad aliam usque in infinitum, sequeretur, quòd nulla esset mutatio: consequens implicat: nam implicatorium est, quòd aliqua sit mutatio ad aliam mutationem, & quòd nulla sit mutatio. Consequentia patet: nam in infinitis subordinatis sicuti neque est assignabile primum, neque vltimum, ita neque aliquod intermedium poterit assignari. Neque per hoc contrariatur sibi Aristot. in alio asserto de æternitate mundi; nam etiam si ex æternitate mundi inferatur præcessisse infinitas mutationes; sed non infinitas per se subordinatas, & quarum vna sit terminus per se alterius.

16 Secundum ex his (scilicet, neque actionem, neque passionem, neque motum esse subiecta alicuius motus, vel mutationis) pluribus etiã vijs probat Aristot. Primò, quia videmus in omni motu, seu mutatione id, quòd est subiectum, esse quid diuersum à motu, seu mutatione: quòd probat inductione facta in omni motu, seu mutatione.

Se-

Secundò, quia, si motus esset subiectum motus, sequeretur, quòd etiam motus esset subiectum quietis, & quòd generatio esset subiectum corruptionis: quòd est falsum; nam alias motus quiesceret; & illud, quòd generatur, corrumpetur. Sequela patet, quia motus, & quies opponuntur priuatiuè & priuatiuè opposita necessariò versari debent circa idem subiectum. Tertio, quia, si motus esset subiectum alterius motus, eadem ratione esset assignandus alius motus, qui esset subiectum istius motus: & sic in infinitum: quòd est impossibile: nam impossibile est, dari infinitos motus adinuicem subordinatos. Quarto, quia sequeretur, doctrinationem esse subiectum doctrinationis; & generationem generationis: & consequenter, quòd idem esset subiectum sui ipsius: quòd est impossibile. Sequela patet; quia non apparet, cuius alterius motus possit esse subiectum doctrinationis, quàm doctrinationis; nec generatio, quàm generationis.

17 Loquendo de actione, & passione secundo modo sumptis, etsi nihil expressè doceat Arist. quia (vt modò dicebamus) cum in cap. 2. huius libri dixit, ad actionem, & passionem non dari per se motum, solum locutus est (vt rationes ab ipso factæ ad hoc prol. andũ

manifestè ostendunt) de actione, & passione materialiter sumptis, & pro fieri rei, vt est actus, quo agens agit, & patiens patitur. Dicendũ tamen nobis est, eo dem modo de ipsis esse philosophandum, ac cũ Arist. & cæteris interpretibus sumus philosophati de relationibus intrinsecus aduenientibus, & ad prædicamentum *ad aliquid* spectantibus, scilicet, etsi ad actionem, & passionem, vt sic, dari possit motus; non tamen per se, sed per accidens. Et hæc existimo fuisse rationem, ob quam Arist. exagrans ex professo in c. 2. huius libri ad quæ nã prædicamēta detur, vel non detur per se motus, nihil tamen expressit de actione, & passione formaliter sumptis, & pro respectibus, secundum quos (vt diximus num. 13.) constituitur quintum, & sextum prædicamentum (sicuti neque de *situ*, *habitu*, & *quando*) nimirum quia ex dictis circa prædicamentum *ad aliquid*, liquidè constabat, quid de actione, & passione formaliter sumptis esset dicendũ. 18 Probari autem potest hoc nostrũ assertũ (scilicet, ad actionem, & passionem formaliter, & pro respectibus, n. 13. explicatis sumptis, etsi dari possit motus, nō tamē per se, sed per accidens) eodem discursu, quo supra vsi sumus ad idē probandũ de relationibus intrinsecus aduenientibus, & ad prædicamentum *ad aliquid* spectantibus: nã in

in calefactione, v. g. qua ignis calefacit lignũ, etsi ad quæsitũ prædicamenti actionis, & passionis factũ de igne, & ligno (v. g. an ignis transmutet lignum, & lignum transmutetur ab igne?) varietur responsio secundum prædicata istorum prædicamentorũ antè, & post motum calefactionis; nã post calefactionem respõdetur, quòd ignis transmutat lignũ, & quòd lignum transmutatur ab igne, quæ responsio nō dabatur antè motum calefactionis: tamen ista variatio responsionis ad prædictũ quæsitũ, non necessariò, & indefectibiliter sequitur ad prædictũ motum calefactionis, sed ex accidēti, nimirum, quia prædictum lignũ tempore antecessit prædictam calefactionem: nam, si tempore non antecessisset (vt cõtingeret in casu, quòd Deus de nouo crearet, seu produceret aliquod lignum carens omni frigiditate in medio alicuius ignis: tunc enim lignum tempore non antecederet ipsam calefactionem; cum in eodē instante tēporis, in quo produceretur, etiã ab igne calefieret) nō variaretur responsio secundum prædicata istorũ prædicamentorũ ad prædictũ quæsitũ: nã in dicto casu, etsi prædicta calefactio esseteductio, nō tamē esset mutatio; & sic eodem pacto esset respõdendũ ad prædictũ quæsitũ secundum prædicata istorũ prædicamentorum

post ipsam calefactionem, ac antè ipsam, scilicet, nec ignem trãsmutare lignum, nec lignum trãsmutari ab igne.

19 Si demũ sermo sit de alijs tribus prædicamētis, quæ supersunt, scilicet, de *situ*, *habitu*, & *quando*, eodē etiã modo est philosophandũ, ac de prædicamēto *ad aliquid*. (Et hæc est ratio, cur Arist. in speciali de eis nihil dixit) nimirum, etsi ad hæc prædicamēta detur motus, sed non per se, sed per accidens. Nã (vt ex dictis in Logica disp. *de sex vltimis prædicamentis* quæst. 2. constat) *situs* formaliter consistit in relatione extrinsecus adueniente dispositionis, & ordinis, quæ seruant inter se partes existentes in loco alicuius animalis; vt *sedere*, *stare*, & c. & licet hæc relatio acquiratur, vel deperdat inter ipsas partes per motum localem ipsarum partium, sed non per se, sed per accidens: per se enim acquiritur per motum localem prædictarum partium solum sicut ubi quationes, seu præsentia, quas partes dicunt ad locum; relatio verò dispositionis, & ordinis, quam partes istæ existētes in loco dicunt inter se, solum dicitur acquiri per motum localem; eo quòd ex accidēti resultat in ipsis partibus, vt subsunt prædictis ubi quationibus seu localibus præsentibus. 20 *Habitus* formaliter consistit in relatione extrinsecus adueniente adiacētis, quam vestes dicunt ad hominem, seu

ad partes hominis, quando illis est indutus; quæ ratio etiam acquiritur, vel deperditur per motum localem, quo homo applicatibivestes, vel illis polliatur, sed non per se, sed per accidens; ut in simili de situ probatum est.

21 Quando denique consistit in relatione extrinsecus adueniente presentia, seu coexistentia; quam dicunt motus horum inferiorum ad motum primi mobilis, in quantum motus primi mobilis induit rationem temporis, seu mensuræ extrinsecæ ipsorum. Ad quam relationem, etiam dici possit, dari motum, in quantum subiectum, quod per ipsam refertur, debet esse motus; (solus enim motus est, qui per se dicitur esse in tempore; ut ex dictis 4. lib. disput. vltima q. vltima notum est.) Sed non, qui per se ad ipsam terminetur: nam manifestum est, motum istum terminum per se habere semper distinctum ab ista relatione presentia, seu coexistentia; neque præter istum motum assignari poterit aliquis alius motus, seu mutatio, per quam prædicta ratio fiat: aliás sicut prædicta ratio subiectatur in motu, ita & motus, seu mutatio, per quam fieret, in motu subiectaretur; quod esse impossibile multis rationibus demonstravit Aristot. quas num. 16. adduximus.

22 Ex dictis infero, non esse

audiendos aliquos Scotistas, quoties affirmant, ad omnes relationes extrinsecus aduenientes dari per se motum, vel mutationem. Licet enim ad aliquas istarum detur per se motus, vel mutatio, ut de relationibus extrinsecus aduenientibus spectantibus ad prædicamentum *ubi* expressè docuit Aristot. cap. 1. & 2. huius libri, & alibi sæpè: & idem doceat Scotus de relationibus extrinsecus aduenientibus, in quibus formaliter consistunt uniones, quibus natura humana ad diuinam Verbum; accidens, & eius subiectum, forma substantialis, & materia prima; & in vniuersum omnia extrema, quæ se habent, ut actus, & potentia, adinuicem vniuntur. Tamen neque ad relationem extrinsecus aduenientem transmutantis, quam dicit efficiens ad subiectum, quod transmutat, & spectat ad prædicamentum actionis: neque ad relationem extrinsecus aduenientem transmutati, quam dicit subiectum ad efficiens, à quo transmutatur; & spectat ad prædicamentum passionis: neque ad relationes extrinsecus aduenientes spectantes ad tria illa prædicamenta *Situs*, *Habitus*, & *Quando* datur per se motus, vel mutatio, sed solum per accidens. Non secus, ac non datur per se motus, vel mutatio, sed solum per accidens ad relationes intrinsecus aduenien-

nientes, & spectantes ad prædicamentum *ad aliquid*; ut ex discussis manifestum est; & expressè docuit Scotus q. 5. super hunc librum conclus. 3. & 4.

23 Neque ex hoc inferat aliquis, relationes istas extrinsecus aduenientes, ad quas negamus dari per se motum, vel mutationem, debere inter relationes intrinsecus aduenientes numerari. Nam relationes non dicuntur intrinsecus aduenientes ex eo, quod non terminent motum, vel mutationem per se; neque è contra relationes dicuntur extrinsecus aduenientes ex eo, quod terminent motum, vel mutationem per se; sed dicuntur intrinsecus aduenientes, quia positæ in rerum natura extremis, quæ per ipsas per se, & immediatè referuntur, necessariò resultant: & sic præter actiones illas, quæ necessariae sunt, ut ipsarum extrema per se, & immediata ponantur in rerum natura, nulla alia actio superueniens exigitur ad ipsarum resultantiam: ut exemplificari potest in omnibus relationibus spectantibus ad prædicamentum *ad aliquid*. Dicuntur autem relationes extrinsecus aduenientes, quia positæ in rerum natura extremis, quæ per ipsas per se, & immediatè referuntur, non necessariò resultant: & sic præter illas actiones, quæ necessariae sunt ad hoc, ut ipsarum extrema per se, & immediata po-

nantur in rerum natura, adhuc exigitur ad ipsarum relationum resultantiam, quod superueniat aliqua noua actio: siue hæc actio per se terminetur ad illas, ut contingit in relationibus spectantibus ad prædicamentum *ubi*; & in relationibus unionis, quibus extrema, quæ se habent ut actus, & potentia adinuicem vniuntur: siue per se terminetur ad aliquid aliud, & solum per accidens ad ipsas relationes, ut contingit in relationibus, à quibus producens formam in aliquo subiecto, & ipsum subiectum, in quo illam producit adinuicem comparata, transmutans, & transmutatum denominantur; quæ spectant ad prædicamentum actionis, & passionis; & similiter in relationibus spectantibus ad prædicamenta *situs*, *habitus*, & *quando*.

24 Ex his omnibus patet, quam verum sit id, quod Aristot. docuit in his duobus prioribus capitibus huius libri, scilicet, ad tria tantum prædicamenta dari per se motum strictè sumptum; & consequenter motum strictè sumptum in tres tantum species subalternas esse diuidendum, scilicet, in augmentationem, & diminutionem; ad quod genus spectant omnes species motus, quæ per se terminantur ad quantitatem: in alterationem; ad quod genus spectant omnes species motus, quæ per se tendunt ad qua-

qualitatem, & in lationem: ad species motus, quæ per se terminantur ad ubi.

## DISPUTATIO SECVNDA.

### De unitate, & contrarietate motus.

**C**IRCA unitatem, & contrarietatem motus, tria examinanda veniunt. Primum, unde motus unitatem, & diuersitatem specificam accipiant. Secundum, unde motus accipiant unitatem, & diuersitatem numericam. Tertium, unde motuum contrarietas desumenda sit?

### QVÆSTIO PRIMA.

#### Unde motus unitatem, & diuersitatem specificam accipiant?

**P**RO intelligentia huius quæstionis aliqua supponenda sunt. Primum supponendum est, quod etiam si motus sumptus pro forma fluente (& idem est iudicium proportionabiliter de mutatione, & actione) sit res incompleta; & consequenter in esse rei consideratus nequeat per se in aliqua specie, vel prædicamento collocari; sed reductiuè, tam in prædicamento, quam in specie sui termini collocetur; eo quod motus, & eius terminus eadè sunt res, & solum differant secundum diuersos status, seu modos essendi eiusdem rei; quales sunt re esse in fieri, seu statu imperfecto viæ, & tēdētiae adulteriorem perfectionem, & re esse in facto esse; qui est status eius perfectus. Tamē

possimus in motibus (si in ratione motus, qualis est, esse actum entis in potentia secundum quod in potentia, considerentur) aliquod esse specificum modale assignare; quod per se motibus conueniat; & ratione cuius vnus motus formaliter, & in ratione motus specie differat ab alio. Imò possumus ex prædicatis essentialibus superioribus, & inferioribus, quæ reperiuntur in hoc esse specifico modali, quod per se competit motibus, & ex differentiis essentialibus, quibus prædicata essentialia superiora ad sua inferiora contrahuntur, fabricare aliquod prædicamentum modale, in quo motus omnes, in quantum motus sunt, per se collocentur.

2 Quod si roget aliquis, qualiter

liter hoc prædicamentum modale disponi, & coordinari debeat? Respondeo, sic esse fabricandum; vt pro genere generalissimo illius ponatur actio; sumpta actione; nõ formaliter, & pro respectibus (sic enim actio res completa est, & per se collocatur; vel in prædicamento ad aliquid; si accipiat pro respectibus productis ad productum, inducentis ad inductum educentis ad educatum; vel in prædicamento actionis, si accipiat pro respectu transmutatis ad trãsmutatam.) Sed sumpta actione materialiter, & pro re acta in fieri, in quantum est actus agentis, seu actiui: qua ratione actio, quid modale est, & prædicatum essentialiale supremum inter omnia, quæ in motibus reperiuntur; & in quo non solum conueniunt vniuersè omnes motus, sed etiã omnes mutationes; imò & actiones omnes.

3 Rursum actio, vt sic, aut egreditur ab agente, cuius est actus, ex nullo præsupposito subiecto, aut ex aliquo subiecto præsupposito. Si primo modo contingat, dicitur, & est creatio; si vero secundo modo, dicitur, & esteductio. Quod intelligendum est in primo egressu istarum actionum; nam si consideretur prout post primum egressum sui per aliquod tempus perscuerat, & continuatur neque vna creatio, neque alteraeductio dicitur; sed vtraque cõseruatio. Nec mi-

rum alicui appareat, quod eadem differentia duo genera alicuius prædicamenti, & nõ subalternatim posita, qualia sunt creatio, &eductio, trãseant ad esse cõseruationum: nam hæc nõ est differentia formalis istius prædicamenti modalis, quod fabricamus, sed materialis, & regula illa antepædicamenti modalis (diuersorum generum, & nõ subalternatim positarum diuersæ sunt differentie) solum intelligitur de differentiis formalibus, nõ de materialibus.

4 Deindeeductio, quãdo egreditur ab agente, cuius est actus, ex aliquo præsupposito subiecto, vel præsupponit subiectum in aliquo priori temporis (vt communiter cõtingit) vel solum in aliquo priori naturæ (vt cõtingit in productione cælorum; & in prima productione elementorum) si primo modo se habeat, dicitur, & est mutatio: si secundo modo, dicitureductio, appropriato sibi nomine generico ex defectu nominis proprii.

5 Rursum mutatio (teste Arist. cap. I. huius libri) aut fit ex nõ subiecto in subiectum secundum contradictionem, & sic dicitur generatio; aut fit ex subiecto in non subiectum, etiam secundum contradictionem; & sic dicitur corruptio: aut fit ex subiecto in subiectum secundum contrarietatem, & sic dicitur, & est motus.

6 Demum motus (teste eodem Philosopho cap. 2.) aut per se

terminatur ad quantitatem; & sic est *augmentatio*, vel *diminutio*: aut per se terminatur ad qualitatem; & sic est *alteratio*: aut per se terminatur ad *ubi*; & sic est *latio*. Et quælibet ex his speciebus subalternis cōtrahitur rursus ad diuersas species inferiores, vel subalternas, vel infimas secundum vnitatē, vel distinctionē in specie subalterna, vel infima terminorum, ad quos tendunt; vt docuit Arist. hic cap. 4. text. 31. En ergo quomodo hoc prædicamentum modale, in quo omnes motus, in quantum motus seu entia modalia sunt, per se collocantur, fabricetur, seu ordinetur.

7 Cum ergo in præsentī inquirimus, *unde motus* vnitatem, vel diuersitatem specificā accipiant? non est sermo de esse specifico, quod cōuenit motibus in esse rei expectatis. (Cum enim hoc esse specificū nō cōueniat motibus per se, sed per reductionem ad terminos, ad quos tendunt, certū debet esse, ab illis accipere motus vnitatē, quā diuersitatem specificā, quæ cōuenit eis in esse rei expectatis, à quibus illā accipiūt termini, ad quos tendunt; licet cum hoc discrimine, quod termini, ad quos tendūt, illam accipiunt per se; motus autem reductiue.) Sed sermo est de esse specifico modali, quod competit motibus per se, & in quantum sunt *actus entis in potentia secundum quod in potentia*.

8 Secundo supponendū est, nos in hac quæstione non investigare, quidnam sit intrinsecū, & essentialē cōstitutiuum huius esse specifici modalis, quod per se cōpetit motibus; licet enim omnis motus (sicuti & quæcūq; alia res) habeat suū intrinsecū, & essentialē cōstitutiuū, & distinctiuū; hoc tamē adeo nos latet, & occultū est, vt nō, nisi per extrinseca cōnotata, à quib⁹ motus essentialiter depēdet, vel cū quib⁹ motus essentialiter cōnectitur, innotescere valeat. Inuestigam⁹ ergo in hac quæstione, quæ nā sint hæc connotata extrinseca, à quib⁹ motus in suo esse specifico modali, ita essentialiter depēdet, vel cū quib⁹ ita essentialiter cōnectitur, vt ex vnitatem, vel diuersitate specificā ipsorum deuenire possimus in cognitionē vnitatis, vel diuersitatis specificæ intrinseci, & essentialis constitutiuæ, & distinctiuæ ipsorum nos latentis.

9 Tertiō supponendum est, quinque tantū esse connotata extrinseca motus, de quibus in præsentī dubitari potest, an motus in suo esse specifico ab illis dependeat, vel saltem ita cum illis essentialiter cōnectatur, vt ex vnitatem, vel diuersitate specificā ipsorum colligere possimus vnitatem, vel diuersitatem specificā modalem in ipsis motibus, nimirū, *agens*, unde egreditur; *mobile*, in quo recipitur; *terminus*, à quo re-

recedit; *terminus*, ad quem tendit; & *medium*, per quod transit; de quibus omnibus quæstio hæc sigillatim est exagitanda.

10 Si sermo sit de *termino*, ad quem tendit motus, nulla est cōtrouersia inter Doctores. Nam conueniunt omnes, motus (idē est iudicium de mutationibus, & actionibus) in suo esse specifico modali ita essentialiter cōnecti cum terminis, ad quos tendunt, vt ex vnitatem, vel diuersitate specificā ipsorum, optimē inferatur vnitatem, vel diuersitas specificā ipsorum motuum. Hoc enim non solum docuit Aristot. hic capite 4. text. 31. sed etiam inductione facta per aliqua genera, & per aliquas species, tam subalternas, quā infimas motuum demonstrauit. Et ratio à priori est, quia terminus, ad quem tendit motus, comparatur ad ipsum motum per modum formæ, & actus ultimi: ergo inde necessario sumit motus primariam, & essentialē rationem suam.

11 Sed quamuis in prædicto asserto omnes Doctores conueniant, differunt tamen in explicando, an hæc vnitatem, vel diuersitas specificā, quam motus detumunt ex vnitatem, vel diuersitate specificā terminorum, ad quos tendunt, pensanda sit penes vnitatem, vel diuersitatem specificā, quæ conuenit prædictis terminis materialiter, & in esse rei consideratis?

an ex vnitatem, vel diuersitate specificā, quæ conuenit prædictis terminis formaliter, & in esse terminorum expectatis?

12 Suarez 2. tomō Metaph. disput. 48. sect. 3. num. 8. sustinet, solum esse pensandam ex vnitatem, vel diuersitate terminorum materialiter, & in esse rei expectatorum; non verò ex aliqua vnitatem, vel diuersitate terminorum formaliter, & in esse terminorum consideratorum. Neque aliunde probat, quā inquirendo, unde nam ista vnitatem, vel diuersitas specificā, quæ tribuitur terminis motuum formaliter, & in esse terminorum consideratis provenire possit in illis, quoties ponitur diuersitas, & distincta ab vnitatem, & diuersitate specificā, quæ conuenit prædictis terminis materialiter, & in esse rei expectatis. Et quia ipse non valet assignare, unde ista vnitatem, vel diuersitas specificā in prædictis terminis provenire possit, hinc colligit esse fictitiam.

13 Sed cōmunior, & verior consensus inter Doctores est, hanc vnitatem, vel diuersitatem specificā, quam motus per se, & in esse motuum desumunt ex vnitatem, vel diuersitate specificā terminorum ad quos tendunt, non esse pensandam ex vnitatem, vel diuersitate specificā, quæ conuenit prædictis terminis materialiter, & in esse rei consideratis; sed potius ex vnitatem,



tate, vel diuersitate specifica, quæ conuenit prædictis terminis formaliter, & in esse terminorum expectatis: quæ vnitas, vel diuersitas specifica, etsi aliquando coincidat, sitque eiusdem rationis cum vnitate, vel diuersitate specifica, quæ conuenit terminis materialiter, & in esse rei expectatis; tamen multoties non coincidit, sed est diuersæ rationis. Et dixi tantum, hanc vnitatem, vel diuersitatem specificam, quam motus per se, & in esse motuum desumunt, &c. nam, si sermo sit de vnitate, vel diuersitate specifica, quæ conuenit motibus, non per se, & in quantum motus sunt, sed reductiuè, & in quantum res quædã sunt, non potest esse dubium, quin ipsam desumant ab vnitate, vel diuersitate specifica, quæ cõuenit ipsi sermone materialiter, & in esse rerum expectatis; (& fortasse hoc tantum contendit Suarez) tamen in præsentia questione non est sermo de hac vnitate, vel diuersitate specifica, (vt num. 7. adnotauimus) sed de priori, quæ est, quæ conuenit motibus per se, & in quantum motus sunt.

14 Probari potest hæc nostra sententia. Primò à simili aliarum rerum, quæ vnitatem, vel diuersitatem specificam desumunt ex vnitate, vel diuersitate specifica terminorum, vel obiectorum, ad quæ per se tendunt: quæ vnitas, vel diuersitas specifica non pensatur (in om-

nium sententia) ex vnitate, vel diuersitate specifica, quæ prædictis terminis, vel obiectis materialiter, & in esse rerum consideratis; sed potius ex vnitate, vel diuersitate specifica, quæ conuenit eis formaliter, & in esse terminorum, vel obiectorum expectatis; vt inductione facta, tam in relationibus, quam in actibus, & habitibus potest demonstrari.

15 Secundo probari potest manifestis instantijs. Et quamuis innumeræ adduci possent, sufficiat pro nunc ista. Motus ab albo in fuscum, & motus à nigro in fuscum, cum in ratione motus sint essentialiter oppositi, necessariò fatendũ erit, etiam esse essentialiter, & specificè diuersos in ratione motus: & tamen manifestum est, hanc diuersitatem specificam, quam habet in ratione motus, non posse desumi ex diuersitate specifica, quæ conuenit terminis ad quos ipsorum materialiter, & in esse rerum expectatis; (sic enim duo colores fuscus, ad quos terminantur, potius sunt eiusdem speciei) sed potius desumi ex diuersitate specifica, quam habent termini, ad quos tendunt, formaliter, & in ratione terminorum considerati, nimirum; quia color fuscus, vt comparatur ad albũ, & consequenter, vt terminat motum, qui est ab illo, induit rationem nigri: & vt comparatur ad nigrum, & consequenter,

ter, vt terminat motum, qui est ab illo, induit rationem albi; quæ rationes nigri, & albi non solum sunt specificè diuersæ, sed etiã essentialiter oppositæ. 16 Vnde ad fundamentum Suarez facillè respõdetur, vnitatem, vel diuersitatem specificam, quæ tribuitur terminis ad quos motuum formaliter, & in esse terminorum expectatis, quoties diuersa est ab vnitate, vel diuersitate specifica, quæ cõuenit prædictis terminis materialiter, & in esse rerum consideratis, ex varijs, & diuersis capitibus pronenire posse. (nõ obstante; quòd Suarez nulum caput valeat inuenire) Aliquando enim prouenit ex vnitate, vel diuersitate specifica terminorum, à quibus recedit motus; vt in exemplo motus ab albo in fuscum, & motus à nigro in fuscum numero præcedenti adducto aperte constat. Aliquando vero ex eo, quòd vnus motus fiat ex nullo præsupposito subiecto; & alius ex aliquo præsupposito subiecto; vt contingit in productione caloris, quæ dicitur creatio; & in productione caloris; quæ dicitur eductio. Aliquando demum ex vnitate, vel diuersitate specifica medijs, per quod fit motus; vt contingit in duobus motibus localibus tendentibus in idem vbi; quorum vnus fit per lineam rectam, & alius per lineam circularem; quæ omnia

ex dicendis circa alia connotata extrinseca motus magis erunt manifesta.

17 Si sermo sit de termino, à quo recedit motus, controversia est inter Doctores. Nam D. Tho. 1. p. quæst. 23. art. 1. ad 1. & quæst. 25. art. 1. & quæst. 45. artic. 1. expressè affirmat, motus nullo modo accipere vnitatem, vel diuersitatem specificam à terminis, à quibus recedunt. Quem sequuntur cõmuniter Thomistæ; Ferrara in præsentia quæst. 4. Tabellus q. 7. Sotus quæst. 3. Matsius lect. 2. quæst. 2. Toletus quæst. 2. Pererius lib. 13. quæst. 8. Cornubricenses quæst. 1. Rubius cap. 4. quæst. 1. curius Carmelitanus disput. 23. quæst. 1. §. 2. Hurtado disput. 11. Physica lect. 8. §. 60. & plures alij.

18 Suaderi solet hæc sententia. Primò, quia ad specificandum eundem simpliciter actum nequeunt duæ rationes oppositæ concurrere. Sed ratio termini à quo; & ratio termini ad quem sunt oppositæ: ergo nequeunt simul concurrere ad specificandum actum simplicem; qualis est motus. Sed ostensum est ex Aristot. eum cõmuni sententia, motum specificari ex termino ad quem; ergo negandum absolute est, posse simul à termino à quo specificari motum, seu sumere vnitatem, vel diuersitatem specificam.

19 Secundò, motus habentes

tes terminos ad quos eiusdem speciei, sunt eiusdem speciei, etiam si habeant terminos à quibus diuersæ speciei; & è contra, motus habentes terminos ad quos diuersæ speciei sunt diuersæ speciei, etiam si habeant terminos à quibus eiusdem speciei: ergo in specificatione motus nulla est habenda cura de vnitatem, vel diuersitate specifica terminorum, à quibus discedunt motus; sed solum, & præcisè sumenda est ex vnitatem, vel diuersitate specifica terminorum, ad quos motus ipsi tendunt. Antecedens patet; nam dealbationes omnes sunt motus eiusdem speciei; (vt docuit Aristot. capite 4. tex. 31.) & nihilominus possunt habere terminos à quibus diuersæ speciei, vt si vna incipiat à palido; & alia incipiat à fusco, vel alio medio colore: & è contra, dealbatio, & denigratio sunt motus diuersæ speciei: (vt docuit idem Aristot. loco citato) & tamen possunt habere terminos à quibus eiusdem speciei; vt si vnum corpus ex cæruleo fiat album, & aliud ex cæruleo fiat nigrum.

20 Tertiò, quia hæc sententia videtur expressa Aristot. nam hic cap. 4. tex. 31. agens de vnitatem, vel diuersitate specifica motus, docet, motum illam desumere ex vnitatem, vel diuersitate specifica terminorum,

ad quos tendunt, nulla facta mentione terminorum à quibus recedunt.

21 Sed his non obstantibus tenendum est, motus (idem est iudicium de mutationibus; & actionibus) in suo esse specifico modali consideratos desumere vnitatem, vel distinctionem, non solum ex vnitatem, vel diuersitate specifica terminorum, ad quos tendunt; sed etiã ex vnitatem, vel diuersitate specifica terminorum, à quibus recedunt; licet cum hoc discrimine, quod à terminis ad quos desumunt vnitatem, vel diuersitatem specificam immediatè, & proximè; à terminis autem à quibus radicaliter, & remotè. Hæc est modo videri non solum doctrina Scoti in 3. d. 14. q. 2. §. Ad primum argumentum, vers. Ad primam dico, lit. E. sed etiam ipsiusmet Aristot. nam hic capite 1. motum, & generationem constituit, vt duas species mutationis essentialiter distinctas ex differentia essentiali, & specifica, quæ reperitur in terminis à quibus recedunt, formaliter, & in esse terminorum expectatis, videlicet; quia generatio est mutatio à subiecto in subiectum secundum contradictionem; motus verò est mutatio à subiecto in subiectum secundum contrarietatem. Vnde sententiã istam, vt Aristotelicam defensauit non solum Scotista, sed etiam Barleus hic q. 2. Albertus de

Sa-

Saxonia q. 6. Astudillo q. 5. & plures alij.

22 Probari autem potest hæc nostra sententia instantijs manifestis; nam, si quis inquirat, cur motus ab albo in fuscum, & motus à nigro in fuscum, et si materialiter, & in esse rei sint eiusdem speciei, nihilominus formaliter, & in esse motuum (sumpto motu pro forma fluente) ab omnibus, non solum, vt motus essentialiter diuersi, sed etiam, vt essentialiter oppositi reputentur; etsi optimè respondeatur, causam esse; quia colores fusci, qui sunt termini, ad quos tendunt hi motus, etsi materialiter, & in esse rei sint qualitates eiusdem speciei; tamen formaliter, & in quantum sunt termini, ad quos istorum motuum; sunt diuersæ speciei, imò essentialiter oppositi; quia color fuscus terminat motum ab albo, in quantum induit rationem nigri; & motum à nigro, in quantum induit rationem albi. Tamen, quis non videat, in ista responsione solum assignari causam huius distinctionis immediatam, & proximam, & adhuc superesse locum inquirendi de causa huius distinctionis radicali, & remota. Cur, inquam, color fuscus, in quantum terminat motum ab albo, induit rationem nigri; in quantum verò terminat motum à nigro, induit rationem albi? & cum ad hanc inquisitionem

solum possit responderi, causam huius esse; quia termini, à quibus recedunt hi motus, sunt distinctæ speciei, imò essentialiter oppositi; nam vnus est nigrum, & alter est album: concluditur manifestè id, quod cum Scoto, & Aristot. statuimus, scilicet, motus in suo esse specifico modali (quod est, quod ipsis per se, & in ratione motus competit) desumere vnitatem, vel distinctionem non solum ex vnitatem, vel distinctione specifica terminorum formalium, ad quos tendunt, sed etiam ex vnitatem, & distinctione specifica terminorum formalium, à quibus recedunt; licet cum discrimine assignato, scilicet, à terminis, ad quos tendunt, tanquam à causa proxima, & immediata; à terminis verò, à quibus recedunt, tanquam à causa radicali, & remota.

23 Idem argumentum fieri potest in productione caloris facta in subiecto habente frigiditatem, quæ est qualitas diuisibiliter opposita calori; & in productione caloris facta in subiecto omni frigiditate carenti; nam licet istæ productiones caloris in esse rei expectatæ dicantur eiusdem speciei; tamen in esse mutationum consideratæ diuersæ sunt speciei; nã prior est motus, secunda verò generatio. Et si quis inquirat, cur productiones istæ caloris, etsi in esse rei sint eiusdem speciei,

cicī, tamē in esse mutationum sint essentialiter, & specificē diuersa; etsi optimē respōdeatur, causā esse; quia calores, ad quos terminātur, etsi in esse rei sint eiusdē speciei; tamen formaliter, & in quātū sunt termini prēdictarū mutationū, sunt speciei diuersi; nam calor petit, priorem mutationem non simul, sed successiue, & gradatim terminare; secūdam verō, non successiue, & gradatim, sed in instanti, & simul secundū omnes gradus. Tamen in ista responsione solum adducitur causa proxima, & immediata huius distinctionis, adhucque desideratur causa remota, & radicalis, cur, scilicet, calor, ut terminat priorem mutationem, petat ipsam terminare successiue, & in tempore; at verō, ut terminat posteriore mutationem, hoc non petat, sed potius petat, ipsam terminare simul, & in instanti; & manifestum est, non posse assignari aliam, quam differentiam, quæ est inter istas productiones caloris ex parte terminorū, à quibus recedunt, nimirū; quia prior habet pro termino à quo qualitatem positiuam diuisibiliter oppositam termino ad quem ipsius; posterior verō non, sed potius habet pro termino à quo priuationē termini ad quem ipsius. Quæ est ipsamet causa, seu ratio distinctionis specificæ inter motum, & generationem, quam Arist.

loco citato adduxit. Omitto innumeras alias instantias diuersorum in specie motuum, in quibus potest idē fieri augmentum.

24 Ratio verō à priori huius nostræ sententiæ est; quia motus in ratione motus, non solum dicit ordinem essentialē ad terminum ad quem, sed etiā ad terminum à quo. Quod non solum docuit Arist. cum cap. 1. & 4. huius libri statuit, intrinsecum esse motui, inter contrarios terminos versari; sed etiam falsus est D. Tho. dum in 4. d. 12. q. 1. art. 3. quæstioncula 2. dixit, motum secūdam rationem suæ speciei requirere terminum à quo, & ad quem: ergo vnitas, vel diuersitas specificæ, quæ conuenit nictui, in quantum motus est, non solum debet deduci ex vnitate, vel diuersitate specificæ termini ad quem illius, sed etiam ex vnitate, vel diuersitate specificæ termini eius à quo.

25 Respondent aliqui Thomistæ, etsi motus in ratione motus, dicat ordinem essentialem, non solum ad terminum ad quem, sed etiam ad terminum à quo; tamen non specificari motum à termino à quo, sed solum à termino ad quem; quia ordo essentialis, quæ dicit motus ad terminum à quo, solum prouenit in motu propter ordinem essentialem, quem dicit ad terminum ad quem: quia enim motus dicit ordinem essentialem

lem

lem ad terminum ad quem; & insuper terminus ad quem essentialiter variatur in ratione formalis termini ad quem ex variatione essentiali termini à quo. Hinc est (inquiunt Thomistæ) quod non solum motus dicat ordinem essentialem ad terminum ad quem, sed etiam ad terminum à quo.

26 Sed quis non videat, solutionem istam Thomistarum, ipsorum sententiam enervare, nostramque stabilire. Ex eo enim, quod ordo essentialis, quem dicit motus ad terminum à quo, proueniat in motu propter ordinem essentialem, quæ dicit ad terminum ad quem; quod inferri debet, est, non, quod inferunt Thomistæ, scilicet, motum nullo modo specificari à termino à quo: si enim aliquo modo dicit ordinem essentialem ad terminum à quo, profecto, quod aliquo modo specificetur à termino à quo, necessarium erit. Sed quod debet inferri, est, id, quod nos asserimus, scilicet, motum, etsi ab utroque termino specificetur, sed non eodem modo; nam à termino ad quem specificatur proximè, & immediatè; à termino verō à quo remotè, & radicaliter; in quantum, scilicet, vnitas, vel diuersitas specificæ illius est radix, & causa vnitatis, vel diuersitatis specificæ termini ad quem motus formaliter, & in esse termini ad quem considerati, qui est, à quo mo-

tus proximè, & immediatè sumit suam specificationem.

27 Sed rationibus pro sententiâ Thomistarum adductis satisfaciamus. Ad primam dicimus, concludere optimè motum non posse simul specificari à termino ad quem, & à quo, tanquam per differentias formales, & intrinsecas; nam differentiæ formales, & intrinsecæ alicuius actus simplicis (qualis est motus) nequeunt esse oppositæ, sicut sunt terminus à quo, & ad quem cuiusvis motus, seu mutationis: tamen motum non posse simul specificari à terminis ad quem, & à quo, tanquam ex cōnotatis extrinsecis, à quibus motus in suo esse specifico essentialiter dependeat, vel saltem cum illis essentialiter cōnectatur, minimè probare. Nā nil vetat, quod aliquis actus simplex habeat cōnotata extrinseca inter se opposita, à quibus in suo esse specifico essentialiter dependeat, vel saltem cum illis essentialiter cōnectatur. Imò in motu, & mutationibus, cum sint transitus à contrario in contrarium, vel à contradictorio in contradictorium, hoc est simpliciter necessarium.

28 Pro solutione secundæ rationis duo aduertenda sunt. Primum est, quod sicut terminus ad quem motus potest dupliciter considerari, scilicet, materialiter, & in esse rei, & formaliter, & in esse termini ad quem

T4

mo:

motus; ita terminus à quo motus potest dupliciter considerari, scilicet, materialiter, & in esse rei, & formaliter, & in esse termini à quo motus. Secundum est, quod sicut supra contra Suarez dicebamus, ad unitatem, vel diuersitatem specificam modalem, quæ conuenit motibus immediate, & proximè ex terminis ad quos non esse pensandâ unitatem, vel diuersitatem specificam, quæ conuenit prædictis terminis ad quos materialiter, & in esse rei expectatis; sed quæ illis cõpetit formaliter, & in esse terminorum ad quos consideratis; ita modò dicimus, ad unitatē, vel diuersitatē specificam modalem, quæ conuenit motibus radicaliter, & remotè ex terminis à quibus, non esse pensandâ unitatem, vel diuersitatem specificam, quæ conuenit terminis à quibus materialiter, & in esse rei consideratis, sed quæ illis cõpetit formaliter, & in esse terminorū, à quibus expectatis. Etsi quæras, in quonam consistat hæc unitas, vel diuersitas specifica, quæ conuenit terminis, à quibus formaliter, & in esse terminorū à quibus expectatis? respondetur consistere in modo recedendi motū ab ipsisterminis à quibus; nam, si recedat ab ipsis, tanquā à contradictorijs, termini à quibus formaliter, & in esse terminorum erunt in vna specie: etsi recedat ab ipsis, tanquā à contrarijs, assumpta cõtrarietate in sensu,

in quo illā supra explicuimus; scilicet, pro distantia inter terminos positiuos, quæ naturaliter petat, nō subito, sed successiue pertransiri) termini à quibus formaliter, & in esse terminorum erunt in altera specie.

29 His suppositis, ad secundam rationem respondetur, quod, si sermo sit de diuersitate specifica, quæ conuenit terminis à quibus formaliter, & in esse terminorū à quibus consideratis, (quæ est, quæ attendi debet, vt ab illa sumant unitatē, vel diuersitatē specificam remotè, & radicaliter) falsa omninò est illa prior pars antecedētis (*motus habentes terminos ad quos eiusdem speciei, etiamsi habeant terminos à quibus diuersæ speciei*) neque oppositū conuincitur instantia dealbationū, quarū vna incipiat à palido, & alia à fusco, vel alio medio colore; nā dealbationes istæ, etiamsi habeant terminos à quibus, qui materialiter, & in esse qualitātū, sunt diuersæ speciei, tamen formaliter, & in esse terminorū, à quibus recedūt dealbationes, omnes sunt eiusdē speciei; siquidem ab omnibus illis recedunt dealbationes, tanquā à contrarijs; & sic non mirū, quod omnes dealbationes recedentes à coloribus medijs eiusdem speciei Arist. reputauerit, cum omnes habeant nō solū terminos ad quos, sed etiam terminos à quibus formaliter, & in esse terminorū expectatos eiusdē speciei.

speciei. Secus verò cõtingeret in casu, quo aliqua dealbatio nullum colorem, neque extremū, neque medium supponeret in subiecto, à quo recederet; tūc enim prædicta dealbatio, etsi in esse rei esset eiusdem speciei cū reliquis dealbationibus; nam motus (& idem est iudiciū de mutationibus, & de actionibus) in esse rei solū desumunt specificationē ex terminis ad quos in esse rei consideratis, seu (vt proprius loquar) solū ad speciē ipsorum reducūtur. Tamen in esse mutationis esset specie distincta; nā nō esset a contrario in cõtrarium, sicut sunt ceteræ dealbationes; sed à cõtradictorio in cõtradictorium. Et sic iuxta principia Aristor. hic cap. I. spectaret ad speciē mutationis, quæ dicitur generatio; reliquæ verò ad speciē mutationis, quæ dicitur motus.

3. Posterior pars antecedētis secundæ rationis adductæ pro sententia Thomistarū (scilicet, *motus habentes terminos ad quos diuersæ speciei sunt diuersæ speciei, etiamsi habeant terminos, à quibus eiusdē speciei*) verissima est; sed non rectè adducitur ad probandū, motus non sumere unitatē à terminis à quibus; nam bene stat, quod motus accipiāt unitatē specificam à terminis à quibus; & quod nihilominus motus habentes terminos à quibus eiusdē speciei sint diuersæ speciei ob diuersitatē specificam

terminorū ad quos, qui sunt etiā connotata, à quibus unitatē, & diuersitatē specificam accipiunt motus. Cuius ratio à priori est, quia unitas sapit rationē boni; & diuersitas sapit rationē mali: & sicut bonū ex integra causa, malū ex quocumque defectu; ita ad unitatē specificam duorū motuum necessariū est, quod omnia cõnotata, ex quibus unitatē, vel diuersitatem specificam capiunt, sint eiusdē speciei in vno, & in alio motu; ad diuersitatem autem specificam prædictorū motuum sufficit, quod aliquod ex prædictis connotatis sit diuersæ speciei in vno motu, ac est in alio, etiā si omnia alia connotata in vtroque motu sint eiusdem speciei.

3.1 Ad tertiam dicimus, ex eo quod Arist. cap. 4. huius libri docet, t. motus desumere unitatē, vel diuersitatem specificam ex unitate, vel diuersitate specifica terminorū, ad quos tendunt, nulla facta mentione terminorū, à quibus recedunt, nō rectè inferri ex mente Aristot. motus solū modò specificari à terminis, ad quos tendunt. Tū, quia alio in loco (scilicet, cap. I. eiusdem libri) agens de unitate, & diuersitate specifica mutationum, illam assignauerat, non solū ex unitate, vel diuersitate specifica terminorū ad quos, sed etiā ex unitate, vel diuersitate specifica terminorū à quibus. Tum etiā, & præcipue, quia ibi solū agebat de unitate

vnitate, vel diuersitate specifica motuum, facta solum comparatione iater species motus strictè sumpti, quæ species motus, cum omnes conuenire debeant, tam in vnitate formali termini à quo, qualis est esse à cõrrario, quàm in vnitate formali subiecti, qualis est, quòd sit ens in actu formali (aliàs nõ essent species motus strictè sumpti) solum restabat, quòd prædictæ species motus ad inuicem comparatæ essent, vel non essent eiuidè speciei, vel ex vnitate, vel diuersitate specifica terminorũ ad quos, vel ex vnitate, & diuersitate specifica medij, per quod tranljit: & sic solum ex his duobus capitibus capite 4. docet, species motus strictè sumptos sumere vnitatem, vel distinctionem specificam.

32 Si sermo sit de mobili, seu subiecto, in quo recipitur motus, communiter recentiores affirmant, motus nullo modo sumere vnitatem, vel diuersitatẽ specificam ex vnitate, vel diuersitate specifica mobilium, seu subiectorum, in quibus recipiantur. Quæ doctrina, si intelligatur de vnitate, vel diuersitate specifica, quæ conuenit mobilibus, seu subiectis materialiter, & in esse rei consideratis, verissima est; quia hoc etiam pacto supra dictum est, neque ex terminis à quibus, neque ex terminis ad quos, motus sumere vnitatem, vel diuer-

sitatẽ specificam modalem, quæ illis per se cõpetit. Et manifestè conuincitur exemplo, seu instantia calefactionis ab igne prouenientis, quæ eiuidè speciei est, non solum in esse rei, sed etiam in ratione motus, quando recipitur in ligno, ac quando recipitur in linteo, non obstantẽ, quòd lignum, & linteum materialiter, & in esse rei sint diuersa in specie; quia cum hac diuersitate specifica materiali, & in esse rei, stat idẽtitas specifica ipsorum, si formaliter, & in esse subiectorum considerentur; cum vtrumque in ratione subiecti tẽpore antecedit ipsam calefactionem, & insuper vtrumque sit ens in actu formali.

33 Nihilominus asserendum est, actiones, & mutationes, & consequẽter motus, etiam per ordinem ad subiecta formaliter sumpta sumere (saltem radicaliter, & remotè) tam vnitatem, quàm diuersitatẽ specificam modalẽ; quæ est, quæ illis per se competit; & consequenter ex diuersitate specifica, quæ conuenit subiectis eorum (nõ materialiter, & in esse rei expectatis, sed consideratis formaliter, & in esse subiectorũ; vt est, v.g. quòd fiãt, vel nõ fiãt ex præsupposito subiecto: item, quòd subiectum præsupponatur ad actionem in aliquo priori temporis, vel solum in aliquo priori naturæ: itẽ, quòd subiectum, quòd præsupponitur

tur ad actionem, sit ens in actu formali, vel sit ens in pura potentia formali) nos posse optimè deducere (saltem radicaliter, & remotè) diuersitatẽ specificam in ipsis actionibus, mutationibus, vel motibus.

34 Hæc sententia est absque dubio Aristot. nam hic cap. I. (vt disp. I. q. I. num. 4. ponderabamus) in ce colligit, generationem substantialẽ esse mutationem specie distinctam à motu, nimirum; quia subiectũ generationis substantialis est ens in pura potentia formali; subiectum autẽ motus est ens in actu formali: ergo sentit Aristot. mutationes in ratione mutationum, etiam specificari (saltem radicaliter, & remotè) à subiectis; dummodò subiecta formaliter, & in esse subiectorum considerentur. Aliàs perperam ex differentia illa formali subiectorum differentiam specificã in ratione mutationum inter generationem substantialem, & motum deduxisset.

35 Et confirmari potest hæc sententia duplici instantia. Prima est productionis quantitatis factæ à Deo ex nullo præsupposito subiecto, & productionis quantitatis factæ à Deo ex aliquo subiecto præsupposito: quæ productiones, et si materialiter, & in esse rei sint eiuidem speciei; tamen formaliter, & in esse actionum diuersæ in specie sunt; nã vna est crea-

tio quantitatis; alia verò est educio quantitatis. Et inquirenti, cur productiones istæ, et si materialiter, & in esse rei sint eiuidem speciei, tamen formaliter, & in esse actionum diuersæ sint in specie? etsi optimè respondeat Suar. loco supra citato num. 12. causam, seu rationem esse; quia etiam si termini ad quos istarũ productionum materialiter, & in esse rei sint eiuidem speciei; nam vterque terminus est quantitas permanens; tamen formaliter, & in esse terminorũ ad quos sunt diuersæ rationis; cum quantitas terminet productionẽ, quæ dicitur creatio, solitariè, & absque modo vnionis ad subiectum; productionem verò, quæ dicitur educio, terminat non solitariè, sed vt subest modo vnionis ad subiectum. Tamen, quis non videat, hanc solum esse causam, seu rationem huius distinctionis specificæ proximam, & immediatam; & adhuc superesse locum inquirendi causam radicalem, & remotã huius distinctionis. Cur, inquã, quantitas terminet productionem, quæ dicitur creatio, solitariè, & absque modo vnionis ad subiectum; productionem verò, quæ dicitur educio, non solitariè, sed vt subest modo vnionis ad subiectum? cuius cum nulla alia possit assignari causa, nisi per ordinem ad subiectum, nimirum; quia productio quantitatis, quæ dicitur

citur creatio, fit ex nullo præsupposito subiecto; productio vero quantitatis, quæ dicitureductio, fit ex aliquo subiecto præsupposito, cõcluditur manifestè id, quod intendimus in nostra conclusione, scilicet, actiones (& consequenter motus, & mutationes) specificari, saltem remotè, & radicaliter, in suo esse specifico modali actionum, siue motuum, seu mutationum à subiectis formaliter, & in esse subiectorum expectatis.

36 Secunda instantia sit productionis caloris ex subiecto, quod solum natura præcessit ipsam productionem caloris, (vt contigit in prima productione elementorũ) & productionis caloris ex subiecto, quod non solum natura, sed etiam tempore præcessit ipsam caloris productionem; nam productiones istæ caloris, etsi materialiter, & in esse rei sint eiusdem speciei, tamen in esse modalis actionum specie sunt differentes; cum vna sit mutatio, secus alia. Et tamen si quæretur ratio, seu causa huius distinctionis specificæ, quæ conuenit his productionibus in esse modalis actionum? nulla alia assignari poterit, nisi diuersitas illa formalis subiectorum, scilicet, quod in vna subiectum præcedit solum natura prædictam productionem; & in altera non solum natura, sed etiam tempore. Quæ differentia, etsi sit ac-

cidentaliter respectu prædictarũ productionum, si materialiter, & in esse rei considerentur; est tamen per se, & essentialis, si prædictæ productiones formaliter, & in esse modalis actionum expectentur.

37 Si sermo sit de agente, vnde egreditur motus, communis satis inter recentiores sententia est, motus adhuc in suo esse modalis, quod conuenit eis per se, & in quantum motus sunt, non specificari per ordinem ad agens, vnde egreditur. Non tamen omnium idem est fundamentum. Quidam hoc defendunt, quia etiam si fateantur, actiones in suo esse modalis actionum, specificari ab agentibus; negant tamen, rationem formalem actionis includi quidditatiuè in conceptu formali motus; ac per consequens dicunt, non rectè inferri, ex eo, quod actiones specificentur per ordinem ad agens, etiam motus specificari per ordinem ad agens; quia ad hoc necessarium erat, quod ratio formalis actionis includeretur quidditatiuè in conceptu formali motus. Sed de fundamento horum auctorum nihil est curandum; quia iam lib. 3. disp. 1. q. 5. ex professo ostendimus contra ipsos, rationem formalem actionis materialiter sumptæ includi quidditatiuè in conceptu formali motus.

38 Alij verò, etsi nobiscum fateantur, rationem formalem actio-

actionis quidditatiuè includi in conceptu formali motus; dicunt tamen, motus non specificari per ordinem ad agens; quia neque actiones per ordinem ad agens, vnde egrediuntur, specificantur. Ita; inter alios, defendit Suarez disp. 48. citata lect. 3. à num. 12. Et præcipuum fundamentum ipsorũ est, quia nullæ possunt assignari actiones specie differentes ex eo præcisè, quod agentium virtutes à quibus procedunt, sunt specie differentes; nam, si aliqua assignari possent, maxime actiones, quæ etsi habeant terminos eiusdem speciei, vna tamen procedit à causa vniuoçæ, alia vero à causa æquiuoçæ; quales sunt calefactio proueniens ab igne, & calefactio proueniens à sole, vel à Deo; hastamen actiones non distinguuntur specie, inde probat Suarez; quia si non obstaret distinctio specificæ horũ agentium, continent prædicta agentia in suis virtutibus agendi effectus eiusdem speciei; ita etiam, & quod in suis virtutibus agendi continent actiones eiusdem speciei; quibus medijs producant illos effectus, necessarium erit.

39 Sed nobis dicendum est, actiones (& consequenter motus) in suo esse modalis, quod est, quod conuenit eis per se, sumere specificationem suam etiam per ordinem ad agentia, vnde egrediuntur, & quorum

actus sunt, formaliter, & in esse agentium considerata: ac per consequens ex diuersitate specifica agentium (si formaliter, & vt agendi virtutem habent, considerentur) optimè deduci diuersitatẽ præfatam specificam actionum, non obstante, quod termini ad quos earum in esse rei eiusdem sint speciei, vt contingit in calefactione facta ab igne, & facta à sole, & similiter in generatione hominis, & eius resurrectione; & in vniuersum in omnibus productionibus effectuum eiusdem speciei, quorum vna causa est vniuoçæ, & alia æquiuoçæ.

40 Hæc est expressa sententia Scoti. Nam in 4. d. 43. q. 1. §. Aliter ponitur sub lit. E. cum asseruisset, esse fallaciam consequentis ex distinctione mutationum in esse mutationum inferre distinctionem terminorum; eo quod benè potest contingere, quod termini mutationum in eadem, & quod mutationes in esse mutationum sint diuersæ; hoc explicat in generatione hominis, & eius resurrectione; quæ mutationes (inquit Scotus) in esse mutationum non solum differunt numero, sed etiam specie; & tamen terminus earum non solum est idem in specie; sed etiam est idem numero. Imò hoc probat, quia secundum D. August. 3. de Trinit. capite 9. idem in specie potest generari vniuoçè, & æquiuoçè; & tamen generationes istæ (in-

(inquit Scotus) in ratione mutationum diuersa sunt in specie. Pro eadem sententia citari solet D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 3. Et merito sanè; nam ibi non solum docet, actionem sumere speciem ab agente, cuius est actus; sed etiam dicit hoc conueniri ex eius definitione; cum calefactio actio nihil aliud sit, quam motus quædam à calore procedens; & definitio (inquit D. Thom.) manifestat rationem speciei.

41. Imò hinc sumitur ratio à priori pro ista sententia; nam actio, etsi materialiter, & in esse rei considerata sit ipse terminus in statu viali, & imperfecto; & consequenter, vt sic, non ponatur per se in aliqua specie, neque in aliquo prædicamento; sed reductiuè collocetur, tam in prædicamento, quam in specie sui termini: tamen formaliter expectata non est ipse terminus, cum sic intrinsecè consistat in quodam esse modali, quod declaratur his verbis *actus agentis*, seu *actus ab agente*; quod esse modale formaliter expectatum non reducit ad speciem, seu prædicamentum termini actionis; sed potius per se collocatur in illo prædicamento modali, quod supra in principio huius questionis fabricauimus: ergo nihil ob stare poterit, quòd actiones habeant terminos eiusdem speciei, ad hoc, vt ipse actiones formaliter, & in esse actionum

expectate specie differant. Rursum hoc esse modale, in quo ratio formalis actionis constituitur, essentialiter consistit in connotatione, seu ordine secundum dici ad ipsum agens: (vt verba illa, quibus definitur, & declaratur, *actus agentis*, seu *actus ab agente* manifestè indicant) ergo necessariò fatendum est, hoc esse modale, in quo rationem formalem actionis constituiimus, specie variari ex variatione specifica agentium: si quidem agentia sunt connotata extrinseca, ex quibus hoc esse modale essentialiter dependet.

42. Ad fundamentum Suarez negamus, non posse assignari actiones specie differentes in ratione formali actionis: ex eo præcisè, quòd virtutes agentium, à quibus profluunt, specie sunt differentes; nam dicimus, hoc contingere in generatione, & resurrectione hominis; & similiter in calefactione facta ab igne; & à sole; & in vniuersum in omnibus productionibus, quæ esse habeant terminos eiusdem speciei, vna tamen est vniuersa; & altera æquiuoca. Et ad rationem, qua vititur Suarez ad probandum, præfatas actiones non esse distinctas in specie, respondetur, ex eo, quòd distinctio specifica agentium non impedit, quòd effectus eiusdem speciei in virtutibus eorum contineantur, solum inferri posse, ac-

neque etiam impedire prædictam distinctionem, quòd in virtutibus prædictorum agentium contineantur etiam actiones eiusdem speciei; quibus medijs producunt illos effectus, consideratis actionibus materialiter, & in esse rei: secus verò si formaliter, & in esse actionum considerentur, vt ex dictis num. præcedente patet.

43. Demum, si sermo sit de medio, per quod transit motus de termino à quo ad terminum ad quem, satis expressa est sententia Aristot. hic cap. 4. tex. 33. quæ amplectuntur Scot. num. 40. citatus, & D. Tho. hic lect. 6. scilicet, ad vnitatem specificam motus formaliter, & in esse motus considerati requiri etiam vnitatem specificam medij formaliter sumpti, per quod mobile ex termino à quo transit ad terminum ad quem; ac per consequens motus, in ratione motus, esse diuersos in specie, quoties media, per quæ mobile transit ex termino à quo ad terminum ad quem diuersa in specie sunt, non obstante, quòd cætera connotata in prædictis motibus sint eiusdem speciei. Quod exemplificauit Arist. in motibus localibus, quorum vnus fit per lineam rectam, & alius per circularè; qui in ratione motus diuersi in specie sunt, (aliàs non inter motus incomparabiles in velocitate, & tarditate Arist. enume-

raret; sicut enumerat 7. huius operis cap. 4. tex. 22.) non obstante, quòd idem mobile ab eodem agente ex eodem loco ad eundem locum per ipsos moueatur.

44. Et ratio à priori est, quia motus non est acquisitio termini ad quem, vt cumque, sed per medium: ergo sicut ex diuersitate specifica termini ad quem formaliter sumpti colligimus diuersitatem specificam in motibus formaliter sumptis; ita & quòd ipsam colligamus ex diuersitate specifica medij, necessarium erit. Et confirmatur à simili de actu scientifico, qui non solum sumit diuersitatem specificam ex diuersitate obiecti, in quod tendit, sed etià ex diuersitate specifica medij, per quod tendit in illud; eo quòd actus scientificus non est assensus circa obiectum, vt cumque, sed est assensus circa obiectum per tale medium: & exemplificari potest in assensu scientifico, quem aliquis habet huius propositionis, *Deus est*, qui diuersus in specie est, quando acquiritur per medium metaphysicum, ac quando acquiritur per medium theologicum.

45. Sed contra istam resolutionem obijciat aliquis, sequi ex ea, motum dealbationis ex nigro in album per medium fuscum esse diuersum in specie à motu dealbationis ex nigro in album per medium viride:

ride: siquidem istando in veriori sententia (& quam defendit Scotus in 2. d. 15. §. *Dico ergo*; lib. B.) color fuscus, & color viridis (qui sunt media; per quæ fiunt istæ dealbationes) qualitates simplices sunt, tam inter se, quam ab extremis coloribus specie differentes. Cōsequens autem videtur contra Arist. cap. 4. huius libri expressè affirmantem, omnes dealbationes esse eiusdem speciei. 46 Respondetur admittendo libenter, prædictos motus dealbationis esse diuersæ speciei: hoc enim (vt argumentū obijcit) manifestè infertur ex resolutione supra facta. Sed negamus, hoc esse contra Aristot. nam, cum in loco citato dicit, omnes dealbationes esse eiusdem speciei, hoc affirmat attendendo præcisè ad vnitatem, vel distinctionem specificam, quam motus desumere possunt ex vnitatem, vel diuersitate specifica terminorum, ad quos tendunt: vt perspicuum erit consideranti litterã, & manifestè conuincit dubitatio, quam immediatè proposuit Arist. vtrum, scilicet, non obstante, quòd motus habeant eundem in specie infimæ terminum *ad quem*, dici debeant diuersi in specie, eo quòd medium, per quòd fiunt, diuersum in specie sit? cui dubitationi affirmatiuè respondet: (vt supra statuimus) & sicut exemplificauit Arist. in motibus lo-

calibus tendentibus ab eodem loco in eundem locum, sed vnus per lineam rectam, & alius per lineam curuam; exēplificare poterat in motibus dealbationis tendentibus à nigro in album; sed vnus per medium fuscum, & alius per medium viride.

### QVÆSTIO II.

*Vndè motus accipiant vnitatem, & diuersitatem numericam?*

1 **E**X prælibatis in quaestione præcedenti constat, motum sumptum pro forma fluente adhuc dupliciter expectari posse. Primo materialiter, & in esse rei. Secundo formaliter, & in esse modalis motus. Quæstio præbens, etiam exagitanda sit de motu, tam materialiter, & in esse rei, quàm formaliter, & in esse motus cōsiderato; sed sigillatim de vnoquoque; quia sicut de vnitatem, & diuersitate specifica quaestione præcedenti diuersa fuit resolutio loquendo de motu materialiter, & in esse rei expectato; ac loquendo de ipso formaliter, & in esse modalis motus cōsiderato; ita in hac quaestione de vnitatem, & diuersitate numerica diuersa erit resolutio loquendo de motu materialiter, & in esse rei expectato, ac loquendo de ipso formaliter, & in esse modalis motus cōsiderato. Inuestigamus autem in hac quaestione, non intrin-

trinsecum principium, vnde motus vnitatem, vel diuersitatem numericam accipiant; (hoc enim latet nos, non secus, ac quæst. præcedenti dicebamus, nos latere intrinsecum principium, vnde motus accipiunt vnitatem, vel diuersitatem specificam) sed indagamus connotata extrinseca à quibus motus in suo esse indiuiduali, ita essentialiter dependent, vel cū quibus ita essentialiter connectuntur, vt ex vnitatem, vel diuersitate numerica ipsorum, inferri valeat necessariò vnitatem, vel diuersitas numerica ipsorum motuum. Et quia duplicem vnitatem numericam nos possumus excogitare in motu; (sicuti & in quocumque alio continuo) vnã entitatiuam; ad quam requiritur, quòd motus, qui sic dicitur idem numero, in sua entitate realiter non differant: & aliam continuatiuam; ad quam hoc non requiritur; imò potius requiritur oppositum: sed, quòd requiritur, est, quòd motus aliàs in sua entitate realiter distincti aliquo termino communi copulentur; ideò in hac quaestione non solum inuestigandum est, vnde motus vnitatem numericam entitatiuam accipiant; sed etiã; vnde accipiant vnitatem numericam continuatiuam.

2 Et quidem, loquendo de motu materialiter, & in esse

rei considerato, expressè docet Aristot. hic cap. 4. vnitatem, vel diuersitatem numericam illius ex tribus tantum connotatis esse veniendam, scilicet, ex termino, ad quem tendit; ex mobili, seu subiecto, in quo recipitur; & ex tempore, quo mensuratur: ita vt ad vnitatem numericam motus vnitatem numerica horum trium requiratur, & sufficiat; ad distinctionem verò numericam sufficiat distinctio numerica in quolibet ipsorum. Quam doctrinam, vt Aristotelicam recipunt omnes. Et solum circa ipsam est aduertendum, ex termino *ad quem* motus, & ex mobili, seu subiecto illius non solum venari vnitatem, vel distinctionem numericam motus continuatiuam, sed etiam entitatiuam: ex tempore autem, quo mensuratur, etiam optime venemur vnitatem, vel diuersitatem numericam motus continuatiuam; non verò entitatiuam; vt satis clarè indicauit Aristot. dum explicans vnitatem temporis, quæ requiritur ad vnitatem motus, illam declarauit, dicens, debere esse vnum, id est, non interruptum aliqua quiete media.

3 Probari autem potest hæc Aristotelica doctrina per singulas eius partes discurrendo. Et in primis, quòd ex diuersitate numerica, tam continuatiua, quàm entitatiua termini *ad quem* motus



necessariò inferatur diuersitas numerica; tam continuatiua, quam entitatiua motus materialiter; & in esse rei considerati; & consequenter, quòd ad vnitatem numericam, tam continuatiuam, quam entitatiuam illius requiratur necessariò, & indispensabiliter vnitatem numericam, tam continuatiuam, quam entitatiuam in termino *ad quem* motus; dubitari nõ potest: siquidem motus sumptus pro forma fluente, & eius terminus *ad quem* (ex libro 3. disputat. 1. quæst. 3.) non sunt diuersæ res; sed potius sunt eadem res; & solum differunt secundum diuersos modos essendi eiusdem rei: ergo stare non potest, quòd termini *ad quos* motus sunt discontinui, & entitatiuè distincti numero, & quòd motus ad ipsos materialiter, & in esse rei considerati non sint discontinui, neque entitatiuè numero distincti. Aliàs de eadem re, & sub eadem ratione duo contradictoria verificarentur, scilicet, esse continuam, & non esse continuam; esse idem, & non esse idem.

4. Deinde, quòd ex diuersitate numerica, tam continuatiua, quam entitatiua mobilis; seu subiecti, in quo recipitur motus, necessariò etiam inferatur diuersitas numerica, tam continuatiua, quam entitatiua motus materialiter; & in esse rei considerati; & consequenter, quòd ad vnitatem numeri-

cam, tam continuatiuam; quã entitatiuam illius requiratur etiam necessariò, & indispensabiliter vnitatem numericam, tam continuatiuam, quam entitatiuam in ipso mobili, seu subiecto motus: sic (omissis alijs probationibus) ostẽdo. Terminus *ad quem* motus, v. gr. dealbationis non est albedo solitariè existens; sed albedo, vt vnita, & inherens in subiecto: sed variato, tam in continuitate, quam in entitate subiecto albedinis, variatur, tam in continuitate, quam in entitate vnio, seu inherencia, quam albedo importat ad subiectum: ergo eadem efficacia, qua concluditur, ad vnitatem numericam; tam cõtinuatiuam, quam entitatiuam termini *ad quem* illius, conuincitur, requiri etiam vnitatem numericam, tam continuatiuam, quam entitatiuam mobilis, seu subiecti: siquidem ex variatione numerica, tam cõtinuatiua, quã entitatiua mobilis, seu subiecti, sequitur necessariò, & indispensabiliter variatio numerica, tam continuatiua, quam entitatiua in termino *ad quem* motus, saltẽ ratione vnionis, seu inherencia, quam importat ad subiectum.

5. Præterea, quòd ex discontinuatione temporis in mensu-

furando motum, necessariò inferatur à posteriori, & tanquam à signo discontinuitas in ipso motu; & consequenter, quòd ad vnitatem numericam continuatiuam motus requiratur necessariò vnitatem numericam continuatiua temporis, quo mensuratur, sic cõuincit. Impossibile est, (stante tempore primi mobilis, quòd nunc extat) quòd aliquis motus horum inferiorum continuè fluat, & quòd continuè non mensuretur à tempore primi mobilis: ergo discontinuitas tẽporis primi mobilis in mensurando aliquem motum horum inferiorum infallibile signum est, quòd prædictus motus horum inferiorum in se continuus non sit.

6. Rursus, quòd ex diuersitate numerica entitatiua temporis non inferatur necessariò diuersitas numerica entitatiua motus: & consequenter, quòd ad vnitatem numericam entitatiuam motus non requiratur necessariò, & indispensabiliter vnitatem numericam entitatiua temporis, quo mensuratur, probari potest, tum à priori, tum à posteriori. A priori sic probò. Tota ratio, ob quam supra dicebamus ex diuersitate numerica entitatiua termini *ad quem* motus inferri necessariò, & indispensabiliter diuersitatẽ numericam entitatiuam in ipso motu; & consequenter, neque etiam erit asserendum, ad vnitatem numericam en-

materialiter, & in esse rei considerati, illa erat; quòd motus, & eius terminus *ad quem* non erant diuersæ res, sed potius eadem res, & solum distinguebantur secundum diuersos modos essendi eiusdem rei. Item, tota ratio, ob quam supra dicebamus, ex diuersitate numerica entitatiua mobilis, seu subiecti, in quo recipitur motus, inferri necessariò, & indispensabiliter diuersitatem numericam entitatiuam motus materialiter, & in esse rei expectati, illa erat, quòd ex variatione numerica entitatiua mobilis, seu subiecti variabatur vnitatem numericam entitatiua termini *ad quem* motus, saltẽ quoad vnionem, seu inherenciam, quam importat ad subiectum. Sed motus, & tempus, quo mensuratur, non sunt eadem res; item, ex variatione numerica entitatiua temporis, quo mensuratur motus; non variatur vnitatem numericam termini *ad quem* motus, adhuc quoad vnionem, seu inherenciam, quam importat ad subiectum: ergo nullo modo est asserendum, ex diuersitate numerica entitatiua temporis, quo mensuratur motus, inferri necessariò, & indispensabiliter diuersitatẽ numericam entitatiuam in ipso motu; & consequenter, neque etiam erit asserendum, ad vnitatem numericam en-

titatiuam motus requiri vnitatem numericam entitatiuā temporis, quo mēsuratur. Patent istæ vltimæ consequentiæ ex illo communi prologo, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis.

7 A posteriori verò sic conuincio. Idem numero motus materialiter, & in esse rei consideratus existere potest in diuersis numero temporibus: ergo signum euidentis est, motum materialiter, & in esse rei consideratum in sua entitate numerica entitatiua, neque essentialiter pendere, neque essentialiter connecti cum vnitatem numericam entitatiua temporis, quo mensuratur. Consequentia est euidentis. Antecedens sic probat. Eadem numero res semel producta, si postea corrumpatur, potest tempore subsequenti reproduci: (vt de potentia absoluta omnes fatentur: imò de ordinaria id posse contingere late probat Scotus in 4. distinctione 43. quæstione 3.) ergo & motus, quo medio res ista ponitur in actuali existentia, si materialiter, & in esse rei consideretur, poterit idem numero in diuersis numero temporibus replicari. Consequentia (præterquam quòd est Aristotelis, qui hic cap. 4. tex. 36. expressè affirmat, quòd, si posset, quod semel euauit, idem

numero reparari, tunc motus, quo primo productum fuit, & motus, quo postea reparatur, essent idem numero motus) conuincitur ex sæpè dictis, nimirum, rem, quæ producit per motum, & motum ipsum, quo producit, esse eandem rem; & solum inter se differre secundum diuersos modos reales essendi, qui conueniunt eidem rei. Nam stando in hac doctrina impossibile apparet, quòd res, quæ semel, & iterum in diuersis temporibus producit, sit eadem numero res, & quòd motus, quibus in his diuersis temporibus producit (considerati materialiter, & in esse rei) non sint etiam idem numero. Aliàs daretur casus, in quo non verificaretur illud Aristotelicum assertum, *quæ sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se.*

8 Demum ad vnitatem numericam motus (si materialiter, & in esse rei consideretur) sufficere vnitatem numericam horum trium cōnotatorum, quæ numerauit Arist., nec per se requiri vnitatem numericam alterius connotati, probari potest. Quia, si vnitatem numericam alterius connotati per se requisita esset, maximè vnitatem numericam motoris. Sed licet hæc requisita sit ad vnitatem numericam motus sumpti formaliter, & in esse

esse modalis motus; (vt expressè docet Aristot. libro 8. huius operis tex. 49. & 82. & nos statim demonstrabimus) tamen ad vnitatem numericam motus sumpti materialiter, & in esse rei, ita certum debet esse, non requiri per se vnitatem numericam motoris, ac certum est, vnitatem numericam motoris non esse per se requisitam ad vnitatem numericam termini ad quem motus. Cuius ratio est, quia etiam si motus formaliter, & in esse modalis motus cōsideratus, dicat essentialem ordinem ad motorem; tamen consideratus materialiter, & in esse rei solum dicit essentialem ordinem ad eius terminum ad quem; & consequenter ad illa, quæ possunt variare eius terminum ad quem. Vndè supra lib. 2. disput. 7. quæst. 3. non solum statui-mus, potuisse eundem numero effectum, qui nunc prouenit ab ista numero causa, ab alia distincta numero prouenire; sed etiam idem statui-mus de actione, qua media effectus ille producit; dummodo illa actio; nam formaliter, & in esse actionis consideretur, sed materialiter, & in esse rei.

9 Sed contra dicta, tria solent obijci. Primum est. Si canis ab alta turri præcipitetur, & in medio itineris moriatur; tunc ille motus erit idem numero motus; & tamen subie-

ctum illius non erit idem numero; cum canis viuus, & canis mortuus non solum numero, sed etiam specie differant: ergo falsò statui-mus, ad vnitatem numericam motus requiri vnitatem numericam mobilis, seu subiecti, in quo recipitur motus.

10 Secundum est; motus à nigro in album per medium colorem (v. gr. per viridē) est idem numero motus; & tamen formæ, quæ per illum acquiruntur, non solum sunt numero distinctæ, sed etiam specie; nam sunt color viridis, & color albus; qui colores sunt distincti, non solum numero, sed etiam specie: ergo falsò statui-mus, ad vnitatem numericam motus requiri vnitatem numericam eius termini ad quem.

11 Tertium est, quòd tempus in mensurando aliquem motum sit continuum, prouenit, tanquam à causa ex eo quòd motus, qui mensuratur tempore, in se continuus sit; & non è contra: (hæc enim causa non est vera; quia partes motus continuè fluunt, idèò à tempore extrinseco primi mobilis continuè mensurantur: hæc autem falsa; quia partes motus à tempore extrinseco primi mobilis continuè mensurantur, idèò continuè fluunt) ergo potius colligi debet cōtinuitas temporis in mensurando motum ex ipsa cōtinuitate motus, quæ è cōtra, cōtinuitas motus ex cōtinuitate

temporis in mensurando motum.

12 Ad primum ex his variè respondent auctores, eo quòd variè sunt sententiæ circa assignationem subiecti, in quo immediatè subieciuntur, tam motus, quàm cætera accidentia non vitalia, quæ uiuentibus conueniunt. Nam, qui affirmant, huiusmodi accidentia immediatè subieciuntur in materia prima, consequenter dicunt, motum illum præcipitationis esse eundem numero motum, non obstante, quòd canis in medio itineris moriatur; nam etiam si canis uiuus, & canis mortuus non solum numero, sed etiam specie differant; sed hoc nil refert ad diuersitatem motus; quia subiectum immediatum prædicti motus non est canis, sed materia prima illius, quæ eadem, & specie, & numero manet in cane mortuo, & in cane uiuo.

13 Qui uerò è contrario non solum affirmant, subiectum immediatum horum accidentium esse totum compositum substantiale; sed etiam sustinent in uiuentibus (præter animam) non dari aliam formam substantialem corporeitatis, per quam corpus in esse corporis constituatur, & ratione cuius maneat idem in specie, & numero corpus post separationem animæ, ac erat antea, quando informabatur anima; sed potius ab anima sicut ui-

uens habet esse uiuentis, ita & esse corporei; & consequenter in separatione animæ fieri resolutionem uiuentis usque ad materiam primam, & infundi de nouo formam quamdam substantialem, quæ dicitur forma cadaueris, quæ tribuit materiæ primæ esse corporeum specie, & numero distinctum ab esse corporeo, quod tribuit anima; consequenter dicunt, motum illum præcipitationis canis ex alta turri, quando in medio itineris moritur, re uera subieciuntur in subiectis distinctis non solum numero, sed etiam specie. Sed negat, prædictum motum esse continuum, & eundem numero appellandum; nam in illo instante, in quo desinit esse canis, & incipit esse cadaver, motus, quo mouebatur canis, & motus, quo mouetur cadaver, discontinuantur; cum utriusque motui illud instans sit extrinsecum: sicut enim pro illo instante uerificatur, nunc non est motus canis, & tempore immediato erat; ita etiam uerificatur, nunc non est motus cadaueris, & tempore immediato erit. Nec obstat, quòd ista discontinuitas in prædictis motibus à sensibus non percipiatur; nam etiam si isti motus non sint continui, sunt tamen contigui; & ideo quies, quæ mediat inter ipsos, non est priuatiua, quæ est, quæ percipitur à sensibus, sed negati-

ua,

ua, quæ à nullo sensu ualeat percipi.

14 Nos uerò, qui etiam si sustineamus, accidentia non subieciuntur immediatè in materia prima, sed potius in toto composito substantiali; tamen cum Scoto asserimus, in omni uiuente constante corpore, & anima dari duplicem formam substantialem subordinatam in ratione actus, & potentiae; unam, quæ dicitur forma corporeitatis; ex qua, & ex materia prima componitur corpus: & alteram, quæ dicitur anima, ex qua, & ex corpore componitur ipsum uiuens: & sic in separatione animæ à corpore non fieri resolutionem usque ad materiam primam; neque de nouo infundi aliquam formam substantialem cadaueris, sed manere formam corporeitatis, quæ antea erat, constituens idem, & specie, & numero corpus, quod ante separationem animæ constitutum erat. Consequenter dicimus, motum illum in præcipitatione canis ex alta turri esse eundem numero motum, non obstante, quòd canis in medio itineris moriatur; nam etiam si subiectum immediatum illius motus (sicuti & aliorum omnium accidentium non vitalium) sit compositum substantiale, sed non compositum substantiale, quod ex corpore, & anima resultat, & dicitur uiuens; sed illud, quod ex ma-

teria prima, & forma substantiali corporeitatis conflatur, & dicitur corpus; quod compositum substantiale idem, & specie, & numero manet ante separationem animæ, & post ipsius animæ separationem.

15 Ad secundum argumentum dicimus, motum à nigro in album per medium colorem (scilicet, per uiridè) dupliciter expectari posse, uidelicet, & in esse rei; & in esse motus. Si in esse rei consideretur, negamus esse eundem numero motum: sed dicimus, ibi esse duos motus non solum numero, sed etiam specie distinctos; non secus, ac ibi sunt duo termini ad quos in esse rei specie differentes, scilicet, color uiridis, & color albus: qui duo motus non sunt continui, sed contigui; cum primum non esse acquisitionis coloris medijs (scilicet, uiridis) sit ultimum non esse acquisitionis coloris albi. At uerò, si in esse motus consideretur, fatemur, esse eundem motum specie, & numero. Nec obstat, quòd ibi sint duo termini ad quos non solum numero, sed etiam specie differentes. Nam motus, in ratione motuum, etsi accipiant ueritatem, tam specificam, quam numericam ex terminis ad quos; sed non ex quibuscuque, sed ex terminis ad quos ultimis, & qui per se primò per motus intenduntur. Constat autem, in motu

V4

dc;

dealbationis, qui fit à nigro in album per medium viride, vnicum tantum specie, & numero esse terminum *ad quem* vltimum, & qui per se primò intenditur per talem motum, scilicet, colorem albū. Quod declarari potest à simili de homine acquirente aliquā scientiam; in qua etsi habitus scientificus acquisitus per varias demonstrationes factas circa obiecta illius scientiæ non sit in esse rei, seu qualitatis consideratus vnus, neque numero, neque specie: tamen si in esse scientiæ expectetur, vnus numero, & specie est, quoties obiectum vltimum, & cuius cognitio per se primò in tali scientia intenditur, vnum specie, & numero est: vt ex professo docuimus in proœmialibus Logicæ q. 5.

16 Ad tertium respondetur, ex eo, quòd continuitas temporis in mensurando aliquem motum proueniat, tanquam à causa ex continuitate, quam in se habet ipse motus, qui mensuratur, & non è contra, duo inferri, scilicet, quòd ex continuitate motus inferatur continuitas temporis in mensurando illum motum, & quòd ex continuitate temporis in mensurando motum inferatur continuitas in ipso motu: sed diuersimodè; nam ex continuitate motus inferatur continuitas temporis in mensurando motum à priori, & tanquam

à causa: ex continuitate verò temporis in mensurando motum inferatur continuitas motus a posteriori, & tanquam à signo infallibili. Vnè obiectio non est contra id, quòd ex Aristot. statuimus, sed potius illud conuincit, nimirum, ex continuitate temporis in mensurando motum inferri à posteriori, & tanquam à signo infallibili continuitatem in ipso motu, qui tempore mensuratur.

17 Loquendo autem de motu formaliter, & in esse modalis motus expectato, dicendum nobis est, (omissa illa difficultate, vtrum, scilicet, motus, vt sic, sumat suam vnitatem, vel diuersitatem numericam ex vnitatem, vel diuersitate numerica temporis, quo mensuratur; nam in hac difficultate eodem prorsus modo philosophandum est, ac philosophati sumus de motu materialiter, & in esse rei expectato) vnitatem, vel diuersitatem numericam, tam continuatiuam, quàm entitatiuam motus formaliter, & in esse modalis motus expectati venandam esse ex vnitatem, vel diuersitate numerica, tam continuatiua, quàm entitatiua horum quatuor connotatorum, scilicet, *motoris*, seu *agentis*; vnde egreditur; *mobilis*, seu *subiecti*, in quo recipitur; termini *ad quem* tendit; & termini *à quo* recedit: ita vt ad vnitatem numericam motus,

vt

vt sic, vnitatem numericam horum quatuor connotatorum requirantur: ad diuersitatem verò numericam motus, vt sic, sufficiat diuersitas numerica in quolibet ipsorum.

18 Ita colligo ex definitione, qua Aristot. libro 3. huius operis rationem formalem motus (sumpti, non pro fluxu, sed pro forma fluente) declarauit: *Motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia.* Ex hac enim definitione manifestè constat, rationem formalem motus quidditatiuè consistere in esse modalis *actus entis in potentia secundum quod in potentia*; & consequenter rationem formalem motus, tam in suo esse specifico, quàm in suo esse indiuiduali essentialiter pendere, tanquam à connotatis extrinsecis, ab omnibus illis, quæ nomine *entis in potentia* posito in prædicta definitione intelliguntur. Constat autem ex dictis lib. 3. disput. 1. quæst. 1. nomine *entis in potentia* intelligi quatuor connotata numerata: ergo ex vnitatem, vel diuersitate numerica horum vnitatem, vel diuersitas numerica motus (formaliter, & in esse modalis motus) erit venanda.

19 Et confirmatur amplius ex doctrina tradita supra libro 3. disputat. 1. quæst. 5. nimirum, in ratione formali motus non solum quidditatiuè includi, quòd sit actus, quo me-

dio mobile transit ex termino *à quo* ad terminum *ad quem* motus; sed etiam quidditatiuè includi rationes formales actionis, & passionis, seu (quòd idem est) quòd sit actus, quo agens agit, & quo patiens patitur: ergo consequenter ad hanc doctrinam asserendum est, motum (formaliter, & in esse modalis motus consideratum) essentialiter pendere in suo esse, tam specifico, quàm indiuiduali, tanquam à connotatis extrinsecis, non solum à terminis *ad quem*, & *à quo*, sed etiam ab agente, & à subiecto: atque adeò vnitatem, vel diuersitatem numericam illius ex vnitatem, vel diuersitate numerica istorum quatuor connotatorum venandam esse.

### QVÆSTIO III.

Vnde motuum contrarietas desumenda sit?

1 Quæstio ista exagitari potest (sicuti & præcedentes) de motibus materialiter, & in esse rei expectatis; & de ipsis formaliter, & in esse moruum consideratis. Et suppono id, quòd Aristotel. vt certum præsupposuit, scilicet, motus, neque ex subiectis, neque ex tempore posse contrarietatem accipere, sed solum ex terminis.

2 Si sermo sit de motibus materialiter, & in esse rei consideratis

ratiss

ratis dicendum est, contrarietatem essentialē, (de hac enim in presenti est sermo) non sumere motum à terminis à quibus, sed tantum ex terminis ad quos. Ita intelligendus est Aristot. cum capite 5. text. 48. affirmat, motus non esse contrarios ex eo, quod termini à quibus recedunt, contrarij sint, sed potius; quia contrarij sunt termini, ad quos tendunt. Loquitur enim Philosophus de motibus materialiter, & in esse rei consideratis; non verò de motibus formaliter, & in esse modali motus expectatis. Quod manifestè conuincitur ex ratione, quam ad id probandum adducit, nimirum; quia accidere potest, quod motus ex contrarijs non sint in contraria, sed in medium; vt de facto contingit in motu ab albo in fuscum, & in motu à nigro in fuscum. Hæc enim ratio, quàm aptè adducitur ad probandum, motus ex terminis contrarijs, vt sunt album, & nigrum in medium, vt est fuscum, si materialiter, & in esse rei considerentur, non esse contrarios; ita inceptè adduceretur ad idem probandum de prædictis motibus, si formaliter, & in esse modali motus expectentur; nam color fuscus, qui est color medius, in quem tendunt isti motus, etsi materialiter, & in esse rei consideratus non sit contrarius in vno, & in altero motu, sed potius eiusdem speciei; tamen for-

maliter, & in esse termini expectatus contrarius est in vno, & in altero motu: siquidem in quantum terminat motum ab albo, induit rationem nigri, & in quantum terminat motum à nigro, induit rationem albi; vt expressè docuit ipsemet Aristot. tex. 52.

3 Et ratio à priori huius doctrinæ est, quia ab illis motus debent accipere contrarietatem essentialē, à quibus accipiunt essentialē, seu speciem; sed ex dictis in q. 1. huius disputationis constat, motus (materialiter, & in esse rei expectatos) non accipere essentialē, seu specificationem à terminis à quibus recedunt: ergo consequenter dicendum est, motus (materialiter, & in esse rei expectatos) esse essentialiter contrarios non ex eo, quod termini, à quibus recedunt, essentialiter contrarij sint; sed ex eo, quod essentialiter contrarij sunt termini, ad quos tendunt.

4 Si verò sermo sit de motibus formaliter, & in esse modali motuum expectatis, dicendum est, motus (vt sic) contrarietatem essentialē sumere, tam ex terminis, ad quos tendunt, quàm ex terminis, à quibus recedunt; licet diuersimodè; nam à terminis ad quos accipiunt contrarietatem immediatè, & proximè; à terminis autem à quibus radicaliter, & remotè. Ita intelligendus est Aristot. dum cap. 5. text. 49. ad hoc, vt duo

mo-

motus contrarij essentialiter sint, duo exposcit, scilicet, & quod termini ad quos contrarij sint; & quod etiam sint contrarij termini à quibus. Loquitur enim Arist. de motibus formaliter, & in esse modali motus consideratis: & sic non est contrarius his, quæ docuerat tex. 48. supra citato. Quod clarè conuincitur ex ratione, quam ad id probandum adducit, nimirum; quia ea, quæ sunt in contraria, aut non sunt motus, sed mutationes; aut si motus sunt, necessariò oriuntur à contrarijs: siquidem hoc interest inter motum, & mutationem, quod motus à contrario; mutatio verò à contradictorio inchoatur. Hæc (inquã) ratio apertè ostendit, loquutum fuisse Aristot. de motibus formaliter, & in esse motuum consideratis; nam inchoari à contrario, vel à contradictorio non est differentia motus materialiter, & in esse rei expectatis; sed formaliter, & in esse modali motus, & mutationis.

5 Et ratio à priori huius doctrinæ est; quia vt nuper dicebamus) ab illis debent motus accipere contrarietatem essentialē, à quibus accipiunt essentialē, seu speciem. Sed motus (formaliter expectati) sumunt essentialē, seu speciem, tam à terminis à quibus, quàm à terminis ad quos; licet diuersimodè; nam à terminis ad quos immediatè, & proximè; à terminis verò à quibus radicaliter,

& remotè: (vt ex professo probauimus q. 1. huius disputationis) ergo consequenter fatendum erit, motus (formaliter sumptos) sumere essentialē contrarietatem, tam à terminis ad quos, quàm ex terminis à quibus seruato discrimine assignato. 6 Ex quibus tria infero. Primum est, quidnam dicendum sit de mutationibus; tenendum est enim id, quod Aristot. loco citato docuit, scilicet, mutationes (adhuc formaliter, & in esse modali mutationū expectatas) solum sumere contrarietatem ex terminis ad quos; & in hoc differre à motibus, qui (vt dictum est) non solum ex terminis ad quos, sed etiam ex terminis à quibus contrarietatem accipiunt formaliter considerati. Cuius ratio à priori est, quia etiam si mutationes formaliter expectate specificationem desumant non solum ex terminis ad quos, sed etiam ex terminis à quibus cum discrimine supra assignato; tamen termini à quibus mutationum posituarum (quæ sunt, inter quas reperiri potest vera contrarietas) non sunt contrarij, imò neque aliquo modo oppositi; sicuti sunt termini à quibus motuum contrariorum; cum priuationes sint, & vna priuatio non solum non contrarietur alteri priuationi, sed neque aliquo modo illi opponatur.

7 Secundum, quod inferitur, est;

est, quod sicut inter solas qualitates datur propria, & stricta contrarietas, ita inter solos motus, vel mutationes, quæ per se tendunt ad qualitates, (vt sunt calefactio, frige factio, &c.) datur etiam contrarietas propria, & stricta; inter alios verò motus, vel mutationes, quæ per se tendunt, vel ad substantiam, vel ad quantitatem, vel ad *ubi*, non datur propria, & stricta contrarietas; sicuti neque datur inter terminos per se illorum; sed solum dicuntur contrarij, sumpta contrarietate improprie, videlicet, vel pro oppositione priuatiua; vt contingit in generatione hominis, & eius corruptione: vel pro oppositione relativa; vt contingit inter motum sursum, & motum deorsum; & similiter inter augmentationem, quæ est motus ad maiorem quantitatem, & diminutionem, quæ est motus ad quantitatem minorem.

8 Tertium, quod inferitur, est, ad diiudicandum, vtrum duo motus, vel duæ mutationes possint, vel non possint esse simul in eodem subiecto, attendendum semper esse ad terminos, ad quos tendunt predicti motus, vel mutationes; nam, si predicti termini possint esse simul in eodem subiecto, poterunt similiter, & motus, vel mutationes, quibus medijs illi termini producantur, simul circa idem subiectum exerce-

ri. Si verò termini nequeunt simul esse in eodem subiecto, neque etiam poterunt motus, vel mutationes, quibus illi termini acquiruntur, circa idem subiectum exerceri simul.

9 Neque ex hoc inferas id, quod intulerunt Plaza disput. 2. quæst. vltima, & Caber tract. 5. disput. 2. dub. 4. nimirum, posse naturaliter idem mobile, & secundum eandem partem per se moueri duobus motibus contrarijs in gradibus remissis, ducti experientia, qua experimur, duas qualitates contrarias (vt sunt calor, & frigus; siccitas, & humiditas) simul commorari in eodem subiecto in gradibus remissis. Hi enim auctores lapsi sunt; quia existimabāt (dum hoc intulerunt) calorem, & frigus; siccitatem, & humiditatem (cùm in gradibus remissis in eodem commorantur subiecto) ad inuicem contrariari. Quod quàm falsum sit, possent auctores isti ex ipsamet contrariorum definitione optimè deducere, si semel illam limpido cernerent intuitu. Sunt enim contraria, (teste Philosopho 10. Metaphys. tex. 24.) *que sub eodem genere maxime distant; & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* Quæ duæ conditiones, etsi calori, & frigiditati; siccitati, & humiditati; nigredini, & albedini, &c. conueniant optimè in gradibus intensis; (& ideo in gra-

gradibus intensis dicantur esse contraria) sed non in remissis. Dicuntur autem calor, & frigus esse in gradibus intensis; & consequenter maximè distare, (quod aduerto, ne in hoc aliqua lateat æquiocatio) non solum, quando sunt intensa, vt octo; (quæ intensio est summa, quæ in latitudine graduali harum qualitarum communiter assignatur) sed etiam, quando gradus caloris, & gradus frigoris sunt in tali proportione, vt ex vtrisque si in eodem subiecto collocarentur, euaderet multitudo maior, quam octo graduum; quæ est summa, quæ in gradibus intensis cuiusvis qualitatis assignatur, v. gr. si calor esset intensus, vt quinque & frigus, vt quatuor; & similiter calor esset intensus, vt sex, & frigus, vt tria; & similiter calor esset intensus, vt septem, & frigus, vt duo. Sicuti & è contra calor, & frigus dicuntur esse in gradibus remissis, & consequenter non distare maximè, quando gradus caloris, & gradus frigoris sunt in tali proportione, vt ex vtrisque si in eodem subiecto collocarentur, non resultaret maior multitudo, quam octo graduum, quæ est summa, quæ in gradibus intensis cuiusvis qualitatis assignari solet, verbi gratia, si calor esset intensus vt quatuor, & similiter frigus esset intensus, vt quatuor; & etiam si calor esset

intensus, vt quinque, & frigus, vt tria; nec non si calor esset intensus vt sex, & frigus vt duo; & itidem si calor esset intensus vt septem, & frigus vt vni. 10 Porro non posse naturaliter idem mobile, & secundum eandem partem per se moueri motibus contrarijs, in quacumque proportione, seu latitudine gradualis sumantur, non solum docuit Scotus super 3. Physic. quæst. 5. & super 5. quæst. 7. propè finem; sed etiam docuerunt D. Thom. & plures alij auctores, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitani disput. 24. quæst. 2. Imò est expressa sententia Aristot. qui capite 6. huius libri tex. 62. expressè affirmat, etsi motus, & quies, quæ est in termino à quo, ad inuicem contrariantur, tamen magis contrariari motum motui, quàm motum quieti; & reddit pro ratione; quia motus contrarij in nulla proportione, seu latitudine gradualis possunt esse simul; secus tamen motus, & quies. Et aperte conuincitur ex definitione contrariorum supra relata. Aut enim motus non sunt contrarij, (quoties in aliqua proportione parua concipiuntur) aut si contrarij sunt, (vt aduersarij contendunt) necessariò leges contrariorum eis conuenient; quarum vna est, quod ab eodem subiecto mutuo se expellant, nec possint in illo simul commorari.

11. Neque obstat experientia (quæ auctores oppositæ sententiæ seduxit) caloris, & frigiditatis simul existentium in gradibus remissis in eodem subiecto. Nam etsi experientia ista optimè conuincat, posse idem numero subiectum (si supponeretur carens omni calore, & frigiditate) ab initio simul calefieri, & frige fieri vsque dum veniret ad caliditatem, & frigiditatem, quibus nunc simul afficitur in gradibus remissis: tamen in dicto casu illa calefactio, & frige factio non essent motus contrarij; sicuti neque contrarij essent termini, ad quos tenderent. Vt enim optimè vidit Scotus loco primo ex æitatis, calor, & frigus (& idem est iudicium de calefactione, & frige factio) etsi sint qualitates contrariæ; sed non ex ratione sua formali; sicuti error, & scientia; fides, & infidelitas circa idem obiectum; (aliàs in nullo gradu possent naturaliter in eodem subiecto commorari; sicuti, nec possunt commorari simul, etiam in gradu remississimo error, & scientia fides, & infidelitas circa idem obiectum) sed sunt contrariæ ratione multitudinis gradualis; quam multitudinem gradualem requisitam ad contrarietatem non attrahunt calor, & frigus, & consequenter neque calefactio, & frige factio, dum sunt in gradibus

remissis; sed solum quoties sunt in gradibus intentis eodem modo, quo supra explicatum est.

12. Dixi autem notanter, si supponeretur carens omni calore, & omni frigiditate; nam, si subiectum haberet calorem, & frigiditatem in gradibus remissis, quibus nunc de facto afficitur, nullo modo posset (etiã si ei æquè applicarentur agens calidum, & agens frigidum æqualis virtutis) simul calefieri, & frige fieri, etiam in gradu remississimo; quia in dicto casu calefactio, & frige factio essent motus contrarij, nam terminarentur ad calorem, & frigus in gradibus intentis; qui sunt, ratione quorum calor, & frigus contrariantur. & sic agens calidum, & agens frigidum se mutuo impedirent in agendo propter repugnantiam naturalem essendi simul in eodem subiecto ipsorum effectus. Et hæc est ratio, ob quam modò de facto numquam potest naturaliter idem numero subiectum simul calefieri, & frige fieri; aut simul exsiccari, & humectari, &c. ab extrinsecis agentibus.

13. Restabat nunc disputare de contrarietate motus ad quietem comparati, & de contrarietate quietum inter se; & similiter de alia contrarietate motuum; & quietum, quæ ex ratione naturalis, & violenti ortum habet. Sed ab his cõsultò

su-

superfedeo; quia Arist. in littera ita disertè, & clarè locutus est de his omnibus, vt nihil re-

liquerit in dubiũ reuocandũ, præter ea, quæ in annotationibus num. 9. & 10. tacta sunt.

## LIBER SEXTVS

### DE PHYSICO AVDITV, SEV auscultatione.

TEXTVS. *Si autem est continuum, & tangens, & consequenter, &c.*

#### SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

**I**N hoc sexto libro (qui in decem capita secatur) agit Aristot. de motu in ordine ad suas partes integrales; diuiditurque in tres præcipuas partes. In prima per duo priora capita multis demonstrat, nullum continuum ex indiuisibilibus, tanquam ex partibus coalescere. In secunda à capite tertio vsque ad octauum de diuisione, infinitate, & finitate motus, & quietis determinat. In tertia demum per duo posteriora capita Zenonem infestat, & quædam eius, atque aliorum Philosophorum argumenta dissoluit.

Accedendo ad primam partem, in primo capite ex intento probat, nullum cõtinuum ex indiuisibilibus coalescere. Et primo in magnitudine sic ostendit. Si linea, v. g. componeretur ex indiuisibilibus, (nimirum ex punctis) aut prædicta indiuisibilia essent continua, aut contigua, aut consequenter. Sed nullo ex his modis possunt esse: ergo nullo modo linea componitur ex indiuisibilibus. Minorem quoad duas priores partes sic probat. Continua dicuntur, quorum extrema sunt vnum: contigua verò, quorum extrema sunt simul. Sed indiuisibilia, seu puncta non habent extrema; nam vacant partibus: ergo in linea, neque poterunt esse continua, neque cõtigua. Suadet rursus, indiuisibilia in linea nõ esse contigua hac ratione. Ea, quæ sunt contigua, tangunt se: ergo si indiuisibilia, qualia sunt puncta in linea, sunt contigua, nec cessariò tangunt se. Modò sic. Vel vnum indiuisibile tangit aliud secundum se totum; aut secundum aliquam partem: non hoc vltimũ, quia indiuisibilia non habent partes, neque etiam primum; aliàs:

vnum.

vnum indiuisibile non esset extra aliud in ordine ad locū, & cōsequenter neque conflarent extensionē lineæ; nam extensio lineæ constat ex partibus, quarū vna est extra aliā in ordine ad locū: nullo ergo pacto indiuisibilia contigua esse queunt. Probat deinde vltimā partem minoris (scilicet, indiuisibilia nō posse se habere in linea, quā cōponunt, consequenter, seu deinceps) hac ratione. Illa dicuntur se habere consequenter, seu deinceps, *inter quæ nullū est mediū eiusdē rationis*. Modò sic. Vel inter hæc indiuisibilia, quæ cōponunt lineam, est aliquod intermedium, vel nullo? hoc vltimū dici non potest: aliā linea, quæ coalescit ex ipsis indiuisibilibus, non esset quid continuum: ergo primū. Modò sic. Vel hoc intermedium est indiuisibile, vel diuisibile? si indiuisibile, haberet intentū: (scilicet, illa indiuisibilia, ex quibus cōponitur linea, non se habere consequenter, seu deinceps; siquidē inter illa est mediū eiusdē rationis) si aliquod diuisibile, scilicet, pars lineæ; rursus interrogo, an illud diuisibile sit compositū ex partibus indiuisibilibus, vel ex partibus diuisibilibus? hoc vltimū dici non potest, nisi deserēdo aduersarij suam positionē, scilicet, lineam cōponi ex partibus indiuisibilibus: ergo dicēdū est primū; ex quo habetur etiam intentū, scilicet, hæc indiuisibilia in linea non se habere consequenter, seu deinceps; siquidem inter ipsa sunt media eiusdē rationis. Probat insuper alia ratione, cōtinuum non cōponi ex indiuisibilibus, quæ talis est. Vnū quodque cōponitur ex his, in quæ diuiditur: sed cōtinuum diuiditur in partes diuisibiles: ergo cōponitur ex partibus diuisibilibus. Deinde vt id, quod de magnitudine probauit (scilicet, non cōponi ex indiuisibilibus) probet etiā de alijs continuis, videlicet, de motu, & de tēpore, docet, hæc tria, *magnitudo, motus, & tēpus*, esse eiusdē rationis, quantū ad componi, vel nō componi ex indiuisibilibus. Et in primis hoc ostēdit de magnitudine, & motu; nam, cū motus magnitudini, super quā fit, correspondeat, pars motus æquabitur, & correspondebit parti magnitudinis: ergo si magnitudo cōponeretur ex indiuisibilibus A. B. C. motus, quo mobile moueretur per illā, cōstaret etiā ex indiuisibilibus D. E. F. ex quibus quodlibet corresponderet cuilibet indiuisibili magnitudinis. Hoc supposito, probat, motū non posse cōponi ex indiuisibilibus, hac ratione. Super indiuisibili nō potest fieri motus: ergo neque pars vlla magnitudinis, super qua fit motus, neque pars vlla motus, quæ correspondeat prædictis partibus magnitudinis, potest esse indiuisibilis. Antecedens probat; nam impossibile est, vt id, quod actu mouetur, totū sit in termino *à quo*, vel quod totū sit in termino *ad quē*; nam, si totū est in termino *à quo*, nondū

ma-

mouetur; & si totum sit in termino *ad quem*, iam nō mouetur: sed motum est, igitur si aliquod mobile mouetur, partim debet esse in termino *à quo* motus, & partim in termino *ad quem*. Sed supra indiuisibili non potest esse partim, quia iam indiuisibile esset diuisibile, & habens partes: ergo supra indiuisibili non potest fieri motus. Et ponit exemplum in literis: nam sit A. indiuisibile, super quo fit motus, & mobile sit G. & motus, secundum quē mouetur, sit D. Tunc sic: si G. moueretur super A. motu D. impossibile est, quod totaliter sit supra A. quia iam non moueretur supra ipsum; sed motum esset: nec etiam G. est super alia magnitudine distincta ab A. quia tunc nondum moueretur super A. ergo si mouetur super A. oportet, quod partim habeat acquisitum de A. & partim acquirendum: quod cum sit impossibile, si supponatur, A. esse indiuisibile, etiam erit compositibile, motum fieri super indiuisibili. Sed quia aliquis respondere poterat, etsi motus non possit fieri super indiuisibili, posse tamen fieri super magnitudine pluribus indiuisibilibus constante, ideo ostendit Aristot. neque hoc posse contingere supponendo, quod magnitudo composita ex indiuisibilibus, supra quam fieret motus, sit composita ex his tribus indiuisibilibus A. B. C. & quod motus, qui super ipsa fit (qui etiam debet componi ex indiuisibilibus) sit compositus ex his tribus indiuisibilibus D. E. F. Hoc supposito, dicit Arist. quod si motus fieri posset super magnitudine ex indiuisibilibus composita, sequerentur tria absurda. Primum, quod motus non componeretur ex motibus. Sequela patet, nam super parte A. non fit motus; quia (vt probatum est) super diuisibili non fit motus: ergo D. quod est pars motus, correspondens A. non est motus. Et idem dicendum est de parte B. & de parte C. & de partibus motus E. & F. illis correspondentibus. Secundum absurdum est, quod aliquod spatium esset pertransitum per motum, & tamen super nulla parte eius factus esset motus: siquidem super magnitudine A. B. C. in istorum sententia factus est motus D. E. F. & tamen non est factus supra aliquam istarum partium; vt probatum est. Tertium absurdum est, quod aliquod mobile simul moueretur per aliquod spatium, & quiesceret super eodē spatio (accipiēdo *quæsceret* pro non moueri) siquidem mobile, quod moueretur super spatium A. B. C. reuera moueretur; (vt aduersarij contendunt) & tamen non moueretur, quia neque super A. neque super B. neque super C. Deinde eādē esse rationem de tempore, ac de magnitudine, & motu, quoad cōponi, vel nō cōponi ex indiuisibilibus, sic probat. Mobile, quod

X

mo-



mouetur super aliquam magnitudinem in minori parte temporis pertransit partem magnitudinis, quam totam magnitudinem; & similiter partem motus, quam totum motum: ergo hæc tria sibi inuicem correspondent; ac per consequens, si vnū istorum componatur ex indiuisibilibus, & quod reliqua ex indiuisibilibus componantur, necessarium erit; aut è contra, si vnum istorum componatur ex partibus diuisibilibus, & quod reliqua ex partibus diuisibilibus componantur, erit necessarium.

In secundo capite probat de tempore idem, quod probauerat de magnitudine, & motu, scilicet, non ex indiuisibilibus, sed ex diuisibilibus componi; & ad hoc probandum hoc theoremata apponit: *Mobile velocius aequali tempore transit maius spatium, & aequali tempore transit etiam maius spatium, & minori tempore transit aequale spatium, quam mobile tardius.* Hoc theoremata habet tres partes, quarum singulas probat Aristot. exemplificando in literis; sed quia literæ confusionem pariunt, clarius probari possunt exemplificando in cursu vnus leucæ factò ab equo spatio vnus horæ; & in cursu quartæ partis vnus leucæ factò à testitudine aequali tempore vnus horæ: In hoc enim exemplo manifesta apparet prior pars theorematis propositi ab Aristotele, scilicet, *mobile velocius aequali tempore transire maius spatium, quam mobile tardius.* Apparet etiam manifesta secunda pars; quia si equus vna hora percurrat leucam, tribus quartis transibit tres partes leucæ; sed testudo integram consumit horam transiens quartam partem leucæ: ergo *mobile velocius in minore tempore maius transit spatium, quam mobile tardius in maiori tempore.* Et demum manifesta relinquitur tertia pars: nam, si equus vna hora pertransit leucam, in quarto horæ percurrat quartam partem leucæ. Sed testudo indiget integra hora; vt solum quartam partem leucæ transeat: ergo *mobile velocius in minori tempore transit spatium aequale illi, quod transit mobile tardius tempore maiori.* Deinde quatuor supponit. Primum, *motum non in instanti, sed in tempore fieri.* Secundum, *in quouis tempore posse dari motum.* Tertium, *omne, quod mouetur, potest velocius, vel tardius moueri.* Quartum, *in omni tempore potest motus fieri velocius, vel tardior.* His suppositis, probat, tempus non componi ex indiuisibilibus, sed potius ex partibus diuisibilibus in semper diuisibilia hac ratione. (*Omitto literas; nam rem perturbant.*) Motus velocius fit super idem spatium in tempore minori, quam motus tardior: sed dato quocumque velociori motu, potest dari alius motus velocius vsque in infinitum: ergo dato quocumque minori tempore, potest dari aliud tempus minus vsque in

in infinitum. Sed vbi est minus, & minus vsque in infinitum, ibi est diuisibile in semper diuisibilia: ergo cum tempus constet ex partibus minoribus, & minoribus vsque in infinitum, sequitur, tempus constare partibus diuisibilibus in semper diuisibilia. Id è etiam conuincit de magnitudine hac ratione. Motus tardior in æquali tempore decurrit minorem magnitudinem, quam motus velocior: sed dato quocumque motu tardiori; potest dari alius motus tardior, vsque in infinitum: ergo data quacumque minori magnitudine, quæ decurratur à motu tardiori, poterit dari alia minor vsque in infinitum. Sed vbi est minus, & minus vsque in infinitum, est diuisibile in semper diuisibilia: ergo cum magnitudo, super quæ fit, motus tardior, constet ex partibus minoribus, & minoribus vsque in infinitum, sequitur, quod componatur ex partibus diuisibilibus in semper diuisibilia. Totum hoc confirmat testimonio eorum, qui de hac temporis, & magnitudinis diuisione disputant; nã omnes (inquit) hoc ipsum sentiunt, scilicet, diuidi in partes diuisibiles in semper diuisibilia; idque cõprobant argumento desumpto ex his, quæ æquè celeriter mouentur, quæ ita sunt affecta, vt medietatem magnitudinis, quæ toto tempore decurrunt, in dimidio illius temporis pertransiant, ac semper in minori tempore minorem partem magnitudinis: quod fieri non posset, nisi tempus, & magnitudo easdem diuisiones subirent. Docet deinde, tempus, & magnitudinem ita se habere, vt si alterum infinitum sit, alterum quoque infinitum esse deprehendatur; etsi finitum, finitum. Põnitque duos modos infiniti; infinitum diuisione, & infinitum extremis. Infinitum diuisione (quod etiã infinitum potestate dicitur) est, quod in infinitum diuidi potest: infinitum extremis (quod etiã infinitum actu appellatur) est, quod caret extremis, seu terminis, atque adeo pertransiri non potest. Hinc soluit argumentum, quo Zeno nitebatur probare, non dari motum, nimirum, quia si motus super aliquam magnitudinem fieret, cum in ea infinita infint partes, sequeretur, tempore finito infinitum pertransiri; quod est impossibile. Huic enim argumentationi respondet Aristot. quod, cum eisdem diuisionibus tempus, & magnitudo diuidatur, id è que sit in vtroque infinitatis modus, non est incõmodum, id, quod ita est infinitum, vt habeat extrema, ad quæ perueniatur (id est infinitum, non actu, sed potestate) percurri alio simili infinito, cuiusmodi est tempus. Et in extrema parte capitis vniuersè ostendit, nullum cõtinuum ex indiuisibilibus constare: & summa rationis hæc est. Sit magnitudo ex tribus indiuiduis partibus cõposita; sit tempus ex tribus partibus similiter indiuiduis; sintq; duo mobilia alterum altero velocius proportionè sesquialtera (id est, propor-

tione, quæ est triū ad duo) si mobile velocius in tēpore ex tribus indiuiduis partibus cōstante totā prædictā magnitudinē transijt, vtq; mobile tardius eodē tēpore duas partes indiuiduas eiusdē magnitudinis cōficiet. Cū autē partes tēporis debeāt partibus correspondere, tēpus, quo mobile velocius mouetur, necessariō diuidetur in tres partes indiuiduas magnitudinis partibus correspondentes: rursumq; idem tēpus secabitur in duas partes æquales, quæ respōdeāt duab<sup>us</sup> partib<sup>us</sup>, quib<sup>us</sup> cōstat magnitudo, per quam mobile tardū moueatur. Quare, cū tēpus ex trib<sup>us</sup> tātum indiuiduis partib<sup>us</sup> cōpositū diuidi nō possit in duas partes æquales, nisi indiuidua pars diuidatur, aut fatendum erit, indiuiduum posse diuidi (quod repugnantiam inuoluit) aut continuum ex indiuiduis partibus non constare; quod est intentum.

Accedēdo ad secūdā partē; in tertio capite tria theorematā proponit, quæ necessaria sūt ad ea, quæ dīcturus erit de diuisione motus. Primū est. *Nūc seu instās est quid indiuisibile.* Hoc sic probat. Illud est omnino indiuisibile, quod simul est extremū præteriti, & futuri, intelligēdo per extremū præteriti, quod ita est finis præteriti, vt nihil sit illi<sup>us</sup>; & per extremū futuri, quod ita est initiū futuri, vt nihil sit illius: *Sed nunc seu instās est huiusmodi:* ergo est omnino indiuisibile. Maior patet, quia, si esset diuisibile, non esset diuisibile, nisi in præteritū, & futurū, ac per cōsequēs nō sic esset finis præteriti, quin esset aliquid ipsius præteriti, nec initiū futuri, quin esset aliquid ipsius futuri. Minorē probat Arist. nā, si extremū præteriti, & extremū futuri nō esset idē nūc, sed plura, vel hęc plura nūc essent immediata, vel mediata, itaūt inter ipsa aliquod tēpus caderet? Primū dici nō potest (vt probatū est in primo capite) nec etiā secundo; quia iā illud tēpus mediū simul esset præteritū, & futurū; quod est implicatio. Sequela patet; nā, cū antecederet hęc, quod est principiū futuri, esset tēpus præteritū; & cū subsequatur ad nūc, quod est finis præteriti, esset tēpus futurū. Secūdū theorema est: *In instanti, seu nunc tēporis nihil potest neque moueri, neque quiescere.* Priorē partē suadet, quia si mobile aliquod tardius pedalem lineam in instanti, seu nunc tēporis percurrit, mobile celerius eandem lineam pedalem minori tempore percurreret; & sic daretur aliquod spatium temporis minus instanti; quod est absurdum. Posteriorem partem conuincit primō: illud dicitur quiescere, quod non mouetur, potest tamen moueri: sed in instanti aliquod moueri non potest (vt probatum est) ergoneq; quiescere. Secūdō, illud dicitur quiescere, quod eodē modo se habet nūc, ac prius: sed in instanti non datur prius, & posterius: ergo in instanti nihil potest quiescere. Tertium theo-

rema est, *omne, quod mouetur, debet esse diuisibile.* Hoc probat: quia id, quod mouetur, debet esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: quod autem ita se habet, diuisibile est. Assumptum verò ostendit; quia, cū totum mobile est in termino ad quem, iam non mouetur, sed motum est; & cū totum mobile est in termino à quo, nondūm mouetur: ergo vt moueatur, debet habere partes, vt sic secundū alteram sit in termino à quo, & secundū alteram in termino ad quem.

In quarto capite agit de diuisione motus, & ponit duas cōclusiones. Prima est, *motus diuiditur ad diuisionem mobilis, seu subiecti.* Probat duplici ratione. Prima, quando aliquod totum mouetur, omnes illius partes mouentur: sed in omni, quod mouetur, debet esse motus: ergo in singulis partibus mobilis reperitur motus; & ex consequenti motus diuidetur ad diuisionem mobilis. Secunda ratio: quæ conueniunt in vnitāte, conueniunt etiam in diuisione: sed ad vnitatem motus requiritur vnitātas mobilis: (vt supra dictum est) ergo mobile, & motus conueniunt in diuisione; ac per consequens motus diuiditur ad diuisionem mobilis. Secunda conclusio; *Motus diuiditur ad diuisionem temporis.* Probat hac ratione. Motus totus fit in toto tempore, & maior motus in maiori tempore, & minor motus in minori tempore: ergo motus diuiditur ad diuisionem temporis. Et concludens dicit, quod, cū in motu hæc reperiantur, *motus moueri, mobile, tempus, forma, ad quam est motus, & spatium, per quod fit motus;* quæ omnia ita sunt affecta, vt vnū ratione alterius diuidatur, hinc fieri, vt si vnum sit infinitum diuisione, & potestate, alterum quoque infinitum diuisione, & potestate sit.

In quinto capite determinat de mutato esse. Quam disputationem hic ingerit, non alia ratione (vt annotauit Scotus) nisi quia sicut linea imaginatur diuidi supra pūctū, ita etiā imaginamur, motū diuidi supra mutatum esse. Et ponit tres conclusiones prima est: *Id, quod mutatum est in aliquid, cū mutatum est, necessariō est in eo, in quod mutatum est.* Hanc conclusionem probat in omnibus mutationum generibus. etenim semper id, quod mutatur, deserit id, ex quo progreditur, & assumit id, ad quod tendit: nā, quod gignitur, acquirit esse, & desinit non esse, & quod corrumpitur, deserit esse, & est in non esse. Quæ verò alias mutationes subeūt, in quibus datur medium, paulatim incedunt, & quantū abiciūt de termino à quo, tantum assequuntur de termino ad quem. Secunda conclusio: *Id, in quo primō mutatum est id, quod est mutatum, indiuisibile esse oportet.* Id est duratio, in qua verificatur de eo, quod est mutatum, primō mutatum esse, est indiuisibilis,

& instantanea. Huius veritatem vt ostendat, aduertit, id vocari primò tale, cui aliquid conuenit, non ex eo, quòd quidpiã ipsius tale sit, sed ratione sui adæquatè, quo supposito conclusionem sic probat. Si talis duratio esset diuisibilis, & constans partibus; aut mobile in singulis eius partibus esset mutatum, aut singulis nõ esset mutatum, sed mutaretur; aut altera mutaretur, & in altera esset mutatum? Si detur primum, sequitur, mobile non fuisse in tota duratione primò mutatum; prius enim mutatum fuisset in priori eius medietate, quæ est versus initium. Secundum autem dici non potest; siquidem loquimur de mutatione, in qua mobile mutatum est. Nec etiam dici potest tertium, quia mobile solum diceretur mutatum in tota illa duratione ratione partis, atque ad eò non primò: ergo vera est conclusio, scilicet, durationem, in qua de eo, quod mutatum est, verificatur primò mutatum esse, esse indiuisibilem, seu instantaneam. Tertia conclusio: *In fine motus datur primum mutatum esse* (quod, videlicet, sit terminus, in quo totus motus finiatur) *ex parte autem principij impossibile est, dari primum mutatum esse*: quod videlicet, sit initium, à quo talis motus incipiat. Prior pars huius assertionis ex eo patet, quia necessariò dabitur primum non esse, quo motus successio terminetur; quod nihil aliud est, quam primum mutatum esse ex parte finis. Posteriorem vero probat, quia nihil dicitur mutatum esse, quin præcesserit motus: ergo si daretur primum mutatum esse ex parte principij, oporteret; quod illud terminaret primam motus partem. Sed impossibile est, dari primam motus partem: ergo etiam erit impossibile dari primum mutatum esse ex parte principij. Minorem huius discursus (scilicet, non posse dari primam partem in motu) inde suadet, quia neque etiam est dabilis in tempore, quo mensuratur; neque in mobili, in quo successiuè recipitur; neque in forma, quæ per ipsum successiuè acquiritur: nam, cum hæc omnia sint diuisibilia in partes diuisibiles in infinitum; nulla pars potest assignari ita prior, ante quam non sit assignabilis alia prior, scilicet, medietas illius, & ante istam alia, scilicet, medietas illius medietatis; & sic in infinitum.

In sexto capite determinat Aristot. de ordine, quem obseruant inter se *mutari, & mutatum esse*. Et primò apponit hanc conclusionem: *Id, quod in aliquo tempore mutatur primò, in qualibet parte illius temporis necessariò mutatur*. Ad quam probandam duplicem hypothesim præmittit. Prima est, omnem motum in tempore fieri. Secunda est, dupliciter dici quidpiam moueri in tempore; vel primò, & per se, vel per aliud; quo pacto lectio

lectio dicitur fieri ista die, eo quod fit in parte huius diei. His suppositis probat conclusionem; tum ex definitione *primi*; id enim censetur, fieri primum in aliquo, quod fit in eo secundum se, non secundum aliquam ipsius partem. Tum hac ratione. Sumatur tempus, in quo mobile dicitur moueri, diuidaturque in duas partes: vel mobile in neutra mouetur; vel in vna tantum; vel in vtraque? si neutra; certè in toto tempore quiescit. Si in vna duntaxat; iã non mouetur primò; cum ratione vniustantum partis motum sit. Si in vtraque habetur intentum. Ex quibus infert secundam conclusionem, scilicet: *Ante quamlibet motus partem præcedere mutatum esse*. Quod inde concludit, quia si mobile fertur per totam magnitudinem in toto tempore, vtique in dimidio illius temporis, & magnitudinis mutatum est: rursusque, si in dimidio mutatum est, in medietate illius dimidij etiam est mutatum; atque ita infinite progrediendo. Confirmat insuper, quia id, in quo aliquid mutatum esse dicitur, est instans, quandoquidem vt motus in tempore est, ita mutatum esse in indiuisibili temporis, quod dicitur instans. Quare, cum tempus indiuisibilibus diuidatur, non secus ac linea diuiditur punctis, quoties tempus, in quo motus sit, secari poterit, toties mobile dicitur mutatum esse, atque ad eò, cum ante quamlibet partem temporis præcesserit alia, ita aliud indiuisibile temporis, aliudque mutatum esse. Deinde ponit tertiam conclusionem, scilicet: *Ante omne mutatum esse præcedere partem motus*. Vt hanc conclusionem probet, supponit, omne, quod mouetur ex aliquo contrario in aliud contrarium, moueri in tempore. Quam suppositionem probat, quia, si fiat motus de *A. in B.* tunc in eodem instanti, non potest mobile esse in *A.* & *B.* (vt ostentum est prius) ergo oportet, quòd in aliquo instanti sit in *A.* & in aliquo in *B.* vel igitur illa instantia sunt immediata, vel mediata? non immediata; quia tunc tempus componeretur ex instantibus: si mediata; tunc inter ipsa cadit tempus medium; ac per consequens motus factus de *A. in B.* fiebat in tempore. Hoc supposito, probat conclusionem; quia, cum motus fiat in tempore; & omne tempus sit diuisibile in partem priorem, & posteriorem, itaut nullum sit momentum, cui non prætereat pars temporis, sequitur, quòd omnis motus sit etiam diuisibilis in partem priorem, & posteriorem, itaut nullum sit mutatum esse, cui non prætereat aliqua pars motus. Hanc rationem exemplificat in motu locali, & subdit, posse etiam exemplificari in alijs motibus, scilicet, in alteratione, quæ fit à contrario in contrarium; & similiter in generatione, & corruptione, quæ sũt

à contradictorio in contradictorium. Et tandem concludit, in nullo motu dari, neque primum mutari, neque primum mutatum esse: aliam iam esset aliquod mutari, quod non præcederet mutatum esse, vel aliquod mutatum esse, quod non præcederet mutari; quod est contra prius posita.

In septimo capite de infinitate, & finitate motus differit: nam quemadmodum diuisio ad rationem continui spectat, ita & infinitas, & finitas. Pōnit aliquas conclusiones. Prima conclusio: *Tempore infinito finitum spatium pertransiri non potest.* Et intelligit conclusionem, nisi finitum spatium identidem repetatur, ut in cælestium globorum conuersione contingit. Et probat conclusionem primò; quia motus, tempus, & spatium proportionabiliter se habent, quoad hoc, quod est diuidi: (ut supra probatum est) ergo si motus est finitus, & spatium finitum, & quòd tempus illis correspondens finitum sit, necessarium erit. Secundò, quia, cuiuslibet parti motus, qui fit per spatium finitum, correspondet aliqua pars temporis: sed partes motus qui fit per spatium finitum, finitæ sunt, nec faciunt motum infinitum: ergo partes temporis correspondentes partibus motus finitæ etiam erunt; nec facere poterunt tempus infinitum. Et hæc ratio probat conclusionem, tam in eo, quod vniuniformiter mouetur per totum spatium, quàm in eo, quod mouetur difformiter, & velocius in vna parte spatij, quàm in alia; quia ex finitis partibus nō potest infinitū coalescere; siue partes sint æquales, siue inæquales, & vna maior alia. Secunda conclusio: *Tempore finito infinitum spatium pertransiri non potest.* Quam conclusionem veram esse dicit, tam in casu, quo mobile moueatur motu vniuniformi, quàm in casu, quo moueatur motu difformi. Et probat hanc conclusionem simili ratione, qua probauerat præcedentem: quæ sic reformari potest. Cuiuslibet parti temporis, quo mensuratur motus, qui fit supra aliquod spatium diuisibile, correspondet pars motus, & similiter pars spatij, supra quod fit motus: ergo si partes temporis finitæ sunt, neque ex eis resultat tempus infinitum, quòd etiam partes motus, & similiter partes spatij, supra quod fit motus, finitæ sint, neque ex eis resultat, neque motus, neque spatium infinitum, necessarium erit. Tertia conclusio: *impossibile est, quòd tempore finito mobile finitum pertranscat magnitudinem infinitam.* Vel è contra, quòd tempore finito mobile infinitum pertranscat magnitudinem finitam. Item, impossibile est, quòd tempore finito mobile infinitum pertranscat magnitudinem infinitam. Item impossibile est, quòd detur motus infinitus tempore finito; & è contra motus finitus in tempore infinito. Hæc omnia comprobant Arist. simillimis rationibus, quibus probauerat priores

cōclusiones. Ex quib⁹ omnib⁹ cōcludit principale intētū in hoc capite, nimirū, magnitudinē, motū, & tēpus inter se proportionari in infinitate, & finitate, nec posse, vno existente finito, alia infinita esse, aut è contra, vno existente infinito, alia esse finita.

In octauo capite determinat Arist. de diuisione status, & quietis. Et nomine *status* idem intelligit, ac moueri, non quolibet motu, sed eo, quo ad statum, seu ad dispositionem naturalem itur: Et in primis docet, omne, quod stat, in tempore stare. Et probat primò, quia omne, quod mouetur, in tempore mouetur: ergo omne, quod stat, stat in tempore. Secundò; omne velocius, & tardius fit in tempore: sed omne, quod statum abiit, velocius mouetur in fine, quàm in principio: ergo omne, quod stat, in tempore stat. Maior est nota per definitionem velocioris, & tardioris. Minor constat in motibus elemētorum in proprias, naturasque sedes aduentium. Probauit superius, id, quod primò mouetur in aliquo tempore, in qualibet illius temporis parte necessariò moueri: nunc etiam docet, id, quod stat in aliquo tempore primò, stare etiam in qualibet illius temporis parte, necessarium esse. Et quia ratio, qua id demonstrat, eadem omnino est cum illa, qua primum supra demonstrauerat, ideo non refero. Deinde docet, non posse dari aliquod primum instans, in quo aliquod stat. Et probat sic. Non est dare primum mutatum esse in motu, id est, primum instans, in quo aliquid mouetur: ergo non est dare primum instans, in quo aliquid stat. Antecedens patet ex supra dictis: & consequentia tenet ex illo, quòd omne stare est moueri. Probat insuper, quia omne, quod stat in aliquo tempore primò, prius stetit in medietate illius temporis, quàm in toto tempore; & prius in medietate medietatis, quàm in tota medietate; & sic in infinitum. Loquendo de diuisione quietis pōnit tres conclusiones. Prima *omne, quod quiescit, quiescit in tempore.* Probat dupliciter. Primò, quia omne, quod mouetur, mouetur in tempore: ergo omne, quod quiescit, quiescit in tempore: patet consequentia, quia illud solum dicitur quiescere, quod, cum aptum sit moueri, non mouetur. Secundò, quia quiescere idem est, ac eodē modo se habere prius, ac posterius: sed in instati nō est prius, & posterius: ergo nō est possibile quiescere in instati. Secunda conclusio; *illud, quod quiescit in aliquo tempore: primò, quiescit in qualibet parte illius temporis.* Probat eadem ratione, qua idem probauerat de statione, & moueri. Tertia conclusio; *non est dare primum instans, in quo aliquid quiescit.* Probat, quia illud, quod quiescit in aliquo tempore, prius quieuit in medietate illius temporis, & prius in medietate medietatis; & sic in

infinitum: sicut arguebatur de statu, & moueri. Hinc infert corollarium, videlicet impossibile esse, illud, quod mouetur, eodem modo, se habere prius, & posterius, quia tunc sequeretur, quod moueretur, & quiesceret. Sequela probatur; quia mobile quiescere est mobile eodem modo se habere prius, & posterius: ergo si illud, quod mouetur, eodem modo se habet prius, & posterius, sequitur, quod illud, quod mouetur, quiescit.

In nono capite ponit, & soluit argumenta, quibus Zeno, & alij veteres Philosophi motum è medio auferebāt. Primum argumentum Zenonis erat deducens ad hoc impossibile, nimirum id quod rapidissimo motu fertur (vt iaculum intortum) simul moueri, & quiescere. Hoc autem sic deducebat. Omne mobile, cum est in loco sibi æquali, aut mouetur, aut quiescit. Quod autem fertur, in singulis momentis est in spatio sibi æquali; quare iaculum, dum fertur, quia singulis momentis moueri non potest, necessariò in his quiescit, atque adeo si in aliquo mouetur, simul mouetur, & quiescit. Respondet Aristot. hoc argumentum falso fundamento inniti, scilicet, tempus ex solis momentis constare: solum enim possunt inferre ex eo, quod iaculum in nullo ex momentis moueatur, nec in tempore moueri, qui tenent, tempus ex solis momentis constare. Posset etiam negari maior, nam iaculum, dum fertur per aërem, in singulis momentis est in loco sibi æquali, & tamen in illis momentis nec mouetur, nec quiescit, quia tam motus, quam quies debeat esse in tempore, & non in instanti. Secundum argumentum erat. In qualibet magnitudine infinita sunt partes: ergo si quis moueatur super aliquam magnitudinem, finito tempore, infinita pertransibit, sed hoc est impossibile: ergo & quod aliquis super aliquam magnitudinem motum subeat. Huic rationi se iam satisfecisse respondet Aristot. nimirum, cum in hoc lib. cap. 2. docuit, infinitum, quod solum est tale diuisione, seu potestate, non vero extremis, seu actu, posse optimè pertransiri in tempore, quod etsi finitum extremis, seu actu sit, est tamen infinitum diuisione, seu potestate. Tertium argumentum erat, quod Zeno Achillem vocabat, & in hunc modum conficiebat. Si daretur motus, sequeretur, vt id, quod velocissimum est, rem tardissimam fugientem assequi non posset. Sed hoc ridiculum est: nullus ergo motus dari potest. Sequelam probabat, nam si Achilles, v.g. decuplo velocior sit, quam testudo, & cum illam persequi incipit, vno stadio ab ea distet, interim dum Achilles stadium istud decurret, decimam alterius stadij portionem testudo conficiet, cuius decimæ portionem metam priusquam Achilles pertingat, rursus testudo aliã de-

decimam eiusdem decimæ portionis transmittet: atque ita in infinitum. Quo patet, nunquam id, quod velocissimum est, rem tardissimam fugientem posse assequi. Respondet Aristot. rationem istam eandem esse cum præcedenti, in quantum vtraque procedit à diuisione magnitudinis in partes proportionales: quæ eo ipso transiri non potest; cum magnitudo in partes proportionales sit diuisibilis in infinitum: & solum differre, quod in illa, magnitudo semper secatur in dimidiam partem; in ista verò secatur in partem decimam. In vtraque autem ratione falsum assumitur, scilicet, motum fieri per partes proportionales magnitudinis, quæ semper sunt minores, & minores prioribus vsque in infinitum: & sic non possunt transiri: nam potius fit per partes aliquotas, & quarum posteriores non sunt minores prioribus; in quarum qualibet, etsi sint partes proportionales infinitæ, sed non actu, sed potestate: & sic non mirum quod velocissimum rem tardissimam fugientem assequatur; nam partes motus posteriores æquales sunt prioribus, & partem aliquotam spatij, quam tardum longiori tempore decurrit, velox breuiori conficiat.

Quartum argumentum idem est cum primo, & eandem adducit solutionem. Quintum argumentum conficiebat in hunc modum. Si aliquid posset moueri, sequeretur, quod aliqua duo mobilia æquè velociter mouerentur, & quod simul vnum moueretur in duplo velocius, quod est contradictio. Sequela probatur in casu, quo vnum mobile moueretur super spatium quiescens æquali velocitate, ac aliud mobile moueretur super spatium, quod moueretur motu contrario: nam in isto casu mobile motum super spatium quiescens pertransiret spatium in duplo maius, ac esset spatium pertransitum à mobili moto super spatium, quo mouetur motu contrario: ergo ista mobilia mouerentur æquè velociter (vt supponitur) & simul vnum eorum moueretur in duplo velocius alio per definitionem velocitatis. Respondet negando sequelam: nec contrarium sequitur ex casu posito: nam in tali casu illa mobilia æquè velociter mouerentur. Nec refert, quod in æquali tempore vnum pertransiret spatium in duplo maius: nam quod aliquod non transeat æquale spatium, est per accidens, & non ratione sui motus, sed ratione motus contrarij, quo mouetur spatium, supra quod mouetur. Sextum argumentum probat, esse impossibilem mutationem secundum contradictionem; qualis est de non esse album ad esse album: & sic efformatur, non à Zenone; sed ab alijs Philosophis. Si esset talis mutatio, sequeretur, quod aliqua nec essent, nec non essent: quod est impossibile, & contra illum primum principium: *Quod*

*libet est, vel non est.* Sequela probatur, quia illud, quod mutatur de aliquo termino in aliquem terminum, non est quando mutatur sub aliquo terminorum, & consequenter in prædictis mutationibus, quæ fiunt secundum contradictionem, id, quod mutatur, nec esset sub esse, neque sub non esse. Respondet Arist. in mutationibus, quæ fiunt secundum contradictionem, quando sunt successivæ, vt esse possunt ex accidenti, mobile, quando mouetur, nec esset totaliter in termino à quo; nec in termino ad quem; sed partim in vnoquoque, non secus ac supra dixerat de mutationibus, quæ fiunt secundum contrarietatem, & appellantur motus. Vltimum argumentum procedebat contra motum circularem: & erat huiusmodi, illud non mouetur localiter, quod continuè est in eodem loco: sed, quod mouetur circulariter continuè est in eodem loco: ergo non mouetur localiter. Respondet Arist. etsi motus circularis, non mutat locum secundum se totum; mutat tamen locum secundum partes: & hoc sufficere adhuc, vt localiter moueri dici possit

In decimo capite statuit contra Democritum nullum indiuisibile quantitatis, vt est punctum, posse moueri per se, sed tantum ex accidenti, videlicet, ad motum magnitudinis, in qua est. Probat primò; si indiuisibile per se moueretur, vel, dū mouetur, totum esset in termino à quo; vel totum esset in termino ad quem; vel partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Si datur primum, nondum mouetur: si secundum, iam non mouetur; sed motum est: si tertium iam non erit indiuisibile: ergo nullo modo moueri potest indiuisibile. Secundo probat spectatim in motu locali hoc pacto; id, quod mouetur localiter, prius transit spatium æquale sibi, vel minus ipso, quam spatium maius: quod impossibile est in puncto lineam decurrente: vel enim constaret linea ex solis punctis, quibus se adæquaret punctum eam decurrendo; vel aliquid minus puncto in linea daretur; quod non minus est absurdum. Tertio probat; quia, si indiuisibile moueretur, sequeretur hoc impossibile, scilicet, quod indiuisibile diuideretur. Sequelam vt probet, supponit ex præcedenti ratione, quod indiuisibile motum prius transit spatium sibi æquale insuper supponit ex sæpè dictis, omnem motum fieri in tempore. His suppositis, sic probat sequelam. Indiuisibile motum prius transit spatium sibi æquale, quam maius: ergo illud spatium sibi æquale pertransit tempore: ergo in parte illius temporis pertransit partem illius spatij; ac per consequens spatium illud, quod est indiuisibile, diuideretur in partes. Deinde contra Heraclitum ponentem, omnia perpetuò moueri, primò statuit, nullam muta-

tationem aliã à motu locali posse esse infinitã. Quod sic probat. Nulla mutatio inter duos terminos potest esse infinita: sed omnis mutatio alia à motu locali est inter duos terminos: ergo, &c. Maior patet, quia, si infinitum clauderetur inter duos terminos, iam esset finitum. Et minor probatur inductione, nã generatio, & corruptio sunt inter esse, & non esse; alteratio inter qualitates contrarias; augmentatio, & diminutio fiunt inter eiusdem rei quantitatem perfectam, & imperfectam. Secundo statuit, nullum motum localem rectum posse esse infinitum. Quod probat. Tum ex ratione præcedenti; nam etiam motus localis rectus est inter duos terminos, scilicet, inter superum, & inferum, alias ve locorum differentias. Tum etiam, quia impossibile est, mobile moueri tali motu, quali impossibile est ipsum motum esse: sed impossibile est, mobile esse motum motu recto infinito: ergo impossibile est, ipsum moueri motu recto infinito. Maior patet, quia, illud est impossibile fieri, quod impossibile est factum esse. Et minor probatur, quia, si aliquid motum esset motu recto infinito, daretur infinitum clausum terminis: quod est implicatio; sequela patet: nam spatium, quod transiretur per motum infinitum rectum, necessariò deberet esse infinitum; & aliàs esset clausum inter terminum à quo, est motus; & terminum, in quo mobile est mutatum. Dubitat, an dari possit mutatio, quæ vna cum sit, infinito tempore daretur? Et aduertit se notanter dicere *vna cum sit*: nam nõ dubitat, dari posse circulationem diuersarum mutationum, quæ infinito tempore daretur; potest enim alteratio lationem subsequi, & accretio alterationem, & decretio accretionem, rursusque possunt istidem motus in orbem redigi. Cui dubitationi respondet, dari quidem posse motum, qui, vnus cum sit, infinito tempore daretur, scilicet, motum circularem; sed præter hunc non posse dari alterum. Et hæc in tota litera huius libri.

### ANNOTATIONES CIRCA literam huius libri.

**C**IRCA illa verba posita in c. 1. in secunda probatione; quæ adducit ad probandum puncta in linea, non posse esse cõtigua, scilicet, *vel vnũ indiuisibile tãgit aliud secundum se totũ, aut secundum aliquã partẽ, &c.* annotadũ est *ly partẽ nõ accipere Arist. propriè; nã vna linea tãgit aliã sibi cõtiguã; & tamẽ neq; tãgit illã scẽdum se totã, neq; scẽdum aliquã partẽ*

partem, cum tangat illam in puncto: quod punctum neque est linea, neque pars lineæ. Accipit ergo Aristot. in prædicta ratione *ly partem*, pro omni illo, quod ita est aliquid per se alicuius, ut non sit totum ipsum. Vnde verba Aristot. relata faciunt hunc sensum; *vel unum indiuisibile tangit aliud secundum se totum, aut secundum aliquid sui, & secundum aliquid non, &c.*

2 Circa illa verba eiusdem capituli (*magnitudo, motus, & tempus sunt eiusdem rationis, quantum ad hoc, quod est componi, vel non componi ex indiuisibilibus*) annotandum est, nomine magnitudinis intelligere Aristot. distantiam illam percurrendam per motum, quæ est inter terminum à quo, & terminum ad quem, ipsius motus: siue hæc distantia sit situalis; ut contingit in motu locali; siue sit formalis; ut contingit tam in motu augmentationis, quam in motu alterationis. Quam distantiam merito magnitudinem, aut quantitatem appellat: nam ad rationem motus propriè dicti conditio per se requisita est (ex dictis lib. 5. disp. 1. q. 1.) quòd distantia, quæ est inter terminum à quo, & terminum ad quem motus, non solum habeat partes, sed partes talis naturæ, ut nequeant naturaliter simul, & in instanti; sed successiuè, & in tempore per ipsum motum pertransiri; quod proprium est magnitudinis, seu quantitatis. Vnde cum paulò inferius ad probandum, motum non componi ex indiuisibilibus, sed potius ex partibus diuisibilibus in semper diuisibilia, assumit illud principium, *super indiuisibile non potest fieri motus*, loquitur de indiuisibili huius distantie, seu magnitudinis. Et in hoc sensu optimè concludit ratio ibi adducta ad probandum prædictum principium: & sicut exemplificauit in motu locali, poterat exemplificare tam in motu augmentationis, quam in motu alterationis.

3 Circa ea, quæ docet Aristot. in 4. cap. (scilicet, *motum diuidi ad diuisionem mobilis; & similiter motum diuidi ad diuisionem temporis*) annotandum est, motum dupliciter considerari posse, vel secundum rationem generalem accidentis, vel secundum rationem specialem motus: qua ratione quid successiuum est, & habens partes priores, & posteriores. Si primo modo consideretur, cum motus, ut sic, extendatur per totum mobile, in quo subiectatur: (non secus ac extenduntur reliqua accidentia per totum subiectum, in quo inhaerent) hinc est, ut diuidatur ad diuisionem mobilis; non secus ac alia accidentia diuiduntur ad diuisionem sui subiecti. Sicut enim in homine albo alia pars albedinis est in pede, & alia in manu: ita, quando homo mouetur, alia pars motus est in pede, & alia in manu. Si verò motus secundo modo consideretur, cum, ut sic, motus à tempore mensuretur, & partibus

tem;

temporis partes motus correspondent, motus, ut sic, diuiditur ad diuisionem temporis: sicut enim in tempore vnus horæ primus quadrans est distinctus à secundo, & secundus à tertio, &c. Ita in motu vnus horæ pars motus facta in primo quadrante, est distincta à parte motus facta in secundo quadrante, & facta in secundo quadrante est distincta à parte motus facta in tertio quadrante, &c.

4 Circa ea, quæ docet Aristot. in fine cap. 6. nimirum, rationè ab ipso factam ad probandum, *ante omne mutatum esse præcedere partes motus*, posse exemplificari non solum in motu locali, nec solum in motu alterationis, qui fit à contrario in contrarium, sed etiam in generatione, & corruptione, quæ fiunt à contradictorio in contradictorium, dubitant Auctores, quomodo prædicta ratio posset exemplificari in generatione, & corruptione, quæ fiunt ex contradictorio in contradictorium? Siquidem in prædicta ratione supponit Aristot. omne, quod mutatur ex vno termino in aliud, successiuè, & in tempore mutari: quod etsi verum sit in eo, quod mutatur per motum localem; & similiter per motum alterationis, quæ fit ex contrario in contrarium; tamen falsum est in eo, quod mutatur per generationem, & corruptionem, quæ fiunt ex contradictorio in contradictorium: siquidem forma, secundum quam est generatio substantialis, non habet partes graduales; (quod necessarium erat, ut esset mutatio successiuà) & ex vno contradictorio in aliud subito, & non in tempore fit transitus; eo quod inter contradictoria non datur medium, quod illum transitum retardet.

5 Sed ad hanc obiectionem optimè respondet Scotus in expositione huius textus; ideo Aristot. dixisse, prædictam rationem posse exemplificari in generatione, & corruptione, quæ fiunt à contradictorio in contradictorium; quia etiã si generatio, & corruptio (quæ fiunt à contradictorio in contradictorium) natura sua petant fieri subito, & in instanti (ut rationes factæ manifestè ostendunt) tamen ex accidenti provenit, quod de facto non subito, & in instanti fiant; sed potius successiuè, & in tempore. Cum enim forma substantialis, v. g. ignis, inducatur per generationem ab alio igne in lignum quantitatiuè extensum; & insuper ad hoc, ut ignis inducat per generationem formam ignis in omnes partes quantitatiuè extensas illius ligni, necessarium sit, ut prius disponat partes illas ligni ad receptionem formæ ignis: hinc fit, ut sicut ignis non subito, & in instanti disponit omnes partes ligni ad receptionem formæ ignis, sed successiuè, & in tempore; ita etiam non subito, & in instanti inducat formam ignis in omnes

par-

partes ligni, sed successiue, & in tempore, vt experientia ostēdit.  
6 Circa litteram huius libri duo disputanda sunt. Prima disputatio erit *De compositione continui*. Secunda *De inceptione, & desitione rerum naturalium*.

## DISPUTATIO PRIMA DE compositione continui.

**N**OMINE continui non solum intelligimus quantitatem, cuius partes copulantur termino communi, siue sit permanens, vt linea, superficies, & corpus; siue successiua, vt tempus, seu motus: sed etiam res, quæ ab huiusmodi quantitibus quantæ denominantur, cum omnes istæ res (ex dictis in Logica cap. de quantitate disp. 1. q. 2.) habeant suas partes entitatiuas integrales termino communi copulatas; quæ eo ipso continuum entitatiuum conficiunt, non secus ac partes quantitatis, vt termino communi copulantur, conficiunt continuum quantitatiuum. Sunt autē in hac disputatione quatuor examinanda omnium calculo difficillima. Primū, *Vtrum continuum sit aliquid simplex, an compositum?* Secundū, *An partes, ex quibus continuum primo coalescit, sint indiuisibiles, an diuisibiles in infinitū?* Tertium, *An in continuo, præter partes diuisibiles in infinitum, sint etiam indiuisibilia, tam continuatiua, quam terminatiua predictarum partium?* Quartum, *Vtrum, si daretur indiuisibile separatum à partibus, posset moueri?*

### QUÆSTIO PRIMA.

*An continuum sit aliquid simplex, an compositum?*

**N**ON defuere, qui affirmauerint, continuum nullam habere partes actu, & realiter distinctas, sed tantum potestate, eo quod possunt realiter diuidi, & separari, & similiter quia possumus, per rationem alias, & alias partes in cō-

tinuo designare, atque adeo actu, & realiter continuum esse quandam simplicem entitatē extensam sine vlla distinctione, & compositione partium. Ita videtur sensisse Fonseca 5. Metaph. c. 13. q. 6. sect. 4. conclus. 2. & defenditur ab aliquibus recentioribus.

2 Pro-

2 Probari solet hæc sentētia. Primò ex Arist. nā 5. Metaph. tex. 3. 1. dicit, cōtinuum cōflari ex pluribus inexistentibus, nō actu, sed potētia. Et 7. Metaph. tex. 49. vnū continuum non posse fieri ex multis actu inexistentibus, sed potentia; vt duplū ex duobus dimidijs potētia. Et libro de sensu, & sensibile c. 6. affirmat, partes in cōtinuo sensibili nō sentiri actu, sed potētia. Et demū in hoc opere lib. 8. tex. 68. & 69. ad soluendum argumentum Zenonis, qui ex infinitate partium negabat motū, respōdet, in cōtinuo esse infinitas partes proportionales, vt sūt innumera dimidia, nō actu, sed potestate: & ideo bene posse per motum finitum actu pertransire.

3 Secundò probari solet rationibus. Prima (& est ratio à priori) distinctio actualis partium est ratio quātitatis discretæ: sed quātitas cōtinua, & discreta sūt oppositæ: ergo distinctio actualis partium est cōtra rationē continui. Confirmatur, quia data tali distinctione partium in continuo, conuenirent continuo affectiones, & proprietates numerales arithmeticæ: ergo cōtinuum esset numerus, & consequenter non quantitas continua, sed discreta.

4 Secūda ratio (& est ratio à posteriori) si in cōtinuo partes essent actu distinctæ, sequeretur duo in conuenientia. Primū, quod cōtinuum non esset cōpo-

sitū ex partibus diuisibilibus in infinitū, sed potius ex partibus indiuisibilibus: sequelā sic probāt. Ea, quæ actu sūt distincta, non sunt distinguibilia in infinitū, id est, nō sunt in potētia ad hoc, vt in infinitū distinguantur: ergo si omnes partes, ex quibus cōponitur cōtinuum, actus sūt distinctæ, sequitur quod eius partes nō sint distinguibiles in infinitū. Modò sic. Ea, quæ non sunt in infinitū distinguibilia, nō sunt in infinitū diuisibilia: (distinctio enim supponitur ad diuisionem) ergo si partes cōtinui non sunt in infinitum distinguibiles, neque etiam erūt in infinitum diuisibiles.

5 Secundum inconueniēs est, quod numerus partium proportionalium in quolibet cōtinuo esset infinitus actu, & non tantum potētia. Sequelā probant: nā in Peripateticorum sententia (quā infra defensabimus) partes proportionales cōtinui, in quas diuidi potest, sunt infinitæ, & sine termino; aliās nō esset diuisibile in semper diuisibilia: ergo si partes istæ, prout sūt in cōtinuo, actu sunt distinctæ, & non potentia tantum, sequitur, quod etiam numerus earū sit etiam infinitus actu, & non tantum potentia.

6 Tamen hæc sententia adeo absurda est, vt non immeritò propter ipsam dixerit Hurado. *Nulla fœditas sine amatore; nec fatuitas sine patrone*. Dicēdū igitur nobis est cum communi, &



receptissima sententia, etsi partes, ex quibus componitur cōtinuū, non sint actu, & realiter diuisæ, nec facientes numerū, sed quātum ad hoc potius sint in potētia; tamē actu, & realiter inter se distingui, & consequēter cōtinuū, nō esse actu, & realiter entitatē simplicē, sed potius esse entitatē, etsi per se vnā, actu tamē; & realiter cōpositā. Solūm est aduertendū, quōd, cūm in cōtinuo duo partū genera Peripatetici distinguamus, vnū earū, quæ dicuntur *aliquotæ, seu determinatæ* ad certā magnitudinē, quæ nō includunt partes alterius magnitudinis ab ipsis distinctas, vt *palmus, cubitus, vna, &c.* alterū earū, quæ appellatur *proportionalis, inæquales, indeterminatæ, & cōmunicantes* (quæ vocabula latē questione sequenti declarabimus) vt sunt in palmo v. g. duo semipalmi, & quatuor medietates semipalmi, & octo medietates istarū medietatū, &c. & vnæ istarum partū includatur in alijs, vt semipalmi in palmo, & quatuor medietates semipalmi in duobus semipalmis, &c. Cūm dicimus in hac nostra sentētia, partes in continuo actu, & realiter distingui, cōclusio nō est eodē modo intelligēda de omnibus his partibus: nā de aliquotis, intelligēda est de distinctione actuali, & reali, quæ simpliciter, & adæquatē, sit talis: de partibus verō proportionalibus, &c. intelli-

genda solūm est de distinctione actuali, & reali, quæ solūm sit talis in adæquatē, & secūdūm quid; quī est modus distinctionis, quo in vniuersūm distinguūtur includēs, & inclusūm. 7 Hæc est absque dubio Arist. sentētia. nā primo Physic. tex. 17. arguens cōtra eos, qui dicebant, omnia esse vnū, interrogat, an sint vnū per cōtinationē? & hoc admissio infert, esse multa, quia cōtinuum est multa, id est, cōstans ex distinctis partibus. Et 5. Metaph. tex. 30. assignat partes, in quas cōtinuū diuidi potest, quæ sunt vtiq; actu partes, sed nō actu diuisæ. Et text. 31. assignat totum, quod est cōtinuū constitutū ex partibus, quæ sint in se multæ, seu distinctæ, sed faciāt vnū. Et c. de quātitate distinguēs quātitatē cōtinuā à discreta, nō distinguit illas ex eo, quod discreta habeat actu partes, secūs verō continua, sed supponendo, vtrāque actu habere partes, distinguit illas, quia partes actuales quātitatis cōtinuæ copulantur termino cōmuni; secūs verō discretæ. Negari ergo nō potest in sentētia Arist. cōtinuū esse quid actu, & realiter compositū ex partibus, quæ etsi non sint inter se actu, & realiter diuisæ, sed potius, quoad hoc, sint in potētia; sunt tamē inter se actu, & realiter distinctæ; vel simpliciter, & adæquatē, si sint partes *aliquotæ, & determinatæ*; vel secūdūm quid, & in

in adæquatē, si sint partes proportionales, inæquales, &c. 8. Sed age, demōstremus hoc rationibus. Prima; quādo aliqua ita se habent, vt, vno actu, & realiter existēte, aliud actu, & realiter non existat, si gnum euidentis est distinctionis realis, & actualis inter illa; iuxta illud Aristotelicum affatum 7. huius operis cap. 1. *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Sed, actu, & realiter existente vna parte continui, potest altera actu, & realiter non existere ( vt contingeret in casu, quōd Deus, vel aliquid agens naturale destrueret vnā partem continui, v. g. ignis, altera indestructa manēte ) ergo signum euidentis est, quōd partes in continuo actu, & realiter sunt distinctæ.

9 Idem argumentum desumi potest ex separatione reali, quæ fit inter partes continui, quoties continuū diuiditur in plures partes. Nam quādo aliqua ita se habēt, vt possint adinuicem realiter separari, & separata existere, signū euidentis est distinctionis realis, & actualis inter ipsa. Nec audiēdi sunt aduersarij, dum respondēt, etsi partes in continuo non sint actu realiter distinctæ, sed tantūm in potētia, tamen per actualē diuisionē, seu separationem fieri actu, & realiter distinctas. Tū quia diuisio nō est distinctio rerū, sed separatio rerū distinctarū; ac per cōsequēs

inter mēbra diuisionis non facit, sed potius supponit actualē, & realē distinctionē. Tum etiā, quia, cūm distinctio entitatiua sit passio entis, solūm ab illo partes cōtinui accipere poterunt entitatiuā distinctionē, à quo accipere possunt suas intrinsecas entitates. Cōstat autē manifestē, partes continui nō accipere suas intrinsecas entitates à diuidente continuum. Aliā s agens creatum, cūm diuidit materiam in partes ipsam integrantes, per talem diuisionem tribueret partibus materię ipsarum intrinsecas entitates; & consequenter illas crearet: quia tam materia, quam partes eius solūm possunt habere esse per creationē; quo nihil absurdū possēt excogitari.

10 Secunda ratio. Caput hominis actu, & realiter non est brachiū; tum quia actu, & realiter sunt in diuersis locis, & naturaliter eadem res corporalis nequit actu, & realiter simul in duobus locis sibi adæquatis replicari. Tū etiā, quia potest moueri brachiū, immoto capite; & impossibile est, quōd eadē res actu, & realiter simul moueatur, & non moueatur: darentur enim duo contradictoria simul vera: ergo partes cōtinui, etsi non sint actu, & realiter diuisæ, sed potius in potētia ad hoc, vt diuidantur, sunt tamen, & realiter nō idē, & consequenter distinctæ.

brachium, & caput in homine esse actu, & realiter distincta, quia illa assignamus; & sic per rale assignatione partes continui fieri actu, & realiter distinctas, quæ ante assignatione solum potentia erant distinctæ. Ridicula sanè respõsio: si enim diuisio realis continui nõ facit distinctione reale, & actualem inter partes cõtinui, quod diuiditur, sed potius illa supponit ( vt nuper ostendebamus ) quãtõ minus illam efficiet diuisio per assignatione; cùm diuisio per assignatione nõ sit diuisio realis continui, sed solum rationis.

12 Deinde interrogo hos auctores, an quãdo intellectus assignat in cõtinuo partes actu, & realiter distinctas, hoc præstet, quia prædictæ partes à parte rei, & ante illa assignatione habebant, quod esse actu, & realiter distinctæ? an non? sed solum potentia; & intellectus eas actu, & realiter distinctas cõcipit, & cõiungit? Si primũ respõdeãt, habemus intentũ; scilicet, partes cõtinui à parte rei, & ante omnẽ assignatione intellectus esse actu, & realiter distinctas. Si verò respondeãt secũdũ, hoc est, quod impugnat argumẽtum, scilicet, non posse partes cõtinui ( vt sunt brachiũ, & caput in homine ) esse eãdẽ entitatẽ à parte rei, sed potius à parte rei esse entitates actu, & realiter distinctas: siquidẽ à parte rei sunt in diuersis

locis ipsis adæquatis; & similiter à parte rei vna mouetur, & altera non mouetur: quæ non possunt simul eidem entitati à parte rei conuenire, etiã si ab intellectu nostro, vt distincta assignentur, seu concipiatur.

13 Et cõfirmatur; nã auctores oppositæ sententiæ fatẽtur, partes continui, vt sunt obiectiue in mẽte Dei, etsi non sint diuisæ, sed potius termino cõmuni copulatæ, & faciẽtes vnũ cõtinuũ, esse tamẽ actu, & realiter distinctas; nã sunt partes assignatæ à diuino intellectu: ergo idẽ prorsus fateri tenentur de prædictis partibus continui, prout sunt existẽtes à parte rei. Probocõsequentiã primò; quia Deus non aliter agnoscit res, quàm vt sunt in se, & à parte rei: vilesceret enim intellectus diuinus, si res cognosceret aliter ac sunt in se, & ad instar intellectus nostri, vt distincta actu cognosceret ea, quæ in se actu distincta nõ sunt; vt latius docuimus in Logica c. de vniuersalibus disp. 3. q. 6. Secundò, quia rationes, quib⁹ nos obrue re conantur, æquò militat cõtra ponẽtes partes continui, vt habet esse obiectiuũ in mẽte diuina, esse actu, & realiter distinctas, ac contra asserẽtes, partes cõtinui, vt sunt à parterei, actu, & realiter distingui, vt intuenti erit manifestũ: ergo, sicut illis rationibus nõ obstantibus, admittũt partes cõtinui, vt sũt obiectiue in mente Dei, actu, &

rea-

realiter distinctas; idem admittere poterant de eisdẽ partibus continui, vt existunt à parte rei.

14 Tertia, & vltima ratio cõfici potest petendo ab his auctoribus, quid intelligant nomine distinctionis, cùm negant, partes continui actu, & realiter distingui? Si intelligat diuisiõnem, seu discretiõnem, non potest esse controuersia; nã perspicuũ est, partes continui nõ esse actu, & realiter diuisas, seu discretas, sed hoc illstantũm cõpetere potentia; sed sanè nomine distinctionis abutũtur: nã distinctio in omniũ sententia quid superius est ad diuisiõnem, seu discretiõnem, & optimẽ reperiri potest inter res, quæ non sunt actu diuisæ, seu discretæ; vt videri est in materia, & forma, & in accidẽti, & eius subiecto, quæ nõ sunt diuisa, seu discreta à parte rei; & tamen omnes fatẽtur, à parte rei esse actu, & realiter inter se distincta. Si verò nomine distinctionis intelligant ( vt intelligere oportet ) habere entitates reales, quarum vna possit existere, alia non existente, vel quarum qualibet possit existere adinuicem separata, esseque naturaliter in diuerso loco, & diuersum minus exercere; profectò nõ apparet, quomodò possit in dubium reuocari, partes, ex quibus componitur continuũ, esse à parte rei actu, & realiter di-

stinctas: & consequenter cõtinuum esse verè, & realiter cõpositum ex eis; cùm luce clarius sit, omnia ista à parte rei partibus continui conuenire. 15 Neque adducta pro contraria sententia multũ vrgent. Ad duo priora loca Arist. respondetur solum ibi contendere Arist. cõtinuũ nõ cõstare ex partibus actu diuisis, & discretis ( qua ratione numerus constat ex pluribus ) sed potius ex pluribus, quæ potẽtia talia sũt. Et hoc ipsum contendunt D. Thom. tã hic lect. 13. quàm in 4. d. 10. q. 1. art. 3. & quàm plures alij auctores ( qui adduci solent ab aduersarijs in fauorem suæ sententiæ ) cùm dicũt, partes esse in cõtinuo potentia, non actu; affirmant enim ( vt ipsi se satis explicãt ) in cõtinuo partes esse potẽtia quoad diuisiõnem, & discretiõnem, non tamen negãt actualẽ ipsarũ distinctiõnem. In tertio loco tantum voluit Arist. ( vt in textu patet ) visum non discernere actu partes minutas in obiecto sensibili, dum totum illud intuetur per modum vnus; & affert exemplum; *latet visa decies milleesima pars millij, &c.* Sed quia partes possunt adinuicem separari, & tunc per se discerni; ideo dicit partes continui sensibilis sentiri potentia. In quarto demum loco negat Aristotel. in cõtinuo esse actu infinitas partes proportionales, seu esse actu

infinitas medietates quoad diuisionē, vel assignationē, quasi possint esse actu diuisa, vel assignata infinita dimidia: (quod erat necessarium, vt argumentum Zenonis haberet intentum) & affirmat, prædictas partes proportionales, seu prædictas medietates esse infinitas potentia in eodem sensu, nimirum, quoad diuisionem, seu assignationem, quia non potest continuum in tot partes proportionales, seu in tot medietates secari, siue per realem diuisionem, siue per assignationem intellectus, quin possit in plures, & plures alias in infinitum.

16 Ad primam rationem dicimus, Aristot. cap. de *quantitate* nullatenus rationem quantitatis discretæ, & continuæ distinxisse penes hoc, quod illa habeat partes actu, & realiter distinctas; & ista non: sed potius, vt manifestum supponit, vtramque constare partibus actualiter, & realiter distinctis; & discriminat penes hoc, quod partes quantitatis continuæ termino communi copulantur; non verò partes quantitatis discretæ. Neque ex hoc, quod partes quantitatis continuæ ponantur actu, & realiter distinctæ, recte inferunt aduersarij in cōfirmatione primæ rationis, conuenire à parte rei quantitatis continuæ affectiones, & proportionales numerales arithmeticæ, aut conti-

num esse numerum: nam, vt à parte rei aliquid induat rationem numeri, eique possint affectiones, & proportionales numerales arithmeticæ conuenire, non sufficit, quod habeant partes actu, & realiter distinctas; sed etiam est necessarium, quod hæ partes sint à parte rei actu, & realiter distinctæ, & diuisæ; quod non conuenit partibus continui à parte rei. Et dico notanter à *parte rei*; nam non dubito, quod per intellectum possimus in quantitate cōtinua partes aliquas assignare, & diuidere, & ex eis numerum constituere, cui affectiones, & proportionales numerales arithmeticæ conueniant; vt cum per intellectum vnam in quatuor partes secamus, & tempus in annos, menses, & dies, & horas, tamen totum hoc per accidēs se habet ad quantitatem continuam.

17 Ad secundā negamus sequi ex eo, quod in cōtinuo sint partes actu, & realiter distinctæ, cōtinuū cōponi ex partibus indiuisibilibus, & nō ex diuisibilibus in infinitū. Ad probationē fatemur libēter, ea, quæ actu sunt distincta, nō esse in infinitū distinguibilia, sumpto distinguibili pro eo, quod non est actu, sed potētia distinctū: & cōsequēter fatemur id, quod inferunt aduersarij, scilicet, partes proportionales cōtinui, nō esse in infinitū distinguibiles, sed potius esse in infinitū actu distin-

ctas, licet non simpliciter, & adæquatè (partium enim proportionalium vnæ includuntur in alijs) saltem inadæquatè, & secundum quid; vt in cōclusionē docuimus; sed negamus, inde inferri, partes proportionales continui non esse in infinitum diuisibiles: imò potius inferitur oppositum: nā, si (ipsis aduersarijs consentiētib; in suo argumēto) diuisio supponit distinctionem, vt partes continui dicantur in infinitum diuisibiles, necessarium erit, quod in infinitū sint actu, & verè distinctæ, nec sufficiet, quod hoc illis conueniat tantum potentia.

18 Similiter negamus, sequi ex eo, quod in continuo sint partes actu, & realiter distinctæ dari in quolibet continuo numerum partium proportionalium infinitū actu: nam potius inferitur, dari infinitum in potentia. Neque oppositum recte inferunt aduersarij ex eo, quod partes proportionales cōtinui sint actu distinctæ: nam, cum numerus sit quantitas discreta, vt partes proportionales efficiant numerum actu infinitū, non sufficit, quod sint actu in infinitum distinctæ; sed etiam requiritur, quod sint in infinitū actu diuisæ, & discretæ: quod non conuenit partibus proportionalibus, vt sunt in cōtinuo; sed solum hoc illis cōpetit potentia, vt in locis Arist. ab aduersarijs pro sua sententia ad-

ductis docuisse Philosophum supra demonstratum est.

## QVÆSTIO II.

*An partes, ex quibus continuum primò coalescit, sint indiuisibiles? An diuisibiles in infinitum?*

1 **S**Tatuimus quæstione præcedenti, continuum non esse aliquid simplex, sed esse compositū ex partibus actu, & realiter distinctis; vel distinctione adæquata, & simpliciter si partes sint aliquotæ, & determinatæ magnitudinis, & non includentes alias partes, à quibus distinguuntur: vel distinctione inadæquata, & secundum quid, si partes sint proportionales, & se comunicantes, seu includentes. Explicandum sequitur, an istæ partes, quibus continuū primò, id est, à principio suo, coalescit, sint indiuisibiles? an potius diuisibiles in infinitum?

2 Solent autem tria indiuisibilium genera distingui, nimirum, indiuisibile metaphysicum; physicum, & mathematicum. Indiuisibile metaphysicum dicitur res spiritualis, quæ etsi nullis partibus integralibus constet; attamen potest loco diuisibili definitiue præsentari tota in toto, & tota in qualibet parte: & hæc indiuisibile longè est à nostro instituto. Indiuisibile physicum (quod ab aliquibus ap-

## SECTIO PRIMA.

*Proponitur Sententia Zenonis, & aliorum Stoicorum cum suis fundamentis.*

pellari solet minimum naturale) est illud ens materiale, quod etsi à nobis nullo instrumento physico naturaliter in partes diuidi possit ( vt est tenuissimus capillus, & cuspis acutissima acus) habet tamen partes, in quas (saltem à Deo) realiter diuidi, & à nobis etiã mente, & cogitatione distribui potest: & de indiuisibilibus huius generis, non procedit præsens quæstio: nã certum est, continuum consistere ex his indiuisibilibus; cum manifestum sit, continuũ diuidi posse in partes ita minutas, vt à nobis nullo instrumẽto physico valeant vterius diuidi, licet à Deo in partes minores realiter secari, & à nobis etiã mente, & cogitatione etiã distribui possint. Indiuisibile mathematicũ dicitur illud, quod prorsus nõ habet partes, & neque per Dei potentiam diuidi potest; vt est instans in tempore; punctum in linea; linea in superficie; superficies in corpore. Et de his indiuisibilibus, præsens quæstio procedit: quã, quia celebris est, & claritatis gratia, in tres sectiones distribuam. In prima sententiã Zenonis, & aliorum Stoicorũ cũ suis fundamentis proponam. In secunda sententiã Arist. & aliorum Peripateticorũ amplectar. In tertiã fundamentis Zenonis, & aliorum Stoicorum satisfaciam.

3 Sententia fuit Zenonis, Pythagoræ, Democriti, Leucipij, & vniuersæ Stoicorũ familiæ, omne cõtinuũ primò, seu à principio ex indiuisibilibus coalescere. Itaq. Philosophi isti non negabant, cõtinuũ ex partibus diuisibilibus coalescere; sed coalescere ex partibus diuisibilibus in infinitũ: affirmabãt enim, in diuisione cuiuscũq; cõtinui facta per partes proportionales minores, & minores, deueniendũ esse ad aliquas partes omnino indiuisibiles, ex quibus primò, seu à principio omne cõtinuũ coalesceret. Quod declarabãt exẽplo numeri; nam sicut numerus octonarius, etiã si coalescat ex partibus diuisibilibus; (diuidi enim potest in duos quaternarios; & rursus vnusquisque quaternarius in duos binarios; & vnusquisque binarius in duas vnitates.) Sed non ex partibus diuisibilibus in infinitũ: nam semel diuiso binario in duas vnitates, nullo ex illis vnitatibus est alterius diuisibilis: ita pariformiter, dicebant, fore philosophandum de quodlibet cõtinuo, scilicet, quòd etiã si diuidi possit in duas medietates, & istæ in alias, & aliæ in alias, sed non in infinitum; nam deueniendũ erat ad

ad aliquas medietates omnino indiuisibiles, ex quibus primò, seu à suo principio omne cõtinuũ coalesceret. Hanc annotam Stoicorũ sententiã conati sunt pauci recentiores ab obliuione cauernosis latebris excitare: sed non minùs oleũ, & operam perdidere, quã Stoici. An verò isti veretatis cupidum, an nouitatis studiosi hoc tranare baratrum tentauerint, quisque sententiã ferat: nostrum enim solũ est, sophismata, quibus præcipuè nituntur, nunc proponere, in posterum enodare.

4 Primum desumitur ex paritate numeri nuper tracta: nã, si numerus (non obstãte, quòd sit quantitas, & constans partibus ipsũ integrantibus) etsi diuisibilis sit, sed non in partes in infinitum diuisibiles; cùm in illius diuisione tandem deueniatur ad aliqua indiuisibilia, ex quibus primò coalescit: cur enim idem non affirmabimus de cõtinuo? Præsertim cùm Aristot. 1. Topic. dicat, ita se habere punctum in linea; sicut se habet vnitas in numero.

5 Secundũ; quia, cùm vnumquodque diuidantur in ea, ex quibus actualiter componitur, si continuum esset diuisibile in partes infinitas, sequeretur, continuum, quantumuis parua extensionis, esse actualiter compositum ex partibus extensionis secundũ

numerum infinitis: quod paruitati, & finitati extensionis continui videtur repugnare: nam, si partes extensionis cõtinui numero infinitæ sunt, ex earũ continuatione, seu vnione necessariò euadet cõtinuũ infinitè extensum; quantumuis minimæ, ac minimæ prædictæ partes extensionis excogitentur.

6 Tertium, si continuum esset compositum ex partibus diuisibilibus in infinitum, sequeretur, nullum mobile posse vllum spatium cõtinuum, quantumuis paruum, motu successe suo, & cõtinuo tẽpore finito pertransire; quod est contra experientiam sequelã probò: nam, si mobile motu successiuo, & cõtinuo moueatur, antequam pertranseat totum spatium, debet pertransire dimidium illius: & ante dimidiũ medietatẽ eius, & semper priorem, atque priorem medietatem vsque in infinitum; si verum est, hoc pacto partes continui in infinitum esse diuisibiles.

7 Quartũ, si cõtinuũ esset compositum ex partibus diuisibilibus in infinitũ, sequeretur, non esse plures partes in quantitate maxima, ac in minima, vel parua, v.g. in cælo, ac in formica. Cõsequens est absurdũ: nã si nõ sunt plures partes in maxima, quã in parua, omnes quantitates essent æquales; & totum non esset maius sua parte; sequela

la patet; nam vtroque essent plures, & plures vsque in infinitum; nec vnquam totidem partes possent assignari in celo, quin totidem possent assignari in formica: & sicuti in celo quibuscumque partibus acceptis, seu assignatis, adhuc possunt accipi, seu assignari plures, ac plures vsque in infinitum; sic & in formica.

8 Quintum; si continuum esse compositum ex partibus diuisibilibus in infinitum, sequerentur alia duo inconuenientia. Primum, non posse Deum quamlibet continui partem, etiam minutissimam, vltimate diuidere: quia qualibet facta diuisione, rursus quaelibet pars diuisa esset in infinitum diuisibilis; quod absurdum videtur. Primum, quia, cum nulla pars dependeat ab alia, nulla apparet implicatio, ob quam non possit Deus sua potentia absoluta, omnes diuidere, atque adiuicem separare. Secundum, quia sicut continuum est diuisibile in infinitum, ita numerus rerum parmentium est augmentabilis in infinitum: sed Deus sua potentia absoluta potest hanc augmentabilitatem in infinitum, quae est in numero rerum permanentium, ad actum reducere producendo numerum infinitum rerum permanentium (vt ex professio docuimus lib. 3. disp. 2. q. 4.) ergo similiter poterit ad actum reducere hanc diuisibilitatem in infinitum, quae est

in partibus continui, illas in infinitas partes actu diuidendo, quae eo ipso non essent vltimus diuisibiles. Et confirmatur, quia vbi impossibilis est actus, impossibilis est potentia ad talem actum; nam nulla potentia est ad impossibile: ergo si impossibile est, quod continuum in infinitas partes actu diuidatur, impossibile est etiam erit haec potentia, quae a Peripateticis continuo tribuitur, scilicet, esse diuisibile in partes in infinitum diuisibiles.

9 Secundum inconueniens est, non posse Deum omnes, & singulas partes proportionales, in quas diuisibile est continuum, per intellectum actualiter assignare, & determinare: nam assignata quacumque adhuc in illa infinitate assignabiles continerentur. Nec percipere valeret Deus, quae esset prima pars proportionalis in continuo, nam perspecta quacumque adhuc dimidia pars illius versus initium esset prior, & sic in infinitum. Nec similiter percipere valeret, quae esset vltima, nam quacumque perspecta, adhuc dimidia pars illius versus finem esset posterior, & sic in infinitum. Quae non parum derogant infinitati Dei cognitioni.

10 Sextum; tempus (& idem est iudicium de motu) componitur ex solis diuisibilibus: ergo & caetera continua: consequentia est manifesta: nam

non

non apparet, cur continua successiua componantur ex solis indiuisibilibus, non vero permanentia; cum omnium continuorum eadem sit ratio, quantum ad hoc. Antecedens probatur; quia, cum tempus sit quid reale, necessarium erit, vt partes, ex quibus coalescit, actualiter existant, seu sint praesentia. Sed nulla pars diuisibilis temporis actualiter existit, seu est praesens (solum enim indiuisibile temporis existit, seu est praesens) ergo non ex partibus diuisibilibus, sed ex indiuisibilibus, seu instantibus, quorum vnum immediate sequitur ad alterum, componitur, seu coalescit tempus.

11 Septimum; si Deus crearet corpus perfecte sphaericum, & poneretur super perfecte planum, tangeret planum in puncto: (vt ex dicendis quaestione sequenti magis constabit) si ergo moueatur tale sphaericum super praedictum planum motu successiuo relinqueret per se in puncto contactum: quaedam lineam super illud planum, quae necessario constabit ex punctis: nam si corpus sphaericum, quando erat quiescens, solum tangebatur planum in puncto, etiam, quando successiue mouetur, tangebit planum in punctis, et si successiue se habentibus; tamen vno immediate ad alterum consequuto.

12 Octauum: si sit lignum partim in aqua, & partim in aere, tangeretur in medio a superficie

aquae, & immediate post a superficie aeris: ergo in ligno duae superficies immediate vna post aliam; non secus ac dantur duae superficies immediate vna post aliam in aqua, & in aere, quando sunt contigua: & consequenter non erit inconueniens, quod totum continuum ex indiuisibilibus immediate vno post aliud se habentibus coalescat. Confirmatur, quia vbi cumque in continuo lignetur, semper assignabitur punctus, & poterit linea superponi corpori, vbi libuerit superponeri: ergo hoc est, quia in continuo solum sunt puncta, seu lineae indiuisibiles. Item, creet Deus in hoc instanti vnus Angelus, potest immediate post creare alium, & creabit etiam in instanti: ergo hoc est, quia vnum instans est immediate post aliud.

13 Haec sunt sophismata, quibus tam stoici, quam eorum affectu nixi sunt negare, continuum ex partibus diuisibilibus in infinitum coalescere: & quibus moti sunt affirmare, in diuisione cuiuscumque continui (quae fit per medietates, seu partes proportionales) fore deueniendum ad aliquas medietates omnino indiuisibiles: & consequenter omne continuum primum, seu a suo principio ex indiuisibilibus componi.

## SECTIO II.

*Aristotelis, & aliorum Peripateticorum sententia amplectitur, & probatur.*

14 **D**icendū nobis est, omne continuum nō solum cōponi ex partibus diuisibilibus, sed ex partibus diuisibilibus in infinitū, ita ut in diuisione continui (si per partes proportionales minores, & minores fiat) non possimus deuenire ad aliquas omninō indiuisibiles, ex quibus primō, seu à principio cōtinuum coalescat. Ita expressè nō solum docuit Arist. in 6. lib. Physic. præsertim cap. 1. & 2. & lib. de lineis insecabilibus, sed etiam efficacissimis demonstrauit rationibus: & a Mathematicis nō modò receptum est, sed positū quasi fundamentum totius suæ disciplinæ. Arist. secuti sunt nō solum Scotus hic q. 1. & in 2. d. 2. q. 9. in responsione ad secundū principale, & tota eius Schola, sed etiam vniuersi Peripatetici Doctores, tam veteres, quàm recentiores, duobus, aut tribus tantum modò demptis. Eandem doctrinam docuit D. August. 11. de Trinitate c. 10. & lib. de Quantitate animæ cap. 11. in fine, & cap. 12. in initio. Imò Ecclesia Catholica in concilio Constantiensi sect. 12. inter errores contra fidem, quibus irretitus est Ioannes Hus, eos etiam quos aduer-

sus veram philosophiam tenuit, annotare volēs, hunc inter alios retulit, nimirū, quòd docuerit, continuum ex indiuisibilibus componi.

15 Probari potest hæc nostra, & Peripateticorum sententia. Primò ratione Aristotelica, quæ sic efformari potest. Si linea v. g. componeretur ex solis punctis, necessariò deberent esse hæc puncta, vel cōtinua, vel contigua (aliter enim essent disiuncta, & distantia inter se, nec possent vnā conficere magnitudinem) sed non possunt esse continua, neque contigua: ergo ex solis punctis nō potest vna linea coalescere, seu cōponi. Minor probatur à definitione ad definitū: continua sunt, quorum extrema sunt vnū: contigua verò, quorū extrema sunt simul. Sed puncta, cum indiuisibilia sint, non possunt habere extrema: ergo neque poterunt esse continua, neque contigua.

16 Hæc Aristot. ratio, si semel admittamus definitiones continuorū, & contiguorum, quas in ipsa assumit Arist. & vt certissimas, & manifestissimas ipse præsupposuit lib. 5. cap. 3. est manifesta demonstratio. Tamē, vt ipsam effugiant, aduersarij, negant prædictas definitiones, & dicūt, fuisse excogitatas ab Arist. ex suo cerebro, absque aliquaprobatione. Sed negantibus has definitiones necessariū erat alias exactio-

res

res assignare: quas cum nec assignent, neque assignare possint, eis nos maiori iure dicere possumus ex suo cerebro has definitiones negare; nec alia causa, nisi vt Aristotelicam effugiant demonstrationem. Nec scio, vnde didicerint, fuisse ab Aristot. prædictas definitiones demonstrandas, ad hoc, vt illas, tanquam exactas, approbaremus: nam definitiones rerum sunt prima principia in demonstrationibus: & prima principia non sunt demonstranda, quia hoc est impossibile, sed vt certa supponenda. Vnde his auctoribus optimè quadrat illud commune proloquium: *Contra negantes prima principia non est arguendum.*

17 Sed videamus, obsecro, quibus ausi sint recentiores Zenonistæ prædictas definitiones à philosophiæ Principe traditas reformare. Loquendo de continuis dicunt, sic fore definienda: *Continua sunt, quæ ita vniuntur inter se, vt vnū sit ex tra aliud.* Confusa sanè, & obscura definitio: non enim nobis explicat, in quo consistat illa vnio, seu vinculum, quo partes, quæ dicuntur cōtinua, adinuicē copulatur, seu vniuntur; sicut declarat definitio tradita ab Arist. quod planè necessariū erat, vt sic naturā cōtinuorū, ipsorūq; distinctionē à cōtinuis perciperemus, quæ etiam cōiuncta, & vnita sunt, licet di-

uerso genere coniunctionis, & vnionis, ac cōtinua. Deinde peto duo ab his auctoribus. Primū, an illud vinculū, quo cōtinua inter se vniuntur, sit quid diuisibile, & habens partes? an quid indiuisibile? Et necessariū est, quòd fateatur hoc vltimū; nā partes ex tēsæ, & diuisibiles nequeunt vinculo extenso, & diuisibili copulari: aliàs idē requirerē de hoc vinculo, an scilicet partes eius copulētur, seu vniatur aliquo vinculo diuisibili? & sic vel dādus esset processus in infinitū; aut necessariò fatendum, partes diuisibiles, & extensas vinculo indiuisibili vniiri, & copulari. Secundū, an hoc vinculū indiuisibile sit vnū cōmune vtriq; parti, an duo, vnum residens in vna parte, & aliud in alia? Et necessarium est fateri primū: aliàs hæc vincula indigerēt aliō vinculo, quo inter se copularētur, nō secus ac partes indigent: & sic daretur processus in infinitū. Si ergo necessariò fateamur est ab his auctoribus, vinculum, quo vniuntur partes continui ita inter se vniuntur, vt vna sit extra aliā, esse quoddam indiuisibile vnū, & commune vtriq; parti, profectò ipsorum definitio cum Aristotelica coincidit, & solum ab illa discriminabitur, quod definitio Arist. explicat nobis naturam continuorū clarè, & explicitè, istorū verò definitio valde æquiuocè, & confusè. Veneranda est ergo

uc;

definitio continuorum hic ab Arist. tradita. Cui valdè affinis, & germana est alia continui definitio, quam ipse tradidit cap. de Quantitate, sub his verbis: *Quantitas cōtinua est, cuius partes copulantur termino cōmuni.* 18 Loquendo verò de contiguis, aliqui Zenonistæ dicunt, sic fuisse definienda, *contigua sunt, quæ licèt sint proxima localiter, carent vnione.* Vitiosa quidem definitio; nam competit alijs à definito: de omnibus enim corporibus inter se localiter distantibus, quando distantia est parua, omnes affirmant, esse proxima localiter, & similiter carere vnione; & tamen nullus de ipsis affirmabit, esse contigua. Et merito sanè, nam inter contigua nulla potest reperiri distantia localis, quæ necessariò requiritur inter ea, quæ dicuntur esse proxima localiter: nam proximitas, & longinquitas localis sunt affectiones, quæ solùm competunt corporibus, inter quæ aliqua localis distantia mediat: & si hæc est parua, dicitur proximitas; & si magnâ dicitur longinquitas. Alij verò hanc continuorum definitionem tradunt, *contigua sunt, inter quæ nullum est mediũ.* Sed peccat eodem vitio, ac præcedēs: si enim Deus duo corpora in vacuo constitueret vnũ distans ab alio, de ipsis verificaretur, inter ipsa nullum esse mediũ; & tamen non essent contigua.

Demum alij sic contigua definiunt, *contigua sunt, quæ cum vnione careant, localiter non distāt.* Hæc quoque est vitiosa definitio; nã datur per negationes: licèt enim contigua non sint copulata, seu vnita aliquo termino communi, sicut sunt cōtinua; & similiter nō sint loco distita, sicut sunt, quæ dicuntur proxima, seu propinqua: tamè ratio formalis contiguorũ non cōsistit in his negationibus, sed in aliquo positiuo, ad quod hæc negationes secuntur: hoc ergo positiuum quid sit, exacta contiguorũ definitio debet declarare: nulla autem definitio ex his, quæ à Zenonistis sunt adductæ, illud declarat, & ideo nulla illarũ exacta debet recēferi. Illud vero positiuum Arist. definitio mirificè declarauit: *(contigua sunt, quorum vltima sunt simul)* ergo ab omnibus, vt exacta, debet venerari.

19 Secũdò probari potest hæc nostra, & Peripateticorũ sententia alia Aristot. ratione: *Indiuisibile additum indiuisibili nō facit maiorem extensionem.* Sed partes, ex quibus primò integratur cōtinuum, addita vna alteri, faciunt maiorem extensionem: ergo partes, ex quibus primò integratur continuum, nequeunt esse indiuisibiles. Maiorẽ huius discursus sic probat Arist. vt ex duobus indiuisibilibus possit constari vna cōtinua extēsiō, simpliciter est necessariũ, quod vnũ indiuisibile tan-

tangat aliud; aliàs manebunt discretæ, nec poterit ex eis vna continua extēsiō resultare: habent enim se cōtinua, & se tãgētia (vt annotauit Arist. lib. 5. cap. 3.) sicut superius, & inferius: licèt enim non valeat, aliqua se tangunt: ergo sunt continua: benè tamen, aliqua sunt cōtinua: ergo se tãgunt. Modò sic. Quando indiuisibile, quod additur alteri, tangit illud, aut tangit inadæquatè, itaut secũdum aliquid sui tangat, & secundum aliquid non: aut tangit adæquatè; itaut nihil sit in vno indiuisibili, quod non tãgatur ab alio? Primum dici nō potest: aliàs indiuisibile haberet aliud, & aliud; & cōsequēter nō esset indiuisibile, sed diuisibile. Ergo eligēdum est vltimũ; sed ea, quæ sic se tãgunt, etsi numero sint plura, nō possunt facere maiorem extēsiōnem localẽ, quàm facit vnũ; quia vnũ non existit extra aliud, sed potius sunt simul penetrata in eodem loco: ergo verum est assumptũ in maiori: *Indiuisibile additum indiuisibili non facit maiorem extensionem.*

20 Huic Aristotelicæ demōstrationi in primis respondent recentiores Zenonistæ, etiam in Aristotelicos, qui ea vtuntur, posse retorqueri, ac per consequens omnibus incumberẽ eam soluere. Assumptum probant sic. In Aristot. sententia indiuisibile continuatiuum tangit partes, quas copulat, seu

continuat, & non inadæquatè, & secundum aliquid sui, & secundum aliquid non; sed potius adæquatè, & secundum se totum: ergo si secundum Aristotelicos hæc est irrefragabilis consequentia: *Punctum tangit punctum adæquatè, & secundum se totum: ergo penetratur cum illo;* hæc etiam erit irrefragabilis consequentia: *Indiuisibile cōtinuatiuum tangit partes, quas copulat, seu continuat, adæquatè, & secundum se totum: ergo penetratur cum illis.* Dicere autem, quod indiuisibile continuatiuum, & partes, quas copulat, sint simul, & in eodẽ loco penetrata, per absurdum est, neque aliquis Aristotelicus admittat: cum ex hoc vnũ ex duobus inferatur, vel quod partes sint simul in loco indiuisibilis cōtinuatiui; & consequenter in loco indiuisibili adiuicem penetrata: vel quod indiuisibile continuatiuum sit simul in loco ipsarum partium; & consequenter simul in duobus locis non solùm adæquatis, sed etiã maioribus, quàm adæquatis: ergo coguntur Aristotelici negare, hanc esse bonã consequentiã: *Punctum tangit punctũ adæquatè, & secundum se totum: ergo penetratur cum illo;* quam ipsemet cōtra Zenonistas, vt irrefragabilem assumunt, ne ad prædicta absurda deducantur.

21 Deinde in forma respouident negãdo illam maiorem, *indiuisibile additũ, &c.* Et ad proba-

variationē admittunt libenter esse necessariū ad hoc, vt ex duobus indiuisibilibus possit cōflari vna cōtinua extēsiō, quōd vnū indiuisibile tāgat aliud. Et quādo inquirimus, an vnū indiuisibile tāgat aliud inadæquatē; an verō adæquatē? respōdēt, quōd adæquatē, & tēcūdum fetotū: sed negāt inde inferri, vnū indiuisibile penetrari cū alio; & sic nō posse facere maiorē extēsiōnē plura indiuisibilia tetāgētia, ac vnū tātum: nā non est (inquiunt) bona cōsequētia, aliqua se tangunt secundū se tota; ergo adinuicē penetrātur; quod suadere conantur.

22 Primō aliquibus instātijs: nam duo corpōra cōtigua (inquiunt) se tāgunt, & tamē vnū nō penetratur cum alio; & duę partes quātītatis habētes positionē in cōtinuo se tangunt sine penetratione, imo eo ipso quōd habent positionē in cōtinuo, necessariū simpliciter est, quōd vna sit extra aliā in ordine ad locū. Et in successiuis adhuc (inquiūt) est manifestius: nā partes motus continui, eo ipso quōd successiue sunt, implicationē inuoluit, quōd vna sit simul cū alia in eadē duratione penetrata; & tamē in sententia Arist. necessariō fatēdū est, se tāgere; nam sūt continuę.

23 Secundō ex quadā suppositione. Supponamus (inquiūt) quōd per possibile, vel impossibile daretur aliquod punctum quantitatum omnino indi-

uisibile separatū in medio cubiculi existens: tunc illud punctū respiceret Orientem, Occidentē, Septentrionē, & Meridiē: accedant ergo in illo casu vna linea ex Oriente, & alia ex Occidente versus illud punctū. Quis negabit (inquiunt) illas lineas posse ad se accedere, ita ut licet punctum extremum cuiuscumque lineę tangat illud punctū, vnūquodque ex suo latere extrinseco, non tamen punctū vnus lineę tangat punctū alterius lineę, sed inter ipsa mediet punctū pręexistens? ergo ex eo, quōd vnū punctū tāgat aliud secundū se totū, inepetē infertur penetrari cum illo; vt Aristotelici contendunt.

24 Tertiō ratione, quam ipsi appellāt a priori: nam sicut ad hoc, vt aliqua sint cōtigua, nō requiritur (inquiunt) quōd vnū sit intra aliud, adhuc secundū aliquid sui, sed fat est, quōd vnū sit iuxta aliud, ita ut nihil mediet inter ipsa, ita ad hoc, vt duo se adinuicem tangant, nō erit necessarium, quōd vnū sit intra aliud adhuc secundū aliquid sui, sed fat erit, quōd vnū sit iuxta aliud, ita ut nihil mediet inter ipsa: (Idem enim est, aliqua se tangere, & aliqua esse contigua; vt in litera docuit Arist.) ergo optimē poterunt duo indiuisibilia se tangere absque sui penetratione, per hoc præcise, quōd vnū sit iuxta aliud, ita ut inter ipsa nihil mediet, etiam indiuisibile.

25 Sed

25 Sed bona venia hi Zenonistę sic respondētes in multis allucinantur. Primō, dum ad retorquēdam rationem Arist. in Aristotelicos, vt certū, supponunt, in eodē sensu, in quo vnū punctum in ipsorum sententia tangit aliud, & similiter in nostra sententia vna pars continui tangit aliam, dicendum etiā esse in Arist. sententia indiuisibile continuatum tangere partes, quas continuat: cū luce clariū res aliter se habeat. Nam in ipsorum sententia vnum punctū tāgit aliud; & in nostra vna pars continui tangit aliā, non vt *quo*, sed vt *quod*, id est, non vt ratio tāgendi, sed vt id, quod verē tāgit. At verō indiuisibile continuatiū in Philosophi sententia non tangit partes, quas continuat, vt *quod*, sed vt *quo*, id est, nō vt id, quod verē tāgit, sed vt ratio, ob quā partes se tangunt. Negamus ergo id, quod ipsi in sua redargutione, vt certū supponunt, scilicet, in sententia Arist. indiuisibile cōtinuatum tāgere partes, quas continuat. Neque oppositum rectē infertur ex eo, quōd partes se tangant medio isto indiuisibili; nam sicut hæc est mala consequentia, *subiectū recipit formam media passionis: ergo passio recipit formam*; quia passio non est, quæ recipit formā, sed ratio, ob quam subiectum illā recipit: & similiter hæc est mala consequentia, *efficiens producit effectū media actione: ergo actio*

*producit effectū*; quia actio non est, quæ producit effectum, sed ratio, ob quā efficiens illū producit: ita hæc erit mala consequentia, *partes continui tangunt se medio indiuisibili continuatiū ipsarum: ergo indiuisibile tangit partes, quas continuat*; quia prædictum indiuisibile non est, quod tangit partes, sed ratio, ob quam partes se tangunt.

26 Secundō allucinantur, dū suadere cōtendunt, hæc nō esse bonā cōsequentiā, *aliqua se tangunt secundū se tota: ergo adinuicem penetrantur*, instātijs duorum corpōrum se tāgentiū; & duarū partium quantitatatis habētium positionē in cōtinuo; & partium motus cōtinui; nā duo corpōra nō se tāgunt secundū se tota; sicut ipsi admittunt, se tangere duo puncta; sed solum secundū vltimas superficies. Et similiter duę partes quātītatis habentes positionē in cōtinuo nō se tangunt secundū se totas; sed solū secundū illud indiuisibile, quō ad inuicē copulatur. Et idē est iudiciū de partibus motus cōtinui. Est ergo irrefragabilis cōsequētia, quā (nulla ratione ducti) parūpēdent recētiore ista Zenonistę, *aliquid tāgit aliud secundū se totū: ergo penetratur cū illo*. Quā modō possumus cōfirmare instantia duorum corpōrum ab aduersarijs adducta. Nam sicut nunc ex eo, quōd duo corpōra cōtigua solū se tāgunt secundū vltimas superficies, benē infertur, prædictas vltimas



superficies esse simul; & cōsequēter penetratas: ita in hypothēsi, quod duo corpora se tāgerēt secundū omnes suas partes, affirmandū esset, illa corpora secundū omnes, suas partes esse simul, & cōsequēter penetrata. Neque oppositum potest imaginari. Oportebat ergo, ut isti Zenonitæ nobis seuaderent, prædictā cōsequentiam esse inualidā, adducere aliquas instātiās, in quibus cerneremus, vñ corpus tangere aliud secundū omnes suas partes, & tamen non maneret simul cum alio penetratū, sed potius existens in diuerso loco, quas cum neque adducant, neque adducere possint, pro comperto habeant, prædictam consequentiam esse irrefragabilem.

27 Tertiō allucinantur, dum in secunda probatione, ut indubitable supponūt id, de quo est tota cōtrouersia; nā dicunt, in casu, quo daretur punctū indiuisibile separatū in medio cubiculi existens, & accederēt duæ lineæ versus illud, vna ex Oriente, & ex Occidente alia, non posse negari, illas duas lineas posse ad se accedere, ita ut licet punctū extremū cuiuscūque lineæ tangat illud punctū, vñ quodque ex suo latere extrinseco, nō tamē punctū vnius lineæ tangat punctū alterius lineæ, sed potius inter ipsa mediet punctum præexistens: hoc enim est, quod nos negamus, & ratio Aristotelica esse omnino

falsum conuincit. Conuincit enim, in isto casu fore dicēdū, quod puncta extrema linearū, eo ipso quod tangerent illud punctū separatū, & nō secundū diuersas illius partes; quia illas nō habet, sed potius secundū se totum, necessariō penetrarentur cū illo; & ex cōsequēti etiā inter se, ita ut tribus illis punctis corresponderet idē indiuisibile loci, seu spatij, quod antea soli puncto separato respondebat; ratione cuius similitatis illæ duæ lineæ dicerentur esse cōtiguæ, & se tangētes. Et eadē allucinatione laborat tertia probatio; quā ipsi rationē à priori appellant. Quippè supponit, ut certum, ad rationē cōtiguorum, seu se tāgentium, nō requiri, quod eorum extrema sint simul (ut docuit Arist. dum contigua, seu se tangentia definiuit) sed sufficere, quod vnum sit iuxta aliud, ita ut nihil mediet inter illa: quod esse falsum, atque ex istorum Zenonistarum cerebro cōfictum probauimus num. 18. dum definitiones contiguorū a Zenonistis adductas exponebamus. 28: Tertiō probari potest eadē Peripatetica sententia alia ratione Aristotelica, quæ est quasi confirmatio præcedētis; & sic potest efformari. Si lineæ, v.g. ex indiuisibilibus punctis primō coalesceret, necessariō fatendum esset, quod, si darentur duæ lineæ, vna conflata ex decē punctis, & alia ex vnde-

cim,

cim, hæc esset magis extensa, quam illa: sed hoc est impossibile: ergo & quod lineæ ex punctis coalescat primō. Minor (in qua esse poterat difficultas) probatur aperte; nam posterior solum excederet priorē in vno puncto: sed punctum nullius est extensionis: ergo repugnat, quod vna lineæ ratione illius sit magis extensa, quā alia: nō fecus, ac repugnat, quod vnum corpus sit magis album, quā aliud ratione alicuius entitatis gradualis, quæ non sit albedo. 29 Ad hanc rationem respondent Zenonistæ, quod etiam si vnum punctum secundū se, & separatim sumptum non sit alicuius extensionis; tamē cōiunctum cum alijs facit maiorem extensionem. Quod declarare contendunt exēplo vnitatis numericæ, quæ et si secundū se, & separatim sumpta sit indiuisibilis, nec faciat numerū, tamen cōiuncta cum alijs vnitatibus facit numerum, qui est quantitas discreta.

30 Sed quis non videat, resolutionē istā principium petere, & verba solum cōtinere, quæ difficultatē in argumento tactā non attingunt. Argumentum enim petit, quomodo sit possibile, quod vndecimū punctum additum lineæ conflatae ex decē punctis faciat illā magis extensam in genere causæ formalis, si punctum in se non est extensum? quod enim coniungatur lineæ conflatae ex de-

cim punctis, iuuaret quidē ad faciendum maiorem extensionem, si punctum in se aliquam extensionē haberet; sed si non habet, nihil profectō iuuat: sicuti, nec iuuat ad hoc, ut aliquod corpus dicatur magis album, quod vniatur illi aliquis gradus formæ, si ille gradus formæ albedo nō sit. Quod declarare possumus exēplo duarum linearum, quarū vna habeat decē palmos, & alia vndecim; nam impossibile est, quod posterior excedat priorē, nisi in ea tantum extensionē, quā vnus palmus secum affert, quāuis prædictum palmum lineæ conflatae ex decem cōiungas: ergo similiter lineæ excedens aliam in vno tantum puncto, solum excedet eam in ea tantum extensione, quā secum vnum punctum attulerit, quātumuis illud punctum cū prioribus coniungas: ergo si illud punctum in se nullam extensionem affert, consequens erit, ut lineæ conflatae ex vndecim punctis non sit magis extensa, quā conflatae ex decem. Nec exēplum vnitatis numeralis est ad rem: nam etiā si vnum indiuisibile additū alteri indiuisibili nō faciat maius, seu extensius, facit tamē plus, quod sufficit; imò per se requiritur ad numerum, qui est quātitas discreta; secus verò ad extensionem, quæ est quātitas cōtinua. 31 Quarto eadem Peripatetica sententia probari potest ra-

trione à posteriori, etiã ex Arist. desumpta. Nam, si continuum componeretur ex indiuisibilibus, sequeretur, quòd tãtum dē spatij percurreretur à mobili tardo (quale est testudo) deambulante per vnam horã, quantũ percurreretur à mobili veloci (quale est aquila) per eãdem horam volãte: quòd euidenter est falsum, & cõtra ocularẽ experientiã. Sequela probatur, quia in vno instanti tēporis non potest plus, minusvè percurri, quã vnum indiuisibile spatij: ergo si vna hora constat (exempli gratia) viginti instantibus temporis, tam aquila, quã testudo, nec plus, nec minus, quã viginti indiuisibilia spatij intra illã horã percurrēt.

32 Miraberis fanè, si attentè inspexeris, quot figmēta à Zenonistis fabricata sint, vt vim huius rationis effugiant. Fixerunt quidam, nullum motum esse continuum, sed omnẽ motum esse discretũ per quasdam morulas, seu quietes. Quasi fictione supposita respõdent ad argumentum, et si in vnico instanti temporis, nec aquila, nec testudo possint de nouo percurrere plus, aut minus, quã vnum indiuisibile spatij: (vt argumentũ supponit) tamen in vna hora plura indiuisibilia spatij percurrere aquilam, quã testudinem; quia aquila in multis instantibus illius horã mouetur, & in paucis quiescit: è cõtrario verò testudo in multis quies-

cit, & in paucis mouetur. Et hinc colligunt, tantò motũ esse tardiorẽ, quantò plures in eodantur morulæ; & tantò velociorem, quãtò pauciores morulæ in eo sunt: quòd si nulla mora motus interruperetur, foret (aiunt) summè veloc, qui dari potest.

33 Sed quã chimericũ sit fundamētum istorũ Zenonistarũ, ad oculum ostendi potest. Primò, quia si in motu darentur predictæ morulæ, seu quietes, à nobis perciperētur non minus, ac percipiuntur partes motus: siquidem tunc nullæ essent species visoriae motus; quia species istæ nõ durant, nisi durãte motu: ergo tunc videretur mobile quiescere. Imò magis perciperentur, quã partes motus; quia carentia specierum motus certius infert carentiam visionis motus, quã species motus inferunt visionem motus. Quis autẽ videns, aquilam volãtem expertus est in illo veloci volatu illam sæpissimè morari?

34 Respondent, tam breues esse morulas istas, seu quietes, vt non possint à sensu percipi, seu distingui. Sed contra; quia stando in istorum principijs potius affirmandum esset oppositum, scilicet, partes motus esse ita breues, vt non possint sensu distingui; morulas verò habere semper latitudinem, quæ valeat semper sensu percipi: siquidem in istorum sen-

seu-

tentia duratio, quæ cõsumitur in parte motus, quò mobile pertransit vnũ indiuisibile spatij, semper est infinitanea: duratio verò, quæ consumitur in morula, quæ mediat inter partes motus, semper est diurna, maior, vel minõr iuxta maiore, vel minõr tarditatẽ motus. Imò cũ motus aquilæ cõparatus ad motũ Saturni sit penè infinite tardior; si maior tarditas in motu (vt auctores isti contendunt) proueniret ex multitudine morularũ, quæ inter partes motus interueniunt, sequeretur, durationẽ, quæ cõsumitur in morulis, quæ sunt inter partes motus aquilæ, penè infinite esse maiorem duratione, quæ consumitur in morulis, quæ interueniunt inter partes motus Saturni. Quod incredibile apparet, præsertim cũ motus Saturni nõ sit omnium velocissimus; (est enim velocior motus primũ mobilis) nec motus aquilæ sit omninũ tardissimus; cũ multò tardior sit motus testudinis. Et admissò hoc incredibili, euidenter sequitur, quòd intendimus, scilicet, in motu rapidissimo aquilæ potius à nobis percipiẽdas esse morulas, quæ intercedunt inter partes motus, quã partes ipsius motus: siquidẽ duratio, quæ in qualibet parte illius motus consumitur, instantanea est; duratio verò, quæ cõsumitur in morulis, quæ intercedunt inter partes motus, pe-

nè immensæ diurnitatis sit, si ad durationẽ, quæ consumitur in morulis, quæ intercedunt inter partes motus (sphæræ Saturni) comparentur.

35 Secundo, quia, si tarditas motus cõsisteret in morulis interiectis inter partes motus, & maior tarditas in maiori numero harũ morularũ, sequeretur, quando rota mouetur circulariter, partes illius cõcẽtricas aliquãtũ quiescere, dum actualiter ex cẽtricæ mouentur. Quòd repugnat sensui. Patet sequela; nam partes cõcẽtricas tardius mouentur, quã cẽtricæ; quæ tarditas in horũ sententia in eo sita est, quòd mobile tardũ pro aliquibus instantibus quiescat, pro quibus mobile velocius actualiter mouetur. Imò ulterius sequeretur, quòd in motu rotæ partes ex cẽtricæ discontinuarentur ab vnis ex cõcẽtrics, & cũ alijs continuarentur; quò nihil absurdius, & contra experientiã; nam, si à cẽtro rotæ versus circumferentiã fiat linea, quantũuis moueatur rota, semper linea illa manebit recta: quò fieri non posset, si puncta, super quæ facta est linea, essent discontinuata. Constabit manifestè hæc sequela, si supponamus, circumfultũ, quæ faciunt partes ex cẽtricæ, constare ex octo punctis; circumfultũ verò, quæ faciunt partes cõcẽtricæ, constare quatuor punctis, ita vt primũ, & secundũ punctum circuli ex cẽ-

trici cōtinuentur cum primo puncto circuli concentrici; & tertium, & quartum punctum circuli excentrici continuentur cum secundo puncto circuli concentrici; & sic de reliquis. Tūc sic arguo Si in motione rotæ in aliquo instanti mouentur partes circuli excentrici, immotis manētibus partibus circuli concentrici pro illo instanti, secundum punctū circuli excentrici relinquet locum suum, & erit in loco, ubi erat tertium punctum eiusdem circuli; & consequenter desinet continuari cum primo puncto circuli concentrici, cum quo continuabatur ante illam motum; & continuabitur de nouo cū secundo puncto eiusdem circuli concentrici. Et idem argumentum fieri potest cum debita proportione de quarto, sexto, & octauo puncto circuli excentrici pro illo primo instanti, in quo mouentur partes circuli excentrici, immotis manētibus partibus circuli concentrici. Et in secundo instanti, in quo moueantur partes circuli excentrici immotis manētibus partibus circuli concentrici, fiet idem argumentum cum debita proportione de primo, tertio, quinto, & septimo puncto circuli excentrici. Ex quibus planè constat, quòd, si in motu rotæ necessarium est, quòd partes, quæ tardius mouentur (vt sunt concentricæ) in aliquo instan-

ti quiescant, in quo actu mouentur partes velociores, (vt sunt excentricæ) in duobus instantibus, in quibus hoc cōtingat, omnes partes excentricas discontinuari ab vnīs excentricis, & cum alijs continuari: quod non solum est absurdum, sed etiam contra manifestam experientiam, vt probatum est.

36 Tertiò, quia ridiculum fanè est ( vt lepidè annotauit Hurtado disp. 5. Physica sect. 5. subsect. 2. §. 91. ) dicere, immane saxum è turri deiectum in aère quiescere aliquantulū: quibus enim, rogito, innititur fulcris? aut glandem ferream explosam bombarda in aère sistere? Certè non esset adeò timida, vt posset miles expectare, vt sisteret, vt in illius morula (quæ non esset parua; nam comparata ad morulas, quæ intercedunt inter partes motus spheræ Saturni valde illas excederet in diurnitate) illius impetum effugeret. Deinde si semel sistit mobile, necessariò sistet, dum non minuuntur vires contrarij, aut propriæ augentur: sed in secundo instanti non sunt auctæ vires mobilis, neque imminutæ resistētis: ergo sistet etiam pro illo instanti. Et idem erit iudicium de omnibus alijs instantibus subsequētib; vnde saxum semel sistens in aère, sisteret per annum, nisi ei vires augerentur, aut minuerentur aëri.

37 Propter hæc alteri recentio-

tiores Zenonistæ alia via conuati sunt vim rationis supra factæ declinare: Sed non magis faustè. Admittunt enim dari motus continuos, qui nullis morulis, seu quietibus intermedijs discontinuentur; & huiusmodi motibus non solum mobile velox, sed etiam tardū moueri posse: idque rationibus nuper factis aperte conuinci. Negant tamen necessariò sequi ex eo, quod continuum ex indiuisibilibus primò componatur, id, quod ratio à nobis facta intendit, scilicet, fore necessarium, vt in æquali tempore, quale est vnus horæ, tatum spatij percurretur à mobili tar- do, quale est testudo, quantum percurretur à veloci, quale est aquila. Nam potest contingere, (inquiunt hi) quòd in cursu vnus indiuisibilis spatij (quod in vno instanti percurretur ab aquila) consumat testudo plura instantia illius horæ, vel è contra, quòd in vno instanti illius horæ (in quo testudo solum percurret vnus indiuisibile spatij) aquila plura indiuisibilia spatij percurret. Vnde in forma respondent, esse falsum id, quod in probatione prædictæ sequelæ in nostra ratione allumitur, scilicet, in vno instanti temporis nò posse plus, minusve percurre, quam vnū indiuisibile spatij à quocumque mobili.

38 Duo ergo à nobis hic stabi- lienda sunt, ex quibus fig-

menta, quibus Zenonistæ hi in sua responsione nituntur, euanescent. Primum, esse impossibile, quod mobile, quantumuis tardum excogitetur, in cursu vnus indiuisibilis spatij cōsumat plus, quàm vnum instās temporis. Secundum, nò posse naturaliter contingere, (quidquid sit de potentia Dei absoluta, de quo infra) vt aliquod mobile, quantumcumque velox excogitetur, in vno instanti temporis plura indiuisibilia spatij (loquor in sententia istorum Zenonistarum, qui putant, spatium continuum ex indiuisibilibus coalescere) percurret.

39 Primum adeò est manifestum, vt probatione non indigeat. Si enim mobile tardū, in cursu indiuisibilis spatij, tēpus constans ex pluribus instātib; consumeret, necessariò fatendum esset, prius illud mobile percurrere vnā partem illius indiuisibilis spatij, scilicet, in primo instanti illius tēporis, & postea aliam, scilicet, in secundo instanti. Quod manifestam inuoluit implicatiōnem, nimirū, indiuisibile spatij esse in partes diuisibile. Et confirmari potest, inquirendo ab aduersarijs, an in primo instanti illius temporis constati ex multis instantibus (quod dicunt consumere mobile tardum in cursu vnus indiuisibilis spatij) mobile sit totaliter in termino ad quem illius cursus?

an totaliter in termino à quo? an partim in termino ad quem, & partim in termino à quo? hoc tertium dici non potest; nam implicat assignare partes, tam in termino ad quem, quā in termino à quo huius trāitus; nam (vt supponimus) sunt duo indiuisibilia spatij, quorum vnū relinquitur per talem cursum à mobili, & dicitur terminus, a quo discedit; & aliud acquiritur de nouo, & dicitur terminus, ad quem accedit. Neque etiā dici potest secundū, quia, si in isto primo instanti mobile est totaliter in termino à quo, non poterit pro illo verificari, quod mobile actu trāseat illud indiuisibile spatij; ergo necessario fatēdum est primū, quod est intētum, scilicet, in illo instanti mobile tardum esse totaliter, in termino ad quē: & consequenter pro illo instanti primo totum illum cursum esse cōsummatum; nec relinqui aliquid illius, quod possit in subsequētibus instantibus consummari. Et hoc est, quod cōmuniter dici solet, *in instanti idē est fieri, & factum esse*; seu, *idem est mutari, & mutatum esse*; nam pro eodem instanti, in quo verificatur, aliquid fieri, seu mutari, etiam verificatur esse factum, seu mutatum esse.

40. Secundum est non minus manifestū. Nam asserere mobile velox in vno instanti temporis decurrere plures partes spatij (sue istæ partes spatij po-

nantur indiuisibiles, vt ponunt Zenonistæ, siue ponantur diuisibiles in infinitū, vt ponimus Aristotelici) est tollere à vero motu locali successione aduallē, quod naturaliter repugnat: non secus, ac repugnat naturaliter tollere ab accidētibus absolutis actualē in hērentiam in subiecto, & à quātitatibus permanentibus actualē extensionē in ordine ad locum: licet enim de intrinseca ratione motus verē, & propriē sumpti (vt in omnī sententia est localis) solum sit successio aptitudinalis; successio autē actualis (solum sit accidens illius, sed non qualecūque accidens, sed accidens ita connaturaliter motui debitū, vt nequeat per vires naturæ ab ipso motu separari; non secus, ac etiā de ratione intrinseca accidentis absoluti solum sit in hērentia aptitudinalis; in hērentia autē actualis solum sit accidens illius; sed nō qualecumque accidēs, sed accidens ita cōnaturaliter debitū accidentibus absolutis, vt nequeat per vires naturæ ab eis separari; & similiter nō secus, ac etiā si de ratione intrinseca quantitatis permanentis solum sit extēsisio aptitudinalis in ordine ad locum; extēsisio autē actualis in ordine ad locum solum sit accidens illius, sed non qualecumque accidēs, sed accidens ita connaturaliter debitum quantitatibus permanentibus, vt nequeat per vires natura-

turæ ab ipsis quātitatibus permanentibus separari.

41. Quod confirmare possumus ratione à posteriori. Nam si mobile extensum, v. g. constās quatuor indiuisibilibus, nō curreret spatij extensum, v. g. cōstans alijs quatuor indiuisibilibus, successiuē, & per partes, ita vt primum indiuisibile mobilis versus spatij ( & idē est iudiciū cum proportione debita de alijs indiuisibilibus reterio antecedētibus) prius decurreret primū indiuisibile spatij, & postea secundū, deinde tertium, & tandē quartū; sed potius simul, & in eodē instāti omnia illa quatuor indiuisibilia spatij, percurreret (vt isti Zenonistæ cōtēdunt fieri, quoties mobile mouetur velocissimē) sequeretur, idē numero indiuisibile mobilis esse simul in quatuor locis, siue spatijs sibi ad equatis, quod naturaliter repugnat: siquidem non trāsit ab indiuisibili spatij, in quo est, ad vltimū diuisibile spatij, quod percurrat, non percurrēdo alia indiuisibilia spatij, quæ sunt intermedia; nec fuit prius in primo indiuisibili spatij, quā in secundo, nec in secundo, quā in tertio, nec in tertio, quā in quarto: aliàs pertrāsisset illa successiuē; quod est contra id, quod auctores isti supponūt, & affirmāt. Imo, cū in eodē instāti, in quo primum indiuisibile mobilis est simul in quatuor indiuisibilibus spatij, secundū

indiuisibile mobilis sit etiā in tribus prioribus indiuisibilibus spatij, & tertium indiuisibile mobilis sit in duobus prioribus indiuisibilibus spatij, & secundū indiuisibile mobilis sit etiā in primo indiuisibili spatij, in quo pro tunc etiam resideret primum indiuisibile mobilis, sequeretur aliud non minus absurdū, scilicet, ipsamet indiuisibilia mobilis esse penetrata inter se: quod in sententia Zenonistarum, qui ponunt hæc indiuisibilia, quibus componitur continuum, esse impenetrabilia, naturaliter repugnat.

42. Scio, Zenonistam quēdam recentiorē, vt fugeret hæc absurda, asseruisse, in casu, quo mobile velocissimū constans, v. gr. quatuor punctis, seu indiuisibilibus, percurreret in instanti spatium constans etiam quatuor punctis, seu indiuisibilibus, prædictū motum nō esse ita cōcinnādum, vt quodlibet indiuisibile mobilis decurrat, & fiat præsens singulis indiuisibilibus spatij, ad quod accedit; nam, si prædictus motus sic cōcinnaretur, fateretur planē, sequi prædicta absurda; sed sic fore concinnādū, nimirum, quod in illo vnicō instanti primū indiuisibile mobilis ponatur præsens primo indiuisibili spatij percurrēdi, quod contiguum est vltimo indiuisibili mobilis; & hoc quasi per saltum, & absque eo, quod decurrat, & fiat præsens tribus indi-

uisibilibus spatij intermedijs; & secundum indiuisibile mobile ponatur præsens secundo indiuisibili spatij subsequenti etiam quasi per saltum, & absque eo quod decurrat, & fiat præsens tribus indiuisibilibus spatij intermedijs; & sic proportione debita de reliquis.

43 Sed sanè recentior Zenonista, incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim: siquidem cupiès vitare absurda existentie simultaneæ eiusdem indiuisibilis mobilis in pluribus locis, seu spatijs adæquatis; & similiter penetrationis plurium indiuisibilium mobilis inter se, fingit in illo instanti, in quo mobile velocissimum conflatum ex quatuor indiuisibilibus percurrit spatium etiã cõflatum ex quatuor indiuisibilibus, singula indiuisibilia mobilis (& consequenter totum ipsum mobile ex prædictis indiuisibilibus coalescens) transire ex vno extremo in aliud absque transitu per medium: quod nõ est minus absurdum, ac ea, quæ vitare contendit.

44 Respondet hic Zenonista, solum esse absurdum, quod aliqua pars mobilis per præsentiam localem transeat ex vno extremo ad aliud sine transitu per medium, quoties extremum, ad quod transit, non est approximatum prædictæ parti ratione aliarum partium, ex quibus mobile coalescit; nam, si approximatum sit præ-

dictæ parti ratione aliarum partium mobilis, potest prædicta pars absque villo inconuenienti transire per præsentiam localem ex vno extremo ad aliud sine transitu per mediũ. Quod suadere contendit instantia agentis, & passi; inter quæ (inquit hic auctor) non minor, sed potius maior approximatio requiritur, vt agens agat in passum, ac requiritur inter mobile, & spatium, vt mobile fieri possit præsens per motum localem in prædicto spatio: & tamen experimur, quoties agens est extensum, & habens partes continuas (vt est ignis) non indigere ad hoc, vt secundum omnes suas partes agat in passum, quod prædictum passum sit approximatum agenti secundum omnes illius partes: sed sat est, quod sit illi approximatum secundum aliquam. Quod non solum est verum (inquit) in sententia horum, qui actionem ab agenti indiuisibiliter egredi putant; sed etiam illorum, qui diuisibiliter manare contendunt.

45 Sed solutio ista, & aliqua malè concinnat; & adhuc his admissis, tantum abest, vt assuetum intentum, vt potius oppositum concludat. Nam in primis, quid refert ad hoc, vt vna pars mobilis possit, vel non possit per præsentiam localem transire ex vno extremo in aliud absque transitu per medium, quod extremum, ad quod trans-

fit,

fit, sit, vel non sit approximatum prædictæ parti ratione aliarum partium mobilis; repugnantia enim naturalis transeundi per præsentiam localem aliquod mobile (sive sit totale, siue partiale) ex vno extremo in aliud absque transita per medium solum oritur ex eo, quod agens naturale non potest operari in remotum, quin operetur in proximum, quoties in proximo est capacitas ad recipiendum talem effectum: cuius oppositum contingeret, si ab agenti naturali aliqua pars mobilis per motum localem poneretur præsens spatio remoto, & non spatijs intermedijs, non solum in casu, quo illud spatium remotum non esset propinquum alijs partibus mobilis; sed etiam in casu, quo propinquum esset, siquidem in vtroque casu verificaretur de mouente naturali, quod in illa parte mobilis, quæ ab ipso mouetur localiter, produceret præsentiam localem in spatio remoto, nulla producta præsentia locali in prædicta parte in spatijs proximioribus, in ordine ad quæ capax etiam est recipere præsentiam.

46 Deinde ad suadendum suum intentum ineptè adducit instantiam agentis, & passi, innitendo in hoc, quod non minor, imò potius maior approximatio requiritur inter agens, & passum ad hoc, vt agens agat in passum, quam requiritur inter mobile, & spatium ad hoc,

vt mobile fieri possit præsens per motum localem prædicto spatio. Nam ad hoc, vt mobile possit præsentari per motum localem alicui spatio, non est conditio necessaria, quod ante motum localem sit approximatum prædicto spatio; quia ego, qui modò existo Cõpluti, fieri possum præsens Romæ per motum localem; & tamen ante istum motum localem non sum approximatus Romæ: imò potius requiritur conditio opposita, scilicet, quod mobile sit distans ab spatio: si enim ego essem approximatus, seu præsens Romæ, non possem per motum localem Romæ approximari, seu præsentari. Cuius ratio à priori est, quia approximatio, seu præsentia ad spatium est terminus ad quem motus localis: ergo ineptè exigitur præsentia, seu approximatio mobilis ad spatium, vt conditio præuie requisita ad motum localem.

47 Aptius adducere poterat hic auctor prædictam instantiam agentis, & passi ad suum intentum suadendum, innitendo in hoc, quod in agente extenso, & habente partes continuas (vt est, v.g. ignis) omnes partes illius agunt in passum ipsi agenti approximatum; & tamen partes inferiores, seu concentricæ (quæ in aliquorum sententia agunt simul cum alijs, non actione indiuisibili, sed potius diuisibili) agunt in prædictum

dictum passum ab ipsis remotum, non agendo in partes excentricas eiusdem agentis, quæ mediant inter ipsas, & passum: ergo pariformiter mouens mobile conitat quatuor indiuisibilibus, quorum primum proximum ut ultimo indiuisibili mobilis, poterit per motum localem præterire primum indiuisibile mobilis in primo indiuisibili spatij ab ipso remoto, non præterendo illud inter tribus indiuisibilibus spatij intermedijs.

48 Sed adhuc instantia ista nihil præstaret; nam (præterquã quod in ea assumitur quid dubium; imò in comuniori, & veriori sententia falsum, scilicet, partes agentis agere in effectum actione diuisibili: de quo in libris de Generatione, & Corruptione) supponit quoddam falsum, scilicet, in hypothesi, quod partes ignis, v.g. agerent actione diuisibili, & ipsarum tantum propria, partes interiores, & concentricas illius solum agere in passum, quod est approximatum partibus exterioribus, & excentricis; non verò in partes exteriores, & excentricas ipsius ignis, quæ sunt intermedia; nam tam in passum, quod est approximatum partibus excentricis, quàm in ipsas partes excentricas ipsius ignis agerent; licet cum hoc discrimine, quod in passum, cum careat, tam forma caloris, quàm forma ignis,

agerent producendo de nouo in ipso, tam formam caloris, quàm formam ignis; at in partes excentricas ipsius ignis, quæ sunt intermedia, cum habeant similem formam, tam caloris, quàm ignis, ac habent partes concentricas, agerent non producendo in illis de nouo formam caloris, vel ignis; sed formas caloris, & ignis, quæ in ipsis sunt conseruando: vnde prædicta instantia potius duceret in contrarium.

49 Demum, etiam si admitteremus id, quod hic auctor præsupponit, scilicet, solum esse absurdum, quod aliqua pars mobilis per præsentiam localem transeat ex extremo ad extremum absque transitu per medium, quoties illud extremum, ad quod transit, non est approximatum parti, quæ mouetur, ratione aliarum partium, ex quibus totum mobile coalescit: non verò quoties illud extremum est approximatum prædictæ parti ratione aliarum partium mobilis: adhuc absurdum, quod supra inferebamus ex doctrina huius auctoris, militat contra ipsum; nam in casu, quo mobile constans quatuor indiuisibilibus percurreret in vno instanti spatium constans etiam quatuor indiuisibilibus eo pacto, quo fingitur ab hoc auctore, scilicet, ita ut quodlibet indiuisibile transiret ex vno extremo ad aliud, quasi per saltum, & sine transi-

tu

tu per medium, necessario fatendum esset, quod aliquod indiuisibile non solum transiret per præsentiam localem ex extremo ad extremum absque transitu per medium; sed etiã, quod hic transitus esset ad extremum non approximatum indiuisibili, quod mouetur, ratione aliarum partium, seu aliorum indiuisibilium, ex quibus totum mobile coalescit. Sequelam probo; nam in dicto casu, etiam si omnia indiuisibilia mobilis in eodem instanti temporis transirent ex extremo ad extremum sine transitu per medium, sed non seruando ordinem naturæ, quæ confingit hic auctor, scilicet, ita ut in primo instanti naturæ primum indiuisibile mobilis transeat ad primum indiuisibile spatij, quod est proximum ultimo indiuisibili mobilis; & in secundo instanti naturæ secundum indiuisibile mobilis transeat ad secundum indiuisibile spatij, & sic de reliquis: sed potius seruando ordinem naturæ omnino oppositum, scilicet, ita ut in primo instanti naturæ vltimum indiuisibile mobilis transeat ad vltimum indiuisibile spatij. (quod non est sibi approximatum, neque ratione sui, neque ratione aliorum indiuisibilium spatij) & in secundo instanti naturæ penultimum indiuisibile mobilis transeat ad penultimum indiuisibile spatij, & sic de reliquis. Assumptum est manifestum; nam ordo naturæ postulat, ut in motu,

quo aliquod mobile constans partibus mouetur, vltima pars mobilis, & quæ proximior est spatio percurrendo, præeat in prædicto motu, & aliæ retro priores ipsam suo ordine in prædicto motu subsequantur; vel tempore, si motus est successiuus, & consumens tempus; vel natura, si motus est simultaneus, & factus in instanti, ut hic auctor cum aliquibus Zenonistis confingit.

50 Possumus præterea fitione istam motus partium mobilis velocis quasi per saltum, & absque transitu per medium, alijs duabus vijs impugnare. Primum inquirendo ab hoc auctore, quãdo expertus sit partes mobilis velocis moueri quasi per saltum, & absque transitu per medium: quod si huius nullam habet experiëntiam: ergo ex suo cerebro, & contra omnium hominum opinionem ipsum confingit; & non alia ratione ductus, nisi ut vim argumenti, quo premebamus Zenonistas ponentes, mobile velox in vno temporis instanti plura indiuisibilia spatij percurrere, utcumque effugiat. Experientia enim visus, & tactus proclamant mobile extensum (sive tardè, sive velociter moueatur) omnes partes spatij percurrere, dum per illud mouetur, non solum secundum se totum, sed etiam secundum omnes, & singulas ipsius partes: neque enim alterius rationis sunt (quantum ad hoc) par-

partes mobilis, quam totum ipsum mobile, quod ex ipsis coalescit: & qui hoc non experitur, oculis, & tactu caret.

31. Secundo, quia ex ista fictione sequitur, in sententia Zenonistarum ponentium mobile velox, & tardum penes hoc discriminari, quod in eodem instanti, quo mobile velox multa indiuisibilia spatij percurrat, à mobili tardo pauca percurruntur, necessario fatendum esse, summam velocitatem in eo sitam esse, quod mobile in vno instanti temporis tot indiuisibilia spatij percurrat, quot sunt indiuisibilia, ex quibus ipsum coalescit; nam plura (etià isto recentiore consentiente) non potest pro illo vnico instanti pertransire: summam verò tarditatem in hoc, quod mobile in vno temporis instanti solum vnun percurrat indiuisibile spatij. Quæ omnia etsi libenter ab hoc Zenonista amplectantur, sed non absque maxima absurditate. Nam ex primo sequitur, non posse mobile constans solis quatuor indiuisibilibus ea velocitate moueri, qua potest moueri mobile constans octo indiuisibilibus. Quod planè absurdum est; nam maior velocitas in mobili non ex maiori quantitate mobilis pensatur (quis hoc dixit?) cum potius hæc communiter retardet motum: sed pensanda est ex maiori virtute mouētis, & ex minori resistentia mediij.

Ex secundo verò sequitur, quod, si per possibile, vel impossibile daretur aliquod indiuisibile separatū (quod absque dubio in Zenonistarū sententia moueri posset) nequiret aliqua velocitate moueri, etià si à motore summæ virtutis impelleretur; sed semper, & in omni euentu mouendum foret summa tarditate imaginabili: siquidem in istorum sententia mobile indiuisibile in vno instanti temporis solum potest vnun indiuisibile spatij sibi approximatum pertransire: in quo summam imaginabilem tarditatem ipsi constituunt. Et idem esset iudicium de corpore perfectè sphericò posito super perfectè planum; nam, in istorum sententia, hoc corpus sphericum non solum quando quiescit, sed etià quando continuo mouetur, solum attingere potest planum in puncto indiuisibili. Hæc autè quantum absurditatis continent, quisque videat. Manet ergo in sua vi ratio à posteriori, quam num. 31. ad probandum Peripateticorum sententiam adducebamus.

32. Quintò demum probari potest nostra, & Peripateticorum sententia ex quam plurimis mathematicorum principijs, quæ vel negada sunt à Zenonistis, (non sine absurditate) vel planè conuincunt. continuum non posse ex indiuisibilibus primò componi, sed potius

ius ex partibus diuisibilibus in infinitum. Nam in primis apud Mathematicos recepta est hæc definitio lineæ, *linea est, quæ clauditur inter duo puncta; quæ definitio vitiosa esset, nec conuenire posset omnibus contentis sub definito, si verum esset lineam componi ex punctis indiuisibilibus; non enim competere posset lineæ conflatae ex duobus punctis: imò neque lineæ compositæ ex tribus punctis. Et idem esset dicendum de definitione lineæ rectæ, quam sub his verbis tradunt Mathematici, *linea recta est, cuius mediū non discrepat ab extremis; quæ competere non potest lineæ compositæ ex duobus punctis; nam in hac lineæ, neque esset medium, neque extrema. Itè, in Mathematicis demonstratū est ab Euclide libro 1. propositione 10. quamlibet lineam secari posse, tam in duas partes æquales, quam in duas partes inæquales: quod falsum esset, si lineæ ex indiuisibilibus punctis constaret; nam lineæ, quæ constaret ex punctis imparibus, non posset secari in duas partes æquales; sicut neque lineæ, quæ constaret ex duobus punctis, in duas partes inæquales. Itè, Euclides 6. libro habet hanc propositionem, (quæ in ordine est decima), *qualibet lineæ potest secari in eadem proportione, in qua alia: quæ propositio in sententia Zenonistarum falsa esset; nam lineæ constans quinque***

punctis secari potest in quinque partes; in qua proportione secari non potest lineæ constans quatuor punctis, aut lineæ constans tribus, vel duobus punctis. Item, si qualibet lineæ constaret ex certis, & determinatis punctis, (vt Zenonistæ contendunt) qualibet lineæ esset commensurabilis alteri: siquidem inter puncta vnus lineæ, & alterius semper inueniretur talis proportio, qualis est inter duos numeros. Ex quo ulterius sequeretur, nullam esse lineam irrationalem, vt est in quadrato diameter respectu costæ; & consequenter ruer decimus liber elementorum Euclidis; cuius plures demonstrationes versantur in lineis irrationabilibus, id est, in lineis, quæ non possunt commensurari. Imò hinc sumit vires efficacissimas argumentum, quo probant Peripatetici, sequi ex sententia Zenonistarum, constam quadrati (quæ est lineæ lateralis) esse æqualem diametro; qui est lineæ sedens ex vno angulo quadrati ad alium angulum: quod euidenter est falsum; nam in sententia Zenonistarum, quæ sustinet, quamcumque lineam constare ex certis, & determinatis punctis, necessario fatendum est, costam quadrati, & eius diametrum esse lineas racionales, & commensurabiles; & consequenter facta commensuratione inter ipsas (vt fieret, si ab omnibus punctis

punctis, quæ sunt in vna costa quadrati ducerentur lineæ rectæ ad puncta, quæ sunt in alia costa) reperiretur, nõ esse plura puncta in diametro, quàm in qualibet costa; & consequenter diametrum non esse maiorem, quàm costam: siquidem lineæ illæ occuparent totam superficiem quadrati; & cõsequenter nullum esset punctum in diametro, quod non tangerent; & tamen nulla tangeret illum plusquam in vno puncto. Item, inter Mathematicos receptum est, à quolibet puncto circumferentiæ posse protrahi lineam rectam vsque ad punctum, qui est in centro, vel e contra; ita vt nulla ex prædictis lineis in tota illa superficie; quæ est inter centrum, & circumferentiã, neque intercideretur, neque cum alia penetraret. Quod principium Mathematicum sustinere nõ possunt Zenonistæ; (qui ponunt, quodlibet continuum ex indiuisibilibus certis, & determinatis cõstare) nam, si inter circulum circumferentiæ (qui dicitur circulus excentricus,) & ipsum centrum fieret alius circulus minor; (qui dicitur circulus concentricus) vnum ex tribus dicendum esset à Zenonistis; vel quod illæ lineæ protractæ à quolibet puncto circumferentiæ, quando transeunt per circulum concentricum, vnaquæque tangit illum in distincto puncto; & consequen-

ter, quod tot sunt certa, & determinata puncta in circulo concentrico, ac in excentrico, quod est absurdum: aliàs essent æquales isti circuli. Vel, quod non omnes lineæ protractæ à punctis circumferentiæ protrahantur vsque ad centrum, sed potius quàm plures in itinere interciderent. Vel si omnes vsque ad centrum protrahantur, quod plures in itinere ad inuicem penetrarent: quod est destruere propositum Mathematicorum principium. Item, bene arguit Scotus q. 1. super hunc 6. capiatur vna linea triũ punctorum, quæ moueatur circulariter sic, quod eius extremum circumscribat circulum: tunc quæro, quando punctus extremus pertransit vnum punctum spatij, quãrum spatij pertransit punctus medius sibi immediatus? si dicatur, quod vnũ indiuisibile, sequitur, quod circulus interior sit æqualis exteriori, quod est impossibile. Si dicatur, quod minus; ergo diuidis indiuisibile spatij: quod est etiã impossibile. Alias plures demonstrationes deductas ex principijs Mathematicis habes in Scoto, tam q. 1. super hunc librum 6. quàm in 2. d. 2. q. 9. atque apud Aristotelem libro citato de lineis infecabilibus; & in Alberto super eundem librum.

53 Est autem aduertendum in calce huius sectionis, aliquos recentiores pressos, tam

difficultatibus, quas tangunt argumenta adducta pro sententiã Zenonis sectione prima, quàm difficultatibus in hac sectione contra Zenonistas adductis, affirmasse, continuum constare quidem ex indiuisibilibus certo numero comprehensis: tamen hæc indiuisibilia habere partes; & sic facere aliquam extensionem; sed partes talis naturæ, & qualitatis, vt in eas diuidi non possint, etiam per potentiam Dei absolutam. Tamen istorũ sententia vana, & ridicula est. Primò, quia si ista minima extensio istorum indiuisibilium constat ex alia, & alia parte, ex suo cerebro fingunt, non posse à Deo sua potentia absoluta in prædictas partes secari. Secundò, quia ad Peripateticorum sententiam sufficit, quod prædicta indiuisibilia habeant partes, in quas possint per mentem secari, dummodò hoc fiat in infinitum, & sine termino. Tertio peto ab his recentioribus, an partes extensionis istorum indiuisibilium constent ex alijs partibus, & aliæ ex alteris vsque in infinitum? an deueniendum sit ad aliquas ex his partibus, quæ nullis alijs partibus constent? si respondeant primum, incidunt in Peripateticorũ sententiam. Si secundum, Zenonistatũ morsus non effugiunt: ergo vana, & ridicula est istorum positio; sed

iam argumentis pro Zenonistis adductis occurramus.

### SECTIO III.

#### Fundamentis Zenonistarum satisfit.

54 **V**T argumentis adductis in fauorem Zenonis, & aliorum Stoicorum satisfaciamus, prius explicandæ sunt quædam voces Peripateticis communes; nam ex eorum recta intelligentia facilis apparebit Aristotelica sententia, quæ ad eò difficilis, & imperceptibilis Zenonistis apparet; fortassis, quia harum vocum sanam intelligentiã non attingunt.

55 Distinguiamus ergo Peripatetici duo genera partium in continuo; nam quasdam continui partes appellamus omnibus his nominibus determinatas, æquales, aliquotas, & non communicantes. Tales sunt, quãdo vnam diuidimus in duas medietates, vel in tres tertias, vel in quatuor quartas, vel in quinque quinquenas, vel in sex sexmas, &c. Nominamus autem has partes determinatas; quia certo, & determinato numero clauduntur; æquales, quia ad inuicem comparatæ vna nõ excedit aliam in magnitudine; aliquotas, quia sunt talis naturæ quòd, si aliquoties repetantur, exhauriunt totum continuum; non communicantes,



quia vna, neque secundum se totam, neque secundum aliquid sui includitur in altera. Quando ergo Peripatetici asserimus cum Aristot. quodlibet continuum componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, nō loquimur de diuisione partium, quæ fiat in partes huius generis; nā oculis cernimus, quod, si vna, v. gr. diuidatur in duas medietates, vel in trestertias; &c. est impossibile, quod aliqua ex his partibus iterum subdividatur in partes æquales ipsi parti, quæ subdividitur, vel in partes, quæ non includantur in ipsa parte, quæ subdividitur. Potius enim asserimus, quod, si diuisio continui debeat fieri in partes huius generis, diuisibilitas eius finita est, & determinata; nam diuisibilitatem cuiuscumque continui in duas medietates per vnicam diuisionē absoluiimus, & ad actum reducimur: & diuisibilitatē in trestertias per binam diuisionem; & diuisibilitatem in quatuor quartas per diuisionem trinā: & sic proportionabiliter in reliquis.

56 Alias verò partes continui vocitamus his nominibus, *proportionales, inæquales, indeterminatas, & se communicantes*. Tales sunt, quotiescumque continuū diuidimus secundum aliquam proportionem (quæ cūque illa sit) & seruata prædicta proportione quamlibet illius partem in alias partes minores; & istas

in alias minores in infinitum subdividimus, v. gr. si continuū diuidatur proportione dupla; (qualis est, quæ fit in duas medietates) & iterum qualibet ex his medietatibus subdividatur in duas alias medietates; & rursum quælibet harum medietatum secundarum subdividatur in duas alias medietates; & sic in infinitum. Sed est maximè aduerrendū, has duas medietates, in quas in exemplo posito quælibet pars continui subdividitur, posse comparari inter se: & hoc pacto non dicuntur partes *proportionales, inæquales, &c.* sed potius *determinatæ, æquales, &c.* Et similiter possunt comparari, tam ad illam partem, cuius dicuntur medietates, & quæ respectu ipsarum induit rationem totius, quā ad alias partes medias, in quas quælibet ipsarum potest in infinitum diuidi, & respectu quarum induit rationem totius. Et in his tantum comparationibus dicuntur partes *proportionales, inæquales, indeterminatæ, & se communicantes*. Dicuntur *proportionales*, vel quia in subdivisione istarum partium seruatur eadem proportio, quæ in prima diuisione continui seruata est; vt in exemplo posito manifestè constat: vel quia in diuisione continui, quæ fit secundum istas partes, semper seruatur proportio minoris, & minoris. Et hæc videtur mihi ratio huius denomina-

tio-

tionis magis adæquata; nam ad diuisionem continui in partes diuisibiles in infinitum (quales sunt, quas proportionales appellamus) non est simpliciter necessarium, quod subdivisiones partium fiant eadē proportione, qua prima diuisio facta est; simpliciter tamen necessarium est, quod subdivisiones istæ fiant semper in partes minores, atque minores. Dicuntur *inæquales*, quia, si partes istæ comparentur ad partem, quæ diuiditur in ipsas, semper sunt minores illa; si verò comparentur ad partes, in quas quælibet ipsarum potest in infinitum diuidi, semper sunt maiores illis. Nec obstat, quod partes cuiuscumque diuisionis inter se comparatæ sint æquales; quia iam animaduerti, hoc pacto partes istas non dici *proportionales, inæquales, &c.* sed potius *determinatas, æquales, &c.* Quod consultò repeto, vtpotè notatu, & indigatione dignum: vidi enim aliquos recentiores Zenonistas in hoc æquiocari; timeoque ne idem Aristotelicis contingat. Dicuntur *indeterminatæ*, quia, cum continuum secundum istas partes sit diuisibile in infinitum, impossibile est, quod istæ partes certo, & determinato numero comprehendantur. Demum dicuntur *se communicantes*, quia sicut vna, v. gr. quando diuiditur in duas medietates, diuiditur in partes, quas in se includit, & com-

municat, ita quando quilibet ex his medietatibus subdividatur in duos palmos, diuiditur in partes, quas in se includit, & communicat; & sic in omnibus alijs subdivisionibus partium proportionalium contingit. Quando ergo Peripatetici cum philosophiæ Principe sustinemus, quodlibet continuum componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, loquimur de diuisione partium, quæ fiat in partes huius ultimi generis, scilicet, in partes *proportionales, inæquales, indeterminatas, & se communicantes*.

57 His præactis, ad primam rationem Zenonistarum respondemus, ideò numerum ex indiuisibilibus vnitatis primò componi; continuum autem nullatenus posse ex indiuisibilibus secundum extensionem primò coalescere; quia quantitas discreta, quam importat numerus, consistit in multitudine partium; & ad multitudinem partium nihil refert, quod partes sint, vel non sint extensæ; sed per se requisitū est, quod partes sint discretæ; ita vt quælibet ex ipsis faciat vnū, id est, sit quid indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio. At quantitas continua, quam importat continuum, consistit in extensione continua partium in ordine ad spatium; quæ nullatenus potest primò coalescere ex indiuisibilibus secundum extensionem; vt rationes Aristot-

telicæ sectione præcedenti adductæ manifestè demonstrant. Cum autem Aristot. i. Topic. ait, ita se habere punctum in linea, sicut vnitas in numero, solum contendit, ita punctum esse principium lineæ, sicut vnitas est principium numeri: nõ verò, quòd sicut numerus constat ex vnitatibus, tãquã ex partibus, ita linea ex punctis, vt satis perspicuum est in textu.

58 Ad secundam optimè respondet Arist. locis quæstione præcedenti adductis, ex diuisibilitate continui in infinitas partes extensionis ineptè colligi, continuum esse compositum ex partibus extensionis, quæ actu sint secundum numerum infinitæ. Sed quòd colligitur, est, continuum esse compositum ex partibus extensionis, quæ in potentia sint secundum numerum infinitæ. Cuius ratio à priori est, quia, (vt quæst. præcedenti n. 18. aduertit; atque etiam annotauit lib. 3. disput. 2. q. 3. n. 12.) cum numerus sit quantitas discreta, vt partes aliquæ faciant actu numerum, per se requisitum est, quòd actu sint ad inuicem discretæ, seu diuisæ; vel realiter, si numerus sit realis; vel per assignationem intellectus, si numerus sit rationis; nam, si actu sunt continuæ, seu coniunctæ, & discretio, vel diuisio solum illis conuenit in potentia, actu erunt aliquid vnum, & solum in potentia erunt plures, seu facientes nu-

merum. Cõstat autem, partes, ex quibus componitur continuum, non esse actu ad inuicem discretas, seu diuisas, sed solum hoc illis competere in potentia; actu verò potius esse continuas, seu cõiunctas, & faciètes vnũ per cõtinationem: vt reuera est quodlibet continuũ. Nec obstat illud principium, vnum quodque diuiditur in ea, ex quibus actualiter componitur; nam ex hoc principio solum habemus, partes, ex quibus componitur cõtinuum, esse actu, & formaliter in illo; nõ verò esse actu discretas, & facientes numerum, sicut sunt post diuisionem, sed potius habemus oppositum.

59 Dices: esto, quòd ex diuisibilitate continui in infinitas partes extensionis non rectè inferatur, (vt ratio adducta cõuincit) continuum esse compositum ex partibus extensionis, quæ actu sint secundum numerum infinitæ, sed, quòd inferatur, sit, cõtinuum esse compositum ex partibus extensionis, quæ in potentia sint infinitæ secundum numerum; adhuc te non posse capere, quo pacto possit continuũ, præcipuè paruissimæ extensionis, vt est tenuissimus capillus, aut cuspis acutissimæ acus, esse in potentia ad hoc, vt in infinitas partes extensionis diuidatur; nam diuisibilitas in infinitas partes extensionis infert necessariò id, quòd sic est di-

ui-

uisibile, habere actu infinitam, & sine termino extensionem; nam si in eo non est extensio actu infinita, & sine termino, sed potius actu finita, & clausa terminis, absque dubio prædicta extensio exhaurietur per multiplicationem diuisionis, seu separationis partis extensionis, quantumuis minime ab illa extensione: vt patet in illo, qui ex magno lacu amphoras aquæ extrahit, & separat: non enim potest in infinitum has extractions, & separationes partium aquæ multiplicare, quantumuis amphora sit parua, & lacus magnus. nam tandem lacus exhauriet; & non alia ratione, nisi quia extensio, seu quantitas illius lacus non est actu infinita, & sine termino; sed potius finita, & clausa terminis.

60 Respondetur, quòd si Aristoteles, & Peripatetici, quãdo asserimus continuum esse diuisibile in partes extensionis infinitas, prædictum asseritum intelligeremus de diuisibilitate continui in partes extensionis, quæ appellari solent *determinate, æquales, aliquot e, & non se communicantes*, tunc prædictum asseritum nõ solum esset imperceptibile, sed esset manifestè falsum; nam manifestum est, diuisibilitatem in infinitas partes extensionis huius generis necessariò requirere, vt illud, quòd sic diuisibile dicitur, habeat in se infinitam extensionem in actu;

idque manifestè conuincit nõ solum exemplum adductum illius, qui ex magno lacu amphoras aquæ extrahit; sed etiã experientia quotidiana, qua experimur, per multiplicationem diuisionis, seu separationis partium huius generis à continuis, plura continua consumi, & exhauriri. Tamen (vt in initio sectionis aduertit) prædictum asseritum non intelligimus de hac diuisibilitate, sed de diuisibilitate continui in partes extensionis, quæ appellari solent *proportionales, inæquales, indeterminata, & se communicantes*. Et in hoc sensu prædictum asseritum non solum est perceptibile, sed etiam est per rationes Aristotelicas sectione præced. adductas demonstratũ.

61 Nec video, qua probabilitatis specie ex diuisibilitate continui in infinitas partes extensionis huius generis arguatur Zenonistæ extensionem actu infinitam in ipso cõtinuo, quòd sic est diuisibile; nam ad hoc necessarium erat, vt ad multiplicationem harum partium, quæ fit per diuisionem continui, & subdivisionem partium eius, aueretur extensio in ipso cõtinuo, & in partes eius; quòd nullatenus contingit; nam quando palmus, v. g. diuiditur in duos semipalmos, duo semipalmi non habent maiorem extensionem, imò neque aliam extensionem ab ea, quam habet palmus; &

Ad 3

cum

cum iterum quodlibet ex semipalmis subdividitur in duas medietates, istæ duæ medietates non habent maiorem extensionem, imò neque aliam ab ea, quam habebat quodlibet ex semipalmis: idemque reperies in qualibet subdivisione partis minoris, & minoris usque in infinitum. Undè quantumvis medietates medietatū in infinitum multiplices, non magis extēdas continuum; sed tanta solummodò erit illius extensio, quanta fuerat in principio ante ullam diuisionem: & solum erit discrimen, quòd partes extensionis ante diuisionem erāt continuæ, & post diuisionem sunt discretæ. Undè ergo colligunt Zenonistæ extensibilitate continui in infinitas partes extensionis, si sint huius generis extensionem infinitam in actu in ipso continuo?

62. Ad tertiam rationē (quæ est, ob quam motus fuit Zeno ad negandum motum contra omnem sensum; alij verò inducti fuerunt ad negandum in continuo partes semper, & in infinitū diuisibiles. Quos omnes meritò reprehendit Arist. libro de lineis infecabilibus his verbis: *Absurdum est, quempiam pro ignavia succumbere propterea, quòd non audeat, oblatas argumentationes dissolvere; atque sic imbecillitatem suam fatendo grauioribus insuper fallacijs se decipere.* Respondetur negando sequi ex eo,

quòd cōtinuum componatur ex partibus in infinitum diuisibilibus, nullum mobile posse vllū spatium continuum, quantumvis paruum, motu successiuo, & continuo tempore finito pertransire. Et ad probationem primò respondet Arist. in hoc libro 6. tex. 19. eandem infinitatem reperiri in tempore, quo exercetur motus, ac in ipso motu; & similiter eandem infinitatem reperiri in motu, quo transitur spatium continuum, ac reperitur in eodem spatio continuo: & sic non solum esse difficile in tali, ac tanto tempore talem, ac tantum motum perfici; & tale, ac tantū spatium pertransiri. Deinde lib. 3. huius operis tex. 68 dicit, hanc præfatam solutionē sufficientem quidem esse (vt reuera est) ad argumentum factum; quod, si benè perpendatur, vim facit in hoc, quod infinitum transiretur tempore finito. At, quia posset alius instare, quomodo possit pertransiri ipsummet tēpus, si constat partibus infinitis, respondet optimè id, quod ad secundam rationem num. 56. respōsum est, scilicet, ex eo quòd tēpus (idē est iudiciū de motu, & de spatio) sit diuisibile in infinitas partes proportionales, non sequi in ipso tempore esse infinitas partes actu, id est, quæ actu sint signatæ, & determinatæ; nam, si hoc pacto essent infinitæ partes, nullatenus transiri possent:

sed

sed solum sequi esse infinitas partes in potentia, id est, non posse nos in tempore tot partes proportionales assignare, (siue hæc assignatio fiat per diuisionem realem, siue per intellectualem) quin possimus assignare alias, & alias usque in infinitum. Et sic optimè posse tempus, & quodcumque aliud continuum pertransiri; quia cum ista infinitudine in potentia benè compatitur, quòd ipsum tempus, & quodcumque aliud continuum habeant extensionem actu finitā, & clausam terminis: imò, quòd habeant extensionem paruissimam; vt habet tenuissimus capillus, & cuspis acutissimæ acus.

63. Ad quartam distinguendum est de partibus, vt in initio huius sectionis distinguebamus. Undè si sermo sit de partibus *determinatis, aliquotis, &c.* falsum est, sequi ex nostra sententia non esse plures partes in quantitate valde magna, (vt est cælum) ac in quantitate valde parua, vt est formica. Neque de his partibus verificatur id, quod assumitur in probationem sequelæ; nam nos, cum asserimus, cōtinuum esse compositum ex partibus diuisibilibus in infinitum, non loquimur de diuisione, quæ fiat in partes *aliquotas, &c.* si verò sermo sit de partibus *proportionalibus, indeterminatis, &c.* fatemur libenter, sequi ex no-

stra sententia, in potentia quantitatis valde magnæ (vt est quantitas cæli) non esse plures partes, ac sunt in potentia quantitatis valde paruæ, vt est quantitas formicæ. (vt optimè probant, quæ ab aduersarijs in probationem huius sequelæ adducuntur) Et ratio à priori est, quia tam in potentia quantitatis valde magnæ, quam in potentia quantitatis valde paruæ sunt partes *proportionales, &c.* numero infinitæ: & vnum infinitum, neque est maius, neque minus, neque a quale alteri infinito comparatum (vt ex Scoto latè docuimus libro 3. disput. 2. quæst. 2.) Ex his autem perperam inferunt aduersarij, esse à nobis fatendum, omnes quantitates esse æquales, neque cælum esse maius formica, nec totum sua parte; nam maior extensio, qua cælum exuperat formicam, & totum suam partem, non oritur ex maiori numero partium *proportionalium, &c.* quæ in potentia eius continentur; (aliàs, cum in potentia cuiuscumque continui sit infinitus numerus partium *proportionalium, &c.* sequeretur, quodlibet cōtinuum esse infinite extensum, cuius oppositum ad oculum ostendi numero 60.) sed ex maiori numero partium determinatarum, vt sunt vna, cubitus, palmus, &c. Et iam sæpè dictum est, in nostra sententia continuum non esse diuisibile in

partes infinitas huius generis, sed potius infinitas, & determinatas; plures, aut pauciores iuxta maiorem, vel minorem extensionem continui.

64 Ad quintam fatemur, sequi ex nostra sententia, non posse Deum sua potentia absoluta quamlibet continui partem, etiam minutissimam, ultimam diuidere, id est, ita diuidere, ut partes eius maneat indiuisibiles. (quod expressè docuit Scotus in 2. d. 2. quæst. 9. sub littera H.) Nec mirum, cum oppositum apertam inuoluat implicantiã; qualis esset, ut id, quod ex sua essentia habet, quod sit diuisibile in semper diuisibilia, non esset diuisibile in semper diuisibilia. Itaque benè potest Deus diuidere continuum in quilibet partes distinctas, seu ubicumque signetur; (quia hoc pacto est diuisibile) sed in omnes collectiue, & ita ut partes eius maneat indiuisibiles, ipsum diuidere non potest; quia hoc pacto continuum est indiuisibile. Neque in hoc aliquid absurditatis est; ut pulchrè annotauit Aristot. libro 1. de Generatione. tex. 9. his verbis: *Omne corpus esse diuisibile secundum quodcumque signum, & indiuisibile, non est absurdum*; idque declarat; quia potest sigillatim diuidi in quocumque signo, & est aptum ubique diuidi; sed non potest collectiue, & actualiter exple-

ri tota diuisibilitas eius, ita ut acta separentur eius partes; quia hoc pacto est indiuisibile.

65 Ad probationes, quibus nitebantur aduersarij ostendere supra dictam sequelam esse absurdam, respondetur Ad primam, falsum esse nullam partem continui dependere ab alijs: licet enim, quando diuiditur continuum in duas medietates, verbi gratia, palmos in duos semipalmos, isti duo semipalmi, si vnus ad alium comparetur, nullam dicat dependentiam; tamen, si quilibet comparetur ad partes, ex quibus coalescit, & in quas est diuisibilis, ab eis vterque semipalmus essentialiter dependet. Vndè cum quælibet pars continui ( quantumcumque minima excogitetur) essentialiter petat constare ex partibus semper diuisibilibus, hinc est, ut licet possit Deus ipsam diuidere in quaslibet partes distinctas, seu ubicumque signetur; sed non in omnes collectiue. Aliàs manerent partes continui indiuisibiles, quod repugnat rationi essentiali ipsarum.

66 Ad secundam negamus paritatem, & disparitatis optimam rationem assignauit Scotus in 3. distinct. 13. quæst. 4. §. *Ad primam questionem*. explicando illud assatum Aristot. 3. Physic. tex. 69. *Quantum contingit esse in potentia, tantum con-*

*tin-*

*tingit esse in actu*, id est, quantum producibile est, tantum potest actu produci. Hoc assatum (inquit Scotus) verum est, & intelligendum in rebus permanentibus; ut sunt, tam intensio qualitatum, quam extensio quantitatum: (siue continuarum, ut sunt linea, superficies, & corpus, siue discretarum, ut est numerus) falsum tamen est, neque intelligendum in rebus successiuis; ut sunt, tam tempus, & motus, quam diuisio continui in partes proportionales minores, & minores. Et ratio est; (subdit Scotus) quia sicut partes rerum permanentium possunt esse simul; ita & potentia ad istas partes, etiam si sit ad infinitas, potest simul ad actum reduci ab agente infinitæ virtutis; quia non solum est potentia ad fieri istarum partium, sed etiam ad factum esse. At partes rerum successiuarum, sicuti non possunt esse simul, sed vna post aliam; ita & potentia ad istas partes non potest reduci ad actum simul, sed successiue, & per partes. Vndè si ista potentia fuerit ad infinitas partes, (ut est potentia, quam dicit continuam ad diuisionem in partes proportionales minores, & minores) non poterit totaliter ad actum reduci, etiam ab agente infinitæ virtutis; quia non est potentia ad factum esse, sed ad fieri diuisionum; alias infinitum

successiue, & per partes finitas exhauriretur, quod est impossibile. En ergo rationem, (acuminis Scoti dignam) ob quam etiam si Deus possit, potentiam, quæ est in numero rerum permanentium ad hoc, ut in infinitum, & sine termino augeantur, ad actum reducere, producendo numerum rerum permanentium actu infinitum, non tamen possit ad actum reducere potentiam, quæ est in partibus continui ad hoc, ut in infinitas partes proportionales minores, & minores diuidantur; illas in infinitas partes actu diuidendo: eandem doctrinam habet Scotus in 2. distinct. 2. quæstione 9. littera H. vers. *Ad primum dicitur*.

67 Ad confirmationem admittimus libenter hoc Aristot. axioma, *Vbi impossibile est actus, impossibile est potentia ad talem actum*. Sed nescio, quomodo contra Aristotelicos aduocatur; nam, cum Aristotelici dicimus, continuum esse compositum ex partibus diuisibilibus in infinitum, hæc diuisibilitas in infinitum, quam partibus continui tribuimus, non importat potentiam ad infinitas diuisiones in facto esse: (hoc enim pacto partes continui potius habet ex ratione sua intrinseca, quod fiat indiuisibiles, ut cum Aristot. n. 64. statuimus) sed potius importat potentiam ad infinitas diuisiones

taut

tantum in fieri ( vt nuper cum Scoto dicebamus ) qui actus possibilis est ; nam facta quacumque diuisione in partibus cōtinui, adhuc potest fieri alia diuifio ; & ista facta, adhuc potest fieri alia, & alia in infinitū. Heu quātos paralogifmos patiuntur Zenoniftæ!

68. Illud autem, quod in eadem quinta ratione secundo loco inferebant aduersarij ex nostra sententia, scilicet, *non posse Deum omnes, & singulas partes proportionales, in qua diuifibile est continuum, per intellectum actualiter assignare, & determinare,* æquiuocum est : aut enim illa actualis assignatio, & determinatio appellat supra intellectum diuinum, ita vt sensus sit, Deum actu certo, & determinato sui intellectus nō posse cognoscere omnes, & singulas partes proportionales, in quas diuifibile est continuum; & sic negamus sequelam; nam etiam si in nostra sententia partes proportionales, in quas cōtinuum est diuifibile, sint infinitæ in potentia; tamen hoc non impedit, quod a Deo actu certo, & determinato sui intellectus omnes, & singulæ cognoscantur: nam certum, & indubitatum est, Deum actu certo, & determinato sui intellectus non solum finita, sed etiam infinita, tam in actu, quam in potentia comprehendere. Aut illa actualis assignatio, & determinatio appel-

lat supra ipsas partes proportionales, in quas diuifibile est continuum, ita vt sensus sit, Deum cognoscere omnes, & singulas partes proportionales in quas diuifibile est continuum, assignando, & determinando certum, & determinatum numerum ipsarum: & sic libenter admittimus sequelam: sed falsum est, hoc derogare diuinæ Dei cognitioni; licet falsum est etiam derogare diuinæ Dei cognitioni non posse percipere, seu per intellectum determinare, quæ sit prima, & quæ sit vltima pars proportionalis in continuo; nam si in re partes proportionales, in quas diuifibile est continuum, non sunt sub certo, & determinato numero comprehensæ; & similiter si in re non dantur in continuo prima, & vltima pars proportionalis, potius derogaret infinitæ cognitioni Dei cognoscere prædictas partes assignando, & determinando certum, & determinatum numerum ipsarum; & similiter assignando, & determinando in continuo primam, & vltimam partem proportionalem; nam cognosceret res aliter, ac sunt in se.

69 Ad sextam negamus, tempus ( & idem est iudicium de motu ) componi ex solis indiuisibilibus: componitur enim ex partibus diuifibilibus in infinitum; non secus, ac continua

ua permanentia. Et ad probationem fatemur, ad hoc, vt tempus sit quid reale ( vt reuera est ) esse necessarium, vt ratione partium, ex quibus coalescit, realiter existat, & fiat præsens, sed negamus, nullam partem diuifibilem temporis actualiter existere, & præsentem esse; nam dari partem diuifibilem temporis, quæ actualiter existat, & sit præsens, licet non existentia, & præsentia simultanea, & permanenti, sed successiua, & transeunte, ( quæ est propria successiuorum; quorum esse solum consistit in transitu, seu fieri ) latè, & ex professo docuimus libro 4. disput. 3. q. 1. à num. 15. vsque ad finem quæstionis; recollantur ibi dicta.

70 Ad septimam, admissio casu, responderetur in dicto casu dupliciter nos posse considerare, corpus perfectè sphericum tangere planum. Primò, dum est quiescens in plano: & tunc dicimus, quod solum in puncto tangeret planum: & hic contactus dicitur adæquatus illi puncto, secundum quem tantum supponimus, corpus sphericum tangere planum. Secundò, dum in aliquo spatio temporis motu continuo, & successiuo decurrit aliquam longitudinem illius plani, verbi gratia, longitudinem vlnæ: & tunc dicimus, quod tangeret planum ( licet non permanenter, sed

successiue ) in tota illa longitudine vnius vlnæ, quam in illo spatio temporis motu continuo, & successiuo decurrit: & hic contactus dicitur inadæquatus illi puncto secundum quem tantum supponimus corpus sphericum tangere planum. Et in hoc sanè nulla apparet difficultas; nam simile quid reperies in quocumque motu: digitus enim, verbi gratia, etsi, dum quiescit, non possit tangere spatium palmare, sed solum tangat spatium digitale, quod est spatium sibi adæquatum; tamen, dum motu continuo, & successiuo mouetur super spatium palmare, in illo tempore, quod consumitur in prædicto motu, verè de ipso affirmamus, quod tangat spatium palmare, licet non permanenter, & adæquatè, saltem successiue, & inadæquatè. In idem ipsum argumentum supponit, punctum, secundum quem corpus sphericum tangit planum tempore, quo longitudinem aliquam plani cōtinuè, & successiue decurrit, tangere totam longitudinem plani, quam decurrit, & omnia puncta eius, cum tamen in quiete non nisi vnum tantum punctum spatij tangere possit. Malè ergo Zenoniftæ ex eo quod corpus perfectè sphericum, quando est in quiete super planum, tangit illud in solo puncto; inferunt, etiam quan-

quando motu continuo, & successiuo mouetur super illud planum, debere planum tangere in puncto; nam dicimus, quamdiu illud corpus sphericum est in motu, tangere planum in tota illa parte longitudinis plani, quæ decurritur per motum; licet non permanenter, & adæquatè, sed successiuè, & inadæquatè: & sicut ipse motus, quo mouetur super illam longitudinem plani; & similiter tempus, quod consumitur in prædicto motu, constant partibus diuisibilibus in infinitum, ita & illam longitudinem plani, super quâ fit motus, & quam corpus sphericum tangit, dum mouetur, constare etiam partibus diuisibilibus in infinitum; nec posse assignari in illa longitudine plani aliquam partem proportionalem, quam primò attingat corpus sphericum, dum mouetur, quin possint assignari aliæ priores, & priores in infinitum; sicuti neque in ipso motu, quo corpus sphericum mouetur, nequè in tempore, quod consumitur in illo motu, potest assignari aliqua pars proportionalis prima, antequam non sint assignabiles aliæ priores in infinitum.

71 Ad octauam respondetur supponere doctrinam falsam, scilicet, in corporibus contiguis (vt sunt aër, & aqua) vltimas eorum superficies non esse simul, sed potius vnâ esse

extra aliam: hoc enim contradicit definitioni contiguum, quam tradidit Aristot. sub his verbis: *Contigua sunt, quorum vltima sunt simul.* Quam definitionem non solum esse exactam, sed etiam ab omnibus fore venerandam, ostendimus sectione præcedenti à num. 16. vsque ad 18. Omisita tamen ista doctrina falsa, nihil valet argumentum; nam potius dicendum est, quod, si lignum partim sit in aère, & partim in aqua, simul tangetur ab vltima superficie aeris, & ab vltima superficie aquæ: ac per consequens non in duabus superficiebus immediatis, sed solum in vnica, in illa, scilicet, quæ situatè duabus vltimis superficiebus aeris, & aquæ correspondet. Ad primam confirmationem responderetur vbiicumque in continuo signatur per punctum, signandum fore punctum; sed vbiicumque signetur per partem diuisibilem, signandam fore partem diuisibilem, & non punctam. Neque potest linea superponi corpori, vbi libuerit superponenti, sed necessario debet superponi, vbi correspondeat alia linea; hæc vel illa, ad libitum superponentis. Ad secundam in primis dicimus, non rectè durationes creationum Angelorum instantibus nostri temporis mensurari; siquidem mensura, & mensuratum debent esse homogenea,

nea, & eiusdè rationis; & manifestum est, durationes creationum Angelorum, & instantia nostri temporis non esse homogenea; nam durationes creationum Angelorum sunt æuum, & quid permanens, secus instantia temporis nostri. Sed quia respondere possunt aduersarij in hac locutione, *creat Deus in hoc instanti vnum Angelum*, se non velle mensurare per hoc instans nostri temporis durationem creationis Angeli, sed coexistentiam, quâ habet duratio creationis Angeli ad primum *nunc* temporis nostri, cui immediatè antecedit non esse Angeli: in quo sensu optima est prædicta locutio, & satis à doctoribus vsurpata; vt latè constat ex libro 4. disp. 3. quæst. 4. Ideò secundò dicimus, esse impossibile, quod Deus creet duos Angelos, ita vt creationes eorum dicantur successiuè se habere, & vnâ esse priorem alia per ordinem ad coexistentiam ad duo instantia temporis nostri, quin inter hæc duo instantia temporis nostri aliqua pars temporis mediet; nam sicuti num. 19. dicebamus, esse impossibile, quod in continuo permanenti vnû indiuisibile sit extra aliud in ordine ad spatium, quin mediet inter ipsa aliqua pars extenta, & diuisibilis in ordine ad spatium; (nam eo ipso quod fingeretur, vnum indiuisibile immediatè, & per se ipsum tã-

gere aliud, illa indiuisibilia essent simul in ordine ad spatium, neque aliquam possent facere extensionem permanentem) ita modò dicimus (& propter easdem rationes) in continuo successiuo, vt sunt tempus, & motus, esse impossibile, quod vnû indiuisibile sit extra aliud in ordine ad durationem, quin inter illa mediet aliqua pars extenta, & diuisibilis in ordine ad durationem; nam eo ipso quod fingeratur, vnum ex his indiuisibilibus immediatè, & per se tangere aliud, prædicta indiuisibilia erunt simul in ordine ad durationem, neque aliquâ conflare poterunt extensionem successiuam.

### QVÆSTIO III.

*An in continuo, præter partes diuisibiles in infinitum, sint etiam indiuisibilia, tam terminatiua, quam continuatiua ipsarum partium?*

1 HÆC quæstio solum discutitur inter Aristotelicos, qui tenent, (vt quæstione præcedenti visum est) continuum componi ex partibus diuisibilibus in infinitum. Inter hos enim in controuersia est, an in continuo, præter partes diuisibiles in infinitum, assignanda etiam sint aliqua indiuisibilia, tam continuatiua, quam terminatiua prædictarum partium, ex quibus, & ex partibus continuum coalescat? sunt

sunt autem circa hæc indiuisibilia quatuor difficultates, quas per quatuor sectiones enodabimus. Prima, *an indiuisibilia, quibus partes continui continuantur, & terminantur, sint entitates positivæ?* Secunda, *(supposito, quod sint entitates positivæ) an sint actu in continuo, tam inter se, quam à partibus distinctæ? an solum in potentia?* Tertia, *an hæc indiuisibilia non solum in quantitibus, sed etiam in substantijs, & qualitatibus reperiantur?* Quarta, *an hæc indiuisibilia sint res? an modi?*

### SECTIO PRIMA.

*Explicatur, an indiuisibilia, quibus partes continui continuantur, & terminantur, sint entitates reales, & positivæ?*

**2** **D**Vrandus in 2. distinct. 2. quæst. 4. Gregorius quæst. 2. artic. 1. Okamus in sua dialectica capite de quantitate, & in tractatu de Eucharistia capite 1. & 2. & nonnulli recentiores contendunt, in continuo, præter partes diuisibiles in infinitum, non dari indiuisibilia, neque continuatiua, neque terminatiua, quæ sint entitates reales, & positivæ; sed potiùshæc, quæ indiuisibilia appellantur, consistere in negationibus, vel diuisionis in partes, si indiuisibilia dicantur cõtinuatiua, vel vltioris extensionis, si dicantur terminatiua,

3 Fundamētum ipsorum est, quia tam ad continuandum partes quantitatis, quàm ad ipsam quantitatem terminandam impertinentia sunt hæc indiuisibilia realia, & positiva. Sunt impertinentia ad cõtinuandum partes; quia partes quantitatis, vt continuæ sint, solum indigent vnione: hæc autem indiuisibilia non sunt vniones; quia sunt quid omninò absolutum: vniones autem consistunt formaliter in aliquo respectu prædicamentali, & secundum esse; vt cum Scoto docuimus 1. lib. disput. 5. quæst. 2. Vndè potiùs videntur hæc indiuisibilia obesse cõtinuationi partium; nam positivis his inter partes oporteret quærere præter vniones, quibus partes inter se vniuntur, vniones alias, quibus partes cum his indiuisibilibus vniuntur. Sunt impertinentia ad terminandum quantitatem; nam satis congruè intelligitur, quantitatem finire, & terminari per hoc, quod non vltèrius protendatur; nam quam aliam finitatem, aut terminationem haberet quantitas ab ea, quam nunc habet, in casu, quod, facta diuisione alicuius continui quantitativum, Deus impediret, ne aliquod indiuisibile terminatiuum in partibus quantitatis resultaret?

4 Sed vera, & magis recepta sententia inter Peripateticos affirmat, in continuo, præter par-

partes diuisibiles in infinitum, dari indiuisibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua ipsarum partium, quæ sunt entitates reales positivæ, quæ in linea appellantur puncta, in superficie lineæ, in corpore superficie, in tempore instantia, & in motu mutata esse. Ita Scotus hic quæstione 3. & in 2. distinct. 2. quæstione 9. littera L. vers. *Contra istud*. D. Tho. quæstione 28. de veritate artic. 2. ad decimum, & opusculo 36. capite 2. & in hoc libro lect. 8. & de potentia quæstione 3. artic. 17. ad 5. quos sequuntur omnes discipuli. Estque manifestissima Aristot. sententia; nam plura docet de his indiuisibilibus, quæ verificari nequeunt, si hæc indiuisibilia non constituantur in aliquibus entitatibus realibus, & positivis, verbi gratia, *quod indiuisibilia habeant positionem in continuo*. Hoc docet 1. de anima capite 4. tex. 70. *Quod sint termini communes, quibus copulantur partes continui*. Hoc docet capite de quantitate, *Quod continua sunt, quorum vltima* (id est, indiuisibilia terminatiua) *sunt vnum*. Hoc docet libro 5. huius operis capite 3. tex. 26. *Quod contigua, seu se tangencia sunt, quorum vltima sunt simul*. Hoc docet eodem loco tex. 22. *Quod locus* (qui est vltima superficies corporis continentis, id est, indiuisibile terminans profundita-

tem eius) *contineat, adæquate, & conseruet locatum*. Hoc docet libro 4. huius operis capite 4. Et denique, *quod corpus perfectè sphericum positum super planum attingat illud in puncto*. Hoc docet 1. de anima capite 1. tex. 13. Imò etiam docet hanc sententiam Diuus Augustinus tomò 1. libro de quantitate animæ cap. 11. & 12. & libro 12. confessionum à capite 14. vsque ad 18.

5 Probari potest hæc nostra sententia, tum experientijs, tum rationibus. Experientia plures adducuntur à Scoto, & ab alijs auctoribus. Lux enim in corpore perfectè opaco tantum recipitur in vltima superficie; quia si vltra illam transiret, hoc ipso non esset perfectè opacum, sed aliquomodo diaphanum; quod contingere non posset, si vltima superficies, quæ est indiuisibile terminatiuum corporis, non esset aliqua entitas realis positiva, sed negatio. Item, figura (teste Aristot. 3. Metaph. cap. 5. tex. 17.) sequitur ad vltimam superficiem, in quantum terminatiuum organizationem corporis humani; & idè dicitur accidēs manifestatiuum vltimæ superficiei: quod esset impossibile, si vltima superficies, in quantum terminatiua organizationis corporis humani, esset negatio, & non aliqua entitas positiva. Item, aliqua reales mutationes (vt sunt illumi-

natio, & generatio viuentis) mensurarentur instāribus, quibus partes nostri temporis copulantur; aliās non verē dicerentur fieri in instanti, quod fieri non posset, si instātia, quibus partes nostri temporis copulantur, non essent entitates positivæ: aliās, cū mutationes istæ dicantur esse in illa duratione, qua mēsurantur, si durationes istæ instantaneæ, quibus mēsurātur prædictæ mutationes, essent negationes, & nihil, mutationes istæ reales dicerentur esse in nihilo. Et demum, si daretur corpus perfectè sphaericum, & poneretur quiescens super perfectè planum, prædictum corpus sphaericum realiter, & positivè, & consequenter secundum aliquam entitatem realem positivam planum tangeret; & tamen solum tangeret illud in puncto indivisibili; vt ab Arist. loco de anima supra citato, & à Mathematicis demonstratur ex traditis ab Euclide libro 3. propositione 18. Simile argumentum duci potest à contactu cylindri ad probandum dari indivisibiles lineas, quæ sint entitates reales positivæ.

6 Rationes verò pro indivisibilibus terminatiuis sunt: Prima, quia ex Aristot. tunc corpora dicuntur esse contigua, seu se tangentia, quando eorum extremitates simul sunt, & consequenter penetratæ: ergo in quolibet corpore datur

aliqua entitas realis, & positiva indivisibilis, & inextensa secundum profunditatem, quæ sit eius terminus, seu extremitas. Patet consequentia; quia, si hæc entitas realis, & positiva, quæ est corporis terminus, seu extremitas, esset diuisibilis, & extensa, non posset naturaliter esse simul, & consequenter penetrata cum alia entitate reali, & positiva, quæ est terminus, seu extremitas alterius corporis: & sic rueret definitio cōtiguorum, seu se tangentium ab Aristot. commendata.

7 Secūda, (& est ratio à priori) quia sicut quantitas est entitas, & positiva; ita & eius finitas, seu determinatio realis, & positiva debet esse: ergo proueniens ab aliquo termino ipsam modificante, seu determinante, qui entitas realis, & positiva sit. Sed hic terminus ipsam modificans, seu determinans non potest esse aliquid diuisibile, & extensum: (aliās indigeret alio termino, qui esset entitas realis, & positiva, à quo eius diuisibilitas, & extensio modificaretur, & terminaretur: & sic in infinitum) ergo dicendum est, esse aliquid indivisibile, & inextensum: & consequenter dari indivisibilia terminatiua quātitatis, quæ sint entitates reales positivæ.

8 Pro indivisibilibus continuatiuis prima ratio desumi potest ex ipsa definitione cōtinuorum tradita ab Arist. lib. 5.

hu-

huius operis: *Continua sunt, quorum vltima sunt vnum*; id est, quorum extremitates, seu termini sunt vnum: quæ verba nō possunt verificari de partibus continuis, si ratio extremitatis, seu termini non in aliqua entitate positiva indivisibili, & cōmuni vtrique parti continui; sed potius in negatione vltioris extensionis consisteret: si quidem talis negatio in partibus cōtinui non est vna, & deseruiens vtrique parti; sed potius cuiusque parti continui sua propria negatio vltioris extensionis adaptatur; nō secus ac adaptatur sua propria, & partialis entitas, seu extensio. Et idē argumentum deduci potest ex alia simili definitione continui, quam capite de Quantitate tradidit Arist. *Continuum est, cuius partes copulantur termino cōmuni.*

9 Secunda ratio desumi potest ex vnitāte perse, quā omnes admittunt in continuo; & sic efformari potest. Ad hoc, vt ex conuenientia plurium resultet vnum perse, necessarium omnino est, vt hæc plura vel adinuicem, vel ad aliud tertium comparata, se habeāt, vt perse actus ad perse potentiā. (Quia neque ex duobus actibus; neque ex duplici potentiā, imo neque ex per accidens actu, & per accidens potentiā resultare potest vnum perse.) Sed partes integrantes continuum adinuicē comparatæ non se habēt, vt perse actus ad perse poten-

tiam (vt ex se perspicuum est) ergo in compositione continui, præter partes ipsum integrantes, assignanda est aliqua tertia entitas realis, & positiva, distincta ab ipsis partibus; respectu cuius partes se habeant, vt perse potentiā; & ipsa respectu partium se habeat, vt perse actus: quæ etsi non intret in talem compositionem, vt pars integrās, seu componēs; intrat tamen, vt nexus prædictarum partium, potentialitatem ipsarum, quam ad vnionē habent, modaliter actuando. Hæc autem tertia entitas quid aliud esse potest, quā illud indivisibile continuatiuum, quod Arist. terminum cōmuniem appellauit? Dantur ergo in continuo, præter partes, indivisibilia continuatiua prædictarum partium, quæ sint entitates reales positivæ.

10 Ex quibus patet, quā ex suo cerebro loquantur aduersarij, dum in suo fundamento assumunt, impertinentia fore hæc indivisibilia positiva tam ad continuandum, quā ad terminandum partes quantitatis; siquidem absque ipsis nec potest saluari partium cōtinuitas, neque illa terminatio, quæ conaturalis est his partibus: imo perse necessaria ad hoc, vt vnum continuum quantitatum realiter, & positivè tēgat aliud absque vlla penetratione suarum partium. Vnde ad probationē prioris par-



ris responderetur ex eo quod ad cōtinuationē partiū quātītatis solum requiratur vnio ipsarū, ineptē satis inferri, hęc indiuisibilia esse impertinentia: licet enim hęc indiuisibilia nō sint vniones formaliter (quia vt argumētū obicit, in sentētia Scoti, vnio formaliter est relatio secundū esse, & prædicamētalis: hęc autē indiuisibilia formaliter sunt entitates absolutæ) tamē sunt vniones fundamētali-ter: nec possibile est, quod in partibus quātītatis, aliās discretis, resultēt de nouo relationes, quibus mutuò referātur, seu de nominentur vnitæ, quin prius natura in ipsis partibus vnū indiuisibile, quod sit nexus, & terminuscōmunis vtriusque parti, producat, & duo indiuisibilia terminatiua in ipsis præexistētia corrupātur: quod indiuisibile sit terminus formalis per se prædictæ actionis vnitiuæ, seu cōtinuatiuæ, & fundamētū proximū prædictarū relationū: siquidem relationes vnionis, quibus partes cōtinui formaliter denominātur vnitæ (vt latius lib. 1. disp. 5. q. 2. dixi) nō solum sunt secundū esse, & prædicamētales, sed etiā sunt intrinsecūs adueniētes; quæ eo ipso nō possunt per se produci, sed ad productionē fundamēti resultare.

11 Nec video, vnde colligere intēdit aduersarij, hęc indiuisibilia cōtinuatiua obesse cōtinuationi partiū: nā ad hoc, vt ipsamet indiuisibilia partibus cō-

tinuētur nō indigēt alio indiuisibili superaddito quo medio fiat ista cōtinuatio, sicut dictū est, partes indigere. Nā hęc indiuisibilia nō dicūtur cōtinuari partibus vt quod, sicut dicuntur partes adinuicē cōparatæ; sed vt quo, id est, sunt rationes modales, quibus partes cōtinuātur; nō secus ac loquēdo de tāgētia quæstione præcedēti sect. 2. dicebamus. Et quāuis negari nequeat, relationes vnionis, à quibus hęc indiuisibilia denominantur vnita ipsis partibus, esse distinctas à relationibus vnionis, à quibus partes cōtinui adinuicē cōparatæ vnitæ denominantur (quia sunt inter diuersa extrema) nō inde inferas, quod sicut ad resultatiā relationum vnionū, à quibus partes denominātur formaliter vnitæ, necessariū est ponere in ipsis partibus aliquod indiuisibile, quod sit fundamētū proximū prædictarū relationū: ita & ad resultatiā relationū vnionis, à quibus indiuisibilia denominātur formaliter vnita partibus: nā istæ relationes vnionis non sunt intrinsecūs adueniētes (sicut sunt illæ) sed sunt extrinsecūs adueniētes, vt in vniuersum de omnibus relationibus vnionis, quæ versantur inter ea, quæ vnūtur, vt actus, & potētia lib. 1. disp. 5. q. 2. cum Scoto statuimus: & istæ relationes vnionis extrinsecūs aduenientes non resultāt expositione alicuius fundamēti; sed potius per se fiunt; vt ex

Sco-

Scoto nō semel annotauimus. 12 Ad probationē posterioris partis negamus, quod satis cōgruē intelligatur, quātītātē finiri, & terminari per solā negationē vltioris extensionis. Tū quia, cum quātītās res positīua sit, cōnaturaliter petit finiri, & terminari nō per merā negationē vltioris extensionis, sed per aliquā entitatē positīuā, ad quā prædicta negatio cōsequatur. Tū etiā, quia, cum ex Arist. ad cōtigitatem, seu cōtactum realē, & positīuū duorū corporū necessarium sit, quod prædicta corpora secundū aliquid reale, & positīuū ipsorū simul sint; si termini, seu extrema ipsorū non cōsisterēt in aliquibus entitatibus realibus, & positīuis indiuisibilibus, sed potius in negationibus vltioris extētionis ad partes ipsas immediatē consecutis, vnū ex duobus necessariò esset fatendum; vel quod nulla corpora possent realiter, & positīuē esse cōtigua, seu se tangētia: quod est cōtra sensum: vel quod illa contiguitas, seu tāgētia foret secundū aliquas partes ipsorū corporū diuisibiles, & extēsas: & cōsequēter quod secundū illas partes essent simul, & adinuicē penetrata: quod naturaliter repugnat. Ex quibus liquidò patet, quāmlōgē diuersā finitatē, seu determinationē haberet quātītās in casu, quo facta diuisione alicuius cōtinui quantitatiui, Deus impediret, ne aliquod indiuisi-

bile terminatiuum in partibus quantitatis resultaret, ab ea, quam nunc habet.

## SECTIO II.

*Explicatur, an indiuisibilia sint actu in continuo, tam inter se, quàm à partibus distincta? an solum in potentia?*

13 **R**ecentiores illi, qui quæstione prima huius disputationis affirmabant, continuū nullas habere partes inter se actu distinctas, sed tantum potestate; eo quod possumus in cōtinuo alias, & alias partes assignare, & determinare; idem affirmant de indiuisibilibus cōtinuatiuis, scilicet, in continuo non esse indiuisibilia cōtinuatiua, quæ actu sint, tam inter se, quàm à partibus distincta, sed tantum potestate; eo quod possumus in continuo alia, & alia cōtinuatiua assignare, & determinare. Et dico notanter cōtinuatiua; nā de indiuisibilibus terminatiuis, cum sint actu assignata, & determinata in quolibet continuo dicunt esse actu, tam inter se, quàm à partibus distincta. Et hanc sententiam tuctur Fonseca 5. Metaph. cap. 13. quæst. 6. sect. 4. & lib. 7. cap. 1. quæst. 1. sect. 4. ad vltimum.

14 Suaderi potest hęc sententia primò authoritate Aristor. qui 8. huius operis cap. 8. text. 68. & 69. docet, superficies non esse actu in continuo, sed solum po-

Bb 2

testa-

refiate: quem locum explicans D. Thom. lect. 13. sic ait: *Quod autem dictum est de superficie, intelligendum etiam est de linea.* & puncto; *hæc enim in continuo non sunt actu, nisi solum quantum ad illa, quæ terminant continuum.* Et libr. 3. Metaph. cap. 5. tex. 17. aper- tē dicit, sic superficiem esse in solido, ut est in rudi lapide Mercurius: constat autem, Mercurium in lapide non esse actu, sed potestate. Et lib. de Incessu animalium cap. 2. sententiam eorū, qui orbis cælestes à virtute quadam in polis residente moueri cogitabant, inde reijcit, quod poli puncta indiuisibilia sunt, in quibus nulla potest esse substantia.

15 Secundò, quia si in quolibet continuo indiuisibilia cōtinuatiua essent actu, tam inter se, quàm à partibus distincta, sequerentur plura inconuenientia. Primò, quod in quolibet continuo (quantumuis paruissimo) essent indiuisibilia secundum numerum actu, & categorematicè infinita. Secū- dò sequeretur, quod assignato vno indiuisibili in cōtinuo, nō posse Deus cognitione sua percipere, seu determinare, quod esset indiuisibili illi assignato magis propinquum; nā, quocumque percepto, seu determinato, adhuc inter illud, & prius assignatum debet mediare pars, in qua infinita alia indiuisibilia continuatiua ma-

gis, ac magis propinqua continentur. Tertio sequeretur, non posse Deum potentia sua absoluta, simul omnia puncta alicuius lineæ, quantumuis paruæ, corrumpere, relictis illis entitatibus, quas partes appellamus: cum tamen punctū, & pars distinctæ entitates sint; & licet puncta pendeant à partibus quia sunt modi ipsarum, non tamen partes pendent à punctis, quia non sunt modi ipsorum; sed potius ad puncta cōparata se habent sicut res ad modum. Quarto sequeretur, nō esse plura puncta in linea vnus palmi, quàm in linea semipalmi; & consequenter nō essent plura puncta in tota linea, quàm in medietate eius, siquidem in linea semipalmari essent infinita puncta, non secus ac in linea palmari.

16 Tertio, quia ex positione indiuisibilium quæ actu sint in continuo, tam inter se, quàm à partibus distincta, videtur sequi idem inconueniens, quod contra Zenonistas ponentes compositionem continui ex puris indiuisibilibus, quæstion. præcedenti sect. 2. inferabamus ex illo principio mathematico, scilicet, à quolibet puncto circumferentiæ posse protrahi lineam rectam vsque ad punctū, qui est in centro, vel è contra, ita ut nulla ex prædictis lineis in tota illa superficie, quæ

quæ est inter centrū, & circumferentiam, aut intercitur, aut cum alia penetratur: nam si inter circumferentiam & punctū, qui dicitur excentricus, & ipsum centrum, ponatur alius circulus minor, & qui dicitur concentricus; vnum ex tribus necessariò foret asserendum ab assertoribus indiuisibilium continuatiuorum, vel quod illæ lineæ protractæ à quolibet puncto circumferentiæ, quædo transeunt per circulum cōcentricū, vnaquæque tangeret illū in distincto puncto; & cōsequenter quod tot puncta possent assignari in circulo cōcentrico, quod assignari possunt in circulo excentrico: quod videtur incredibile: cum possit circulus excentricus esse maximæ quantitatis; concentricus verò valde paruæ: vel quod non omnes lineæ protractæ à punctis circumferentiæ protrahantur vsque ad centrum, sed potius quàm plures in itinere intercitantur: vel si omnes vsque ad centrum protrahantur, quod plures in itinere adinuicem penetrentur; quod est destruere prædictum principiū mathematicum.

17 Quarto, quia non apparet, quo pacto verificari possit de indiuisibilibus cōtinuatiuis, quod sint in loco: nam non potest dici, quod sint in locis partium, quas continuat: aliàs, cum vnumquodque in-

diuisibile continuet duas partes, esset in locis duarum partium, & consequenter simul in duobus locis, non solum adæquatis, sed plusquàm adæquatis. Nec dici potest, quod sint in locis distinctis à locis partium: nam in continuo nullus locus assignari potest distinctus à locis, quæ correspondent partibus. Quod si indiuisibilia cōtinuatiua non sunt in aliquo loco, manifestè inferitur, nō esse actu, sed solum potentia: nā iuxta commune proloquium: *Omne, quod est, alicubi est.*

18 Quintò suaderi solet inquirendo, an inter primum indiuisibile, quale est terminatiuū continui, & omnia alia indiuisibilia mediet aliquid? an nihil? si nihil mediat (ut Conimbricenses respōdēt c. 2. huius libri q. 2. art. 3.) ergo omnia erūt inter se immediata, & sic totū continuū ex ipsis solis cōpositū apparebit: Si mediet aliquid, nēpè partes; rursus interrogāt, an quælibet ex his partibus habeat suas partes, in quas est in infinitum diuisibilis, cōtinuatas medio aliquo indiuisibili? an nullo mediate indiuisibili sint cōtinuata? Et cum primum nō videatur posse affirmari, eo quod extra omnium indiuisibilium collectionē, nullū aliud sit assignabile indiuisibile; inferūt, affirmādū fore vltimum non solum de quilibet parte seorsum, sed etiam de omnibus cōiunctim; quia

nō est maior ratio vnus quā alterius.

19 His tamen non obstantibus tenendum est, omnia indiuisibilia, tā terminatiua, quā continuatiua, etsi nō sint in cōtinuo actu, & realiter diuisa, seu discreta, nec faciant numerū, sed potius ex partibus, tāquam ex potentia, & ex indiuisibilibus, tanquam ex actu, vnū continuum resultet finitum, & determinatum: nihilominus actu esse in continuo, tam inter se, quā à partibus distincta: & solum esse discrimen, quod ad hoc, vt inter indiuisibilia, quæ dicuntur terminatiua, & indiuisibilia, quæ dicuntur continuatiua, quod terminatiua sūt actu signata, & determinata; cōtinuatiua verò non sunt actu signata, & determinata, sed potentia: potentia (inquam) syncategorematicè infinita; nam sicut in quolibet continuo facta quacumque partium diuisione, adhuc manent partes illæ in infinitam diuisibiles; ita assignatis, & determinatis in quolibet continuo quibuscūque indiuisibilibus continuatiuis, adhuc manent in quacūque parte ex his, quæ mediant inter indiuisibilia assignata alia, & alia indiuisibilia assignabilia, & determinabilia in infinitum.

20 Hæc est meo videri nō solum communis, & recepta sententia inter Peripateticos, sed etiam sententia ipsius Aristot.

nam authoritates, & rationes, quas supra adduximus ad probandum contra Durandum, & alios, indiuisibilia tam terminatiua, quā continuatiua nō consistere in negationibus, sed potius in aliquibus entitatibus politiuis, & realibus, ad quas prædictæ negationes consecuntur, si benè perpendantur, etiā conuincunt, huiusmodi indiuisibilia esse in continuo actu, tam inter se, quā à partibus distincta. Et nunc confirmari potest ex eisdem principijs, quibus q. 1 huius disputationis idem probauimus de ipsis partibus continui: nam, si indiuisibilia, & partes compares, reperies, partes esse extēsas, indiuisibilia verò carere tali extensione; item, partes in ordine ad indiuisibilia se habere, vt quid physicè contrahibile, & determinabile; indiuisibilia verò in ordine ad partes se habere, vt quid physicè contrahens, & determinans; item, in diuisione continui destruitur indiuisibile continuatiuū partium, ipsis partibus incorruptis permanentibus; & è contra, in continuatione duarum partium destruantur duo indiuisibilia terminatiua prædictarum partium, ipsis partibus non destructis. Quæ omnia signa manifesta sunt distinctionis realis, & actualis partium ab indiuisibilibus, quibus actu cōtinuantur, vel terminantur. Si verò ipsa indiuisibilia compares inter

ter

ter se, non minora signa distinctionis realis, & actualis inter ipsa inuenies: nam in diuisione continui aliquod indiuisibile corrūpitur, omnibus alijs manētibus incorruptis: & vnū indiuisibile est in diuerso situ, ac alia; siquidem semper inter vnū, & alterum indiuisibile mediat pars: & insuper possumus assignare, & determinare vnū indiuisibile, alijs inassignatis, & indeterminatis manentibus.

21 Sed antequam ad soluendum obiecta in cōtrarium accedamus, vnū prælibare oportet; nimirum, quod sicut loquendo de partibus, ex quibus coalescit continuū quæst. præcedenti sect. 3. aduertebamus, in quolibet cōtinuo nos posse duo genera partium considerare, vnū earum, quæ dicuntur *determinata, æquales, aliquota, & non communicantes*, & alterum earum, quæ dicuntur *proportionales, inæquales, indeterminata, & se comunicantes*: ita, quoties loquimur de indiuisibilibus continuatiuis prædictarum partium, nos debere duo genera indiuisibilium assignare; vnū eorum, quæ partes prioris generis continuant; & aliud eorū, quæ continuant partes posterioris: quibus duobus generibus indiuisibilium distinctionis causa applicare possumus eadem nomina, quibus partes prioris generis à partibus posterioris discernebamus appellādo in-

diuisibilia *determinata, æquales, aliquota, & non se communicantia* ea, quibus partes *determinata, æquales, aliquota & non se comunicantes* continuantur: indiuisibilia autē *proportionalia, inæqualia, indeterminata, & se comunicantia* ea, quibus continuantur partes *proportionales, inæquales, indeterminata, & se comunicantes*, sumptis prædictis nominibus à qualitate partium, quas continuant, & modaliter afficiunt.

22 Neque incōgruè putes hæc nomina partium indiuisibilium quibus cōtinuantur applicari, cū hæc indiuisibilia sint modi prædictarum partium (vt infra videbimus) & omnis modus in suo esse à re, cuius est modus, per se dependeat; ac per cōsequēs si res est determinata, necessariò, & modus erit determinatus; & si indeterminata, indeterminatus: & sicut partes in quas est diuisibilis vna pars determinata continui, non includuntur in partibus in quas est diuisibilis altera pars determinata continui; ita neque modi, quibus sunt cōtinuatæ partes vnus partis determinatæ cōtinui, sunt inclusi in modis, quibus sunt continuatæ partes alterius partis determinatæ cōtinui: & è contra sicuti omnes partes in quas est diuisibilis vna pars determinata continui includuntur in prædicta parte determinata, ita & omnes modi, quibus prædictæ partes continuantur, includuntur in modis,

Bb 4

qui-

quibus sunt continuatæ omnes partes illius partis determinatæ. Etsi obieciat vltima superficies corporis est determinata; & tamen est modus partis proportionalis indeterminatæ. Respondeatur falli, qui existimant, vltimam superficiem esse modum, seu terminam partis proportionalis indeterminatæ: nam sicut in continuo non est assignabilis, seu determinabilis prima pars proportionalis; ita neque est assignabilis, aut determinabilis primus terminus proportionalis, qui sit modus illius. Est ergo vltima superficies, quam in continuo assignamus, seu determinamus, modus, seu terminus totius profinitatis continui, quæ sicut est assignata, & determinata, ita & eius nota, seu terminus assignatus; & determinatus debet esse.

23. Ex quibus infero, quod si sicut questione præcedenti sect. 3. Loquendo de potentia, quæ est in quolibet continuo. ad hoc, ut in infinitum diuidatur; advertebamus, prædictum assertum esse intelligendum, non de diuisibilitate, quæ fiat per partes *determinatas, æquales, &c.* quia in partes huius generis nullum continuum finitum est in infinitum diuisibile; sed potius diuisibilitate, quæ fiat per partes *proportionales, inæquales, &c.* Ita quando nunc asserimus, in diuisibilia continuatiua cuiuscumque continui respectu assignationis, seu determinationis esse in potentia syn-

categorymaticè infinita, ita ut non possint tot ex his indiuisibilibus assignari, quin possint assignari alia, & alia plura in infinitum; prædictum assertum non esse intelligendum de assignatione, & determinatione indiuisibilium, quibus partes *determinatæ æquales, &c.* continuantur; (potentia enim ad assignationem, & determinationem horum indiuisibilium finita, & limitata est.) Sed de assignatione, & determinatione indiuisibilium, quibus partes *proportionales, inæquales, &c.* continuantur.

24. His præiactis ad auctoritates Arist. quæ primo loco adducebantur, suo ordine respondemus. Ad primam ex 8. huius operis (quando Arist. dicit, superficies continuatiuas medietatum continui non esse in continuo actu, sed potentia) loqui tantum quoad assignationem, & determinationem, non verò quoad existentiam, & distinctionem. licet enim in quolibet continuo actu existant superficies continuatiuæ (id est iudiciū de lineis, & punctis continuatiuis) & si militer actu distinguantur tam inter se, quam ad partes comparatæ; non tamē sunt actu signatæ, & determinatæ, sicut sunt terminatiuæ; sed potius hoc cōpetit illis in potentia. Ethoc ipsum est, quod contendit D. Thom. Ad secundam ex 3. Metaph. (quādo Philosophus dicit, sic superficiem esse in solido, sicuti est

in

in rudi lapide Mercurius) non loqui de superficie, quæ est continuatiua partium profunditatis solidi, sed de terminatiua, quæ post diuisionem solidi, tam in vna parte solidi; quam in alia resultat: hæ enim superficies ante diuisionem solidi non erant actu in ipso solido, sed tantum in potentia; non secus ac in lapide rudi; & antequam sculpatur ab artifice, solum est Mercurius in potentia. Ad tertiam ex libro de Incessu animalium, ideo Arist. protulisse, polos; eo quod indiuisibiles sunt, nullam posse habere substantiam, non quia existimauerit, actu, & realiter nihil esse; sed quia eo ipso quod sunt indiuisibiles, non poterunt habere virtutem ad mouendum orbis cælestes; quam auctores, contra quos ibi disputat, polis attribuebant.

25. Ad inconuenientia, quæ secundo loco deducebantur ex nostra sententia (quæ, si vim habent; etiam militant contra omnes Peripateticos ponentes, continuum componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, quæ in ipso continuo sunt actu, & realiter distinctæ) respondeatur suo ordine. Ad primum negamus, ex nostra sententia sequi esse in quolibet continuo numerum indiuisibilium actu, & categorymaticè infinitum. Quod enim sequitur, solum est, esse in continuo, quantumuis paruisimo, numerum indiuisibilium,

quibus partes proportionales continuantur, in potentia, & syncategorymaticè infinitum (non secus ac de ipsis partibus q. 2. n. 57. dicebamus.) Nec oppositum rectè inferitur ex eo quod hæc indiuisibilia a nobis ponantur in continuo, non solum actu existentia, sed etiam inter se actu, & realiter distincta: nam, (ut questione citata in simili de partibus dicebamus) cum numerus sit quantitas discreta, ut hæc indiuisibilia efficiant actu numerum, non sufficit, quod sint actu distincta, sed etiam est necessarium, quod sint actu discreta, seu diuisa: vel realiter, si numerus est realis, vel per assignationem, & determinationem intellectus, si numerus sit rationis. Constat autem, hæc indiuisibilia in continuo neque esse realiter discreta, seu diuisa; neque etiam esse actu per intellectum assignata, & determinata: sed solum hæc vltimum competere illis in potentia; ut ex Arist. num. præcedenti dicebamus.

26. Ad secundum libenter admittimus, assignato vno indiuisibili in continuo, non posse Deum cognitione sua percipere, seu determinare, quod esset indiuisibile illi assignato magis propinquum. Nec mirum, si (ipsis Peripateticis, qui hoc nobis obieciunt, cōsentiētib⁹) in continuo non potest Deus sua infinita cognitione assignare, & determinare, quæ sit prima pars

pars proportionalis; quia in cōtinuo non datur prima pars proportionalis, sed assignata quacumque adhuc manent aliæ, & aliæ in infinitum priores assignabiles, profecto neque etiam poterit Deus sua infinita cognitione assignare, & determinare quod sit in continuo primum indiuisibile cōtinuatiuum partium proportionalium, sed assignato quocumque adhuc manebūt alia, & alia in infinitum priora assignabilia; non secus ac dictū est de partibus, siquidem illud tantum posset dici primum indiuisibile cōtinuatiuum partium proportionalium, quod continuaret primam partem proportionalem, quæ non est assignabilis, etiam per aduersarios.

27 Ad tertium dicimus, etsi optimè possit Deus omnia puncta lineæ destruere simul destructis partibus lineæ; tamen implicationē inuoluere, quod illa destruat permanentibus entitatibus, quas partes lineæ appellamus, eo quod hæ entitates essentialiter dependent ab ipsis punctis: sunt enim quædam partiales longitudines ex alijs partialibus longitudinibus minoribus, & minoribus in infinitum, & ex punctis ipsas continuantibus coalescentes. Vnde deceptio aduersariorum in hoc consistit, quod apprehēdunt entitates illas, quas partes lineæ appellamus, vt

omnino abstrahentes, & independentes à punctis; quæ apprehensio, seu imaginatio est chimerica. Neq; obstat, quod puncta à partibus realiter distinguantur: nam quamuis tam partes, quam puncta, ex quibus coalescit vna pars determinata lineæ, distinguantur, tam a partibus, quam à punctis, ex quibus coalescit altera pars determinata lineæ, adæquatè, & tanquam omnino condistincta; & sic nullum sit inconueniens, quod duæ partes determinatæ lineæ adinuicem separentur, & quod vna destructa, alia indestructa perseveret: tamen si pars determinata lineæ cōparetur ad partes, & ad puncta, ex quibus ipsa coalescit, etsi distinguatur realiter ab illis, sed non adæquatè, & vt ab omnino distinctis, sed potius inadæquatè, & vt includens ab inclusis: & sic non mirū, quod non possit ab illis separari, aut ipsa permanere, si illa, aut aliqua ipsorum non permaneāt, sed potius corrumpantur. Et licet indiuisibile cōtinuatiuum duarum partium sit modus extrinsecus respectu partium, quas continuat; & sic optimè possint prædictæ partes manere sine illo: tamen respectu totius continui, quod ex prædictis partibus, tanquam ex terminabili, & ex prædicto indiuisibili cōtinuatiuo, tanquam ex termino coalescit, non se habet, vt modus extrinsecus; sed potius

tius vt constitutum intrinsecum, & essentialiter illius ratione continui. Et sic non mirum, quod absque illo non possit prædictum continuum persistere in ratione continui.

28 Ad quartum distinguendum est de punctis (non secus ac ad simile argumentum distinximus de partibus quæstione præcedētis sect. 3. num. 62.) Vt enim num. 21. aduertebamus, duo sunt genera punctorum, seu indiuisibilium cōtinuatiuorum. Vnum eorum, quæ continuant partes *determinatas aliquotas* &c. quæ eo ipso indiuisibilia *determinata, aliquota, &c.* appellabamus. & alterum eorum, quæ continuant partes proportionales, indeterminate, &c. quæ eo ipso indiuisibilia *proportionalia, indeterminata, &c.* nūcupabamus. Si sermo sit de punctis, seu indiuisibilibus prioris generis, falsum est, non esse plura puncta in linea vnus palmi, quam in linea semipalmi: nā sicut in potentia continui non sunt infinitæ partes *determinatæ, &c.* Sed potius finitæ, plures, vel pauciores iuxta maiorem, vel minorem extensionem continui; ita neque erunt infinita indiuisibilia cōtinuatiua istarum partium, sed potius finitæ; plura, vel pauciora iuxta maiorem, vel minorem extensionem continui. Quod ad oculum ostendi potest in linea vnus palmi in exemplum ab aduersarijs

adducta: si enim in prædicta linea quatuor partes aliquotas assignes, reperies in tota illa linea esse quinque puncta; duo terminatiua; & tria cōtinuatiua prædictarum partium: at in semipalmo illius lineæ solum reperies tria puncta, duo terminatiua, & vnum cōtinuatiuum. Si verò sit sermo de punctis, seu indiuisibilibus posterioris generis, fateor, non esse assignabilia plura puncta in linea vnus palmi, quam in linea semipalmi; & consequenter neque in tota linea, ac in medietate eius: quia vtrobiq; sunt assignabilia puncta in infinitum, & sine termino. Neque ex hoc colligas, lineam palmarem non esse maiorem, quam semipalmarem; aut totum non esse maius sua parte: quia sicut maior extensio in cōtinuo (vt loco citato dicebamus) non colligitur ex maiori numero partium proportionalium, sed ex maiori numero partium determinatarum; ita modò dicimus, maiorem extensionem in continuo non esse veniendam ex maiori numero indiuisibilium, quibus partes *indeterminate* continuantur, sed ex maiori numero indiuisibilium quibus continuantur partes *determinate*.

29 Ad inconueniens tertio loco adductum respondetur ineptè satis contendere aduersarios in nos retorquere argumentum desumptum ex illo principi:

principio mathematico, quod nos fecimus contra Zenonistas ponentes componi continuum ex puris indiuisibilibus. Nam si prædictum argumentum habet vim in Zenonistas, hoc prouenit, quia isti ponunt in quolibet circulo actu certa, & determinata puncta, & vnū immediatè post aliud: quorū vtrumque nos negamus. Ex quo prouenit, vt licet nos possumus in circulo excentrico assignare, & determinare aliqua puncta; sed neutiquam possumus (& idem dico de ipso Deo) assignare, & determinare duo puncta ita coniuncta, vt inter ipsa nō mediet aliqua pars determinata; in qua adhuc maneant assignabilia alia, & alia puncta in infinitū. Vnde si ex punctis quantumuis proximis assignatis, & determinatis (vel à Deo, vel à nobis) protrahantur duæ lineæ rectæ, pertingent absque intermissione, vsque ad punctum centri, neque penetrabuntur, quando tangunt circulum cōcentricum, quia vnaquæque attinget illum indistincto puncto; & sicut inter illa puncta circuli excentrici, ex quibus protrahuntur lineæ, mediat aliqua pars determinata, in qua adhuc assignabilia manent alia, & alia puncta in infinitum; ita inter duo puncta circuli concentrici, quæ attinguntur à prædictis lineis, mediat aliqua pars determinata,

in qua adhuc assignabilia manent alia, & alia puncta in infinitum, non obstante, quòd ista pars determinata excedat in extensione à parte, quæ mediat in circulo excentrico, in tāta proportione, in quāta circulus concentricus exceditur à circulo excentrico. Neque inconueniens putamus, quòd in circulo concentrico possint assignari tot puncta, & consequenter tot partes determinatæ mediantes inter ipsa, ac in circulo excentrico: nam optimè stat, quòd in vno continuo paruo assignentur tot partes, ac in continuo magnæ extensionis, dummodò partes continui magnæ extensionis excedant in extensione partes continui parui in ea proportione, qua continuum magnū excedit paruum. Hoc enim frequentissima experientia demonstrat.

30 Ad id, quod quarto loco proponebant, fatemur ingenue, indiuisibilia continuatiua, neque esse in locis partium, quas continuant, neque in locis distinctis à locis partium. Nontamen inde sequitur nulli esse; & consequenter non habere actualem existentiam: nam licet non sint in aliquo loco, sunt tamen in indiuisibilibus loci: sicut enim partes continui, quod est in loco, continuantur quibusdam indiuisibilibus continuatiuis, ita partes loci, in quo dicitur esse.

con-

continuatur quibusdam indiuisibilibus continuatiuis; & sicut partibus continui, quod est in loco, correspondent partes loci, ita indiuisibilibus continuatiuis locati correspondent indiuisibilia cōtinuatiua loci.

31 Ad illam interrogationē, quam quinto loco faciebant aduersarij inquirendo, an inter primum indiuisibile, quale est terminatiuum cōtinui, & omnia alia indiuisibilia eiusdem cōtinui mediet aliquid? an nihil? respondetur aut ipsos velle in hac interrogatione quòd ly *omne* supponat distributiue; aut quòd supponat collectiue. Si volūt, quòd supponat distributiue, optimè fit prædicta interrogatio; sed facilè respondemus, inter primū indiuisibile vnus continui, & omnia alia indiuisibilia eiusdem cōtinui distributiue sumpta mediare aliquid; partē, scilicet, siquidē nullū potest assignari indiuisibile ex omnibus, quæ sunt in cōtinuo, inter quod, & primū non mediet aliqua pars, in qua adhuc maneant assignabilia alia, & alia indiuisibilia priora, & proxiora primo indiuisibili cōtinui. Si autē velint (vt reuera cōtendunt) quòd supponat collectiue, ineptè satis fit prædicta interrogatio: nam implicationē inuoluit, quòd omnia indiuisibilia, quæ sunt in quocumque continuo simul, & collectiue assignentur, & determinentur; nō secus ac supra diximus im-

plicare, quòd cōtinuū in omnes partes, in quas est diuisibilis, diuidatur. Si cut enim potētia, quæ est in partibus continui ad infinitas diuisiones, non est potentia ad infinitas diuisiones in facto esse (sic enim partes continui potius ex intrinseca natura petunt esse indiuisibiles) sed ad infinitas diuisiones in fieri: ita potentia, quæ est in indiuisibilibus continui ad infinitas assignationes, & determinationes ipsorum, non est potentia in facto esse (sic enim potius hæc indiuisibilia, sunt inassignabilia, & indeterminabilia) sed in fieri, & ita ut non possint in continuo assignari, & determinari tot indiuisibilia, quin in partibus continui, quæ mediant inter indiuisibilia assignata, adhuc maneant plura, & plura alia indiuisibilia in infinitum assignabilia, & determinabilia.

### SECTIO III.

*An hæc indiuisibilia non solum in quantitibus, sed etiam in substantijs, & qualitibus reperiantur?*

32 **V**Num ex præcipuis argumentis, quo Peripatetici negātes in cōtinuo quantitatiua indiuisibilia tam cōtinuatiua, quàm terminatiua, conantur suam sententiam roborare, est, quia cum hæc indiuisibilia non minùs sint accidentia, quàm

quàm ipse partes quantitatis, quas continuant, seu terminant, assignandum necessario est aliquod subiectum, in quo inhæreant: quia naturaliter non potest dari aliquod accidens sine subiecto: sed nullum subiectum (inquiunt isti) est assignabile, cui hæc indiuisibilia realiter inhæreant: ergo profus fatendum est, in continuo quantitatis non dari talia indiuisibilia.

33 Aliqui auctores, qui nobiscum tuentur, dari in continuo quantitatis indiuisibilia (cum negent in substantijs, & qualitatis prædicta indiuisibilia, propter rationes infra ponendas) ad propositum argumentum respondent, indiuisibilia quantitatis immediatè inhære in partibus quantitatis, quas terminant, vel continuant; & mediatè in partibus substantiæ, quibus prædictæ partes quantitatis inhærent. Ita Soncinas 5. Metaph. q. 20. ad primū, Hurtado disp. 15. Physica sect. 2. & 3. Conimbricenses hic cap. 2. quæst. 1. art. 3. ad sextum, & alij.

34 Sed auctores hi tela aduersarijs subministrant, & ansam præbent, ut garruli in nos iusulent: nam per se euidens apparet, non posse indiuisibile (nullas habens partes; & quod adhuc virtualiter nequit extendi ad instar rei spiritualis) in esse quieto, & permanenti inhære subiecto quanto, & diuisibi-

li; sicuti neque in esse quieto, & permanenti loco extēto, & diuisibili præsentari. Aut enim deberet formaliter distribui, & extendi per partes simul cum suo subiecto, & sic commensurari partibus eius: aut deberet existere totum in toto subiecto, & totum in qualibet illius parte: quorum vtrumque prædicto indiuisibili, saltem naturaliter, repugnat. Et in indiuisibili continuatio adhuc magis vrget difficultas; nam, cum sit terminus communis vtrique parti, deberet in vtraque simul inhære, & subiectari: quod quàm absurdum sit, quis consideret.

35 Nec fugies difficultatem, si cum Hurtado respondeat, prædicta indiuisibilia inhære, quidē in partibus, sed nō in partibus determinatis, sed in indeterminatis minoribus, & minoribus in infinitum: nam, cum partes istæ indeterminatæ minores, & minores in infinitū quantæ, & diuisibiles sint, manet in sua vi difficultas, quomodo, inquam, possit indiuisibile: quod nullas habet partes, nec virtualiter potest extēdi ad instar rei spiritualis, in esse quieto, & permanenti in subiecto quāto, & diuisibili (siue determinatum, siue indeterminatum sit) actu, & realiter inhære.

36 Imo addo responsionem istam Petri Hurtado, nō solum non fugere difficultatem, sed etiam

etiam (si sermo sit de indiuisibilibus determinatis) assumere rem creditu difficillimam. Licet enim de indiuisibilibus indeterminatis (ut sunt, quibus partes indeterminatæ continui copulantur) verum sit dicere, neque ipsa in se esse determinata, neque etiam esse determinata per partes, quas copulant, seu continuant; & consequenter ab Hurtado de his indiuisibilibus affirmari posset, partes, quibus inhærent, nō esse determinatas. Tamen loquendo de indiuisibilibus determinatis (ut sunt, quibus partes determinatæ continui copulantur) sicut verè de ipsis enunciamus, esse determinatas, & similiter esse determinatas partes, quas copulant, seu continuant; ita in sententia Hurtado, necessario fatendum esse, huiusmodi indiuisibilia habere subiecta, quibus inhæreant, determinata, nempe ipsas partes determinatas, quas copulant, seu continuant. Res sanè mirabilis, & quam nullus capere posset, dari in rerum natura accidentia determinata, quæ actu & realiter res determinatas efficierent; & tamen horum accidentium non dari subiecta determinata, quibus inhæreant.

37 Dicendum igitur nobis est, in substantijs materialibus, sicut & datur seclusa omni quantitate partes integrantes entitativæ, & substantiales (ex dictis in Logica cap. de Quantitate

disp. 1. q. 2.) ita & dari indiuisibilia substantialia, tam continuatiua, quàm terminatiua quibus hæc partes continuantur, & terminantur: atque hæc indiuisibilia substantialia esse subiecta, in quibus inhærent indiuisibilia quantitatis; non secus ac partes entitativæ sunt subiecta, in quibus inhærent partes quantitatis. Ita Scotus super hunc lib. 6. Physic. q. 3. Suarez disp. 40. Metaph. sect. 5. à n. 50. & est sententia recepta inter recentiores, qui defendunt, in substantijs materialibus, seclusa omni quantitate, dari partes integrantes entitativas, & substantiales. Imo addit Scotus, nō solum in substantijs compositis ex materia, & forma dari hæc indiuisibilia substantialia, quibus partes integrantes ipsarum continuantur, & terminantur; sed etiam dari in materia prima, & similiter in formis materialibus sua propria, & partialia indiuisibilia, quibus partes integrantes ipsarum copulantur, & terminantur; & sicut ex vna parte materiæ primæ, & ex alia parte formæ materialis resultat, tanquam ex potentia, & actu essentialibus, vna pars integralis compositi substantialis; ita ex vno indiuisibili materiæ primæ, & alio indiuisibili formæ materialis resultat, tanquam ex potentia, & actu essentialibus, vnum indiuisibile ex his, quibus partes integrales compositi substantialis conti-

uantur, vel terminantur. Neque compositio ista essentialis tollit ab eo rationem indiuisibilis; quia optimè compatitur, quòd aliquid sit diuisibile in partes essentielles, & indiuisibile in partes integrales.

38 Et præter argumentum, num. 32. factum (quod meo videre manifestè probat, aut non esse admittenda in quantitibus continuis hæc indiuisibilia, quod Peripatetici, cõtra quos nunc disputamus, non admittent; aut necessariò esse constituendã in substantijs materialibus; quia aliàs daretur accidens sine subiecti inhæssionis) probari potest, fore admittendã hæc indiuisibilia substantialia. (Loquor in veriori sententia; quæ admittit, in substantijs materialibus dari partes integrales entitatiuas, & substantiales seclusa omni quantitate, etsi non extensas in ordine ad locum; quia hæc extensio solum potest illis competere beneficio quantitatis; extensas tamen in ordine ad se: quæ extensio in hoc consistit, vt vna non sit idem realiter cum alia, sed potiùs adinuicem comparatæ realiter distinguantur.) Tum, quia ad hoc vt ex pluribus realiter distinctis resultet vnum per se (vt omnes fatentur esse totum integrale substantiale, quod ex his partibus resultat) necessarium omnino est, quòd hæc plura vel adinuicem, vel ad aliud tertium

comparata se habeant, vt per se actus ad per se potentiã. Sed partes istæ integrales adinuicem comparatæ non se habent, vt per se actus ad per se potentiam: ergo in compositione totius integralis, seu continui, quod ex his partibus resultat, assignanda sunt aliqua indiuisibilia substantialia, respectu quorum partes istæ integrales se habeant vt per se potentia, & ipsa respectu partium; vt per se actus; quæ etsi non intrent in talem compositionem, vt partes integrantes, seu componentes, intrant tamen vt nexus, & termini cõmunes prædictarum partium potentialitatem ipsarum; quam habent ad vniõnem, actuando, & determinando. Tum etiam, quia etsi omne compositum integrale, quod ex his partibus substantialibus coalescit, sit continuum, & consequenter diuisibile in partes integrales in infinitum diuisibiles, tamen est actu finitum & limitatum: ergo assignanda est in eo aliqua entitas substantialis, quæ sit eius terminus, seu finis. Sed hæc entitas non potest esse aliqua pars integralis ipsius; quia, cum omnis pars sit diuisibilis in infinitum, nulla poterit assignari ita vltima, quin possint assignari aliæ, & aliæ in infinitum magis vltimæ: ergo dicendum est, esse aliquid indiuisibile: & consequenter in continuo, seu toto integrali substantia-

tiali dari indiuisibilia substantialia non solum continuatiua, sed etiam terminatiua. Solum est aduertendum, quòd sicut partes integrales substantiæ ex se, & seclusa quantitate non dicuntur longæ, neque latæ, neque profundæ; quia istæ extensiones sunt locales; & omnis localis extensio solum competit partibus substantiæ beneficio quantitatis: ita indiuisibilia substantialia non dicuntur ex se, & seclusis indiuisibilibus quantitatis puncta lineæ, vel superficies; quia hæc indiuisibilia sunt solum, quibus continuantur, & terminantur partes extensionis localis, qualem non habent partes substantiæ ex se, sed beneficio quantitatis.

39 Idem, quod dictum est de substantijs materialibus, dicendum est etiam de qualitibus materialibus, scilicet, dari indiuisibilia qualitatis tam continuatiua, quàm terminatiua, quibus partes entitiuæ ipsarum (ratione quarum sunt capaces, vt per subiectum quantitatiuè extensum diffundantur) continentur, & terminentur: nam duæ rationes numero præcedenti factæ ad probandum, in substantijs materialibus ponenda esse hæc indiuisibilia, probant, æquè, ponenda etiam esse in qualitibus materialibus: hæc enim etiam habent, seclusa quanti-

tate, partes entitatiuè extensas, ex quarum continuatione vnum totum integrale in genere qualitatis finitum, & determinatum coalescit. Et nunc confirmari potest, quia qualitates istæ; ita sunt diffusæ per subiectum quantum, vt toti omnino magnitudini eius correspondant: sunt ergo inhærentes non solum in partibus magnitudinis subiecti, sed etiam in indiuisibilibus, quibus partes magnitudinis continuantur, & terminantur. Cõstat autem, non posse in his indiuisibilibus inhærere, nisi ipsis adæquantur: ergo erunt insectibilia in puncto magnitudinis sine latitudine in linea, & sine profunditate in superficie. Prædicta ergo indiuisibilia, non solum in quantitate; nec solum in substantijs materialibus; sed etiam in materialibus qualitibus; imo & in quocumque alio accidenti materiali, & extenso videntur cõcedenda.

40 Sed quia in qualitibus materialibus, non solum inueniuntur partes extensionis, sed etiam gradus intensiõnis (loquor in probabiliori sententia, & quam in libris de Ortu, & Interitu, Deo dante, discutimus, quæ sustinet, in intensiõne qualitatum fieri per additionem gradus ad gradum) dubitari potest, an in intensiõne qualitatum dentur etiam



indiuifibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua, quibus gradus isti continuentur, & terminentur?

41 Lorca 2. 2. sect. 3. disput. 14. num. 20. & Vazquez 1. 2. disp. 82. cap. 6. num. 27. expresse negant, in augmento intensiuo qualitatum dari aliqua indiuifibilia qualitatis, quibus gradus intensiōnis adinuicem coniungantur. Martinez verò in illustratione primi, & secūdi capitis huius libri *Discutiendo primo*, etsi non dubitet, dari indiuifibilia tam in quātitatibus, quàm in substantijs, & etiam in omnibus accidentibus materialibus, quibus medijs partes extensionis omnium istorum continuantur, & terminantur, maximè tamen dubitat dari in intensiōne qualitatum, quæ fit per additionem gradus ad gradum, aliqua indiuifibilia, quibus gradus isti continuentur, aut terminentur. Et validis verbis, sed inualidis rationibus nixus ostentare intendit, eos, qui in positione horum indiuifibilium insudarunt, & oleū, & operam perdidisse.

42 Fundamentum Martinez est, quia ex paritate quantitatis nullum deduci potest argumentum ad conuincendū, dari hæc indiuifibilia intensiōnis; sed potius deduci potest argumentum ad suadendum oppositum. Si enim in quantitate cogimur ad ponendū

indiuifibilia continuatiua, hoc est, (inquit Martinez) quia partes quantitatis nullibi cohærent, & sic quæuis existit extra quamlibet: vnde vt in vnum coalescerent, necessariū fuit, quibusdam nexibus ligari. At partes, seu gradus intensiōnis intimè cohærent in eodem subiecto, nec sunt dispersæ, neque existunt extra se: nexus ergo non erunt in istis, sicut sūt in illis necessarij. Cur enim, vt partes intensiōnis in vnum totum coalescant, non erit cohæsiō satis? Hæc Martinez.

43 Sed quàm inermis sit his Martinez discursus, facilè colliges ex hoc, quòd si viam haberet, probaret utique contra ipsum Martinez, neque in substantijs, si darentur à quantitate separata (vt potentia absoluta Dei fieri potest) esset necessariū indiuifibilia substantialia constituere, vt partes eius conuiderentur, & in vnum coalescerent continuum: siquidem partes substantiæ separata à quantitate, neque essent localiter diuersæ, seu dispersæ, neque vna esset localiter extra aliam, sicuti sunt partes quantitatis: nexus ergo non erunt in illis, sicuti in istis necessarij.

44 Quòd si respondeas pro Martinez, & si partes substantiæ materialis seclusa quantitate non manean localiter dispersæ, neque vna sit localiter

ex-

extra aliam, sicut sunt partes quantitatis; manent tamen entitatiuè dispersæ, & vna entitatiuè extra aliam; siquidem seclusa quantitate entitas vnus non est realiter entitas alterius: ac per consequens, cum vna alteri comparata, non se habeat sicut actus, & potentia, manerent entitatiuè discretæ, si per indiuifibilia substantialia, tanquam per nexus, nō vincerentur. Si hoc (inquam) respōdeas, responsum & amplector, & laudo; sed idem ego dico de gradibus intensiōnis, scilicet, quòd licet non sint aut loco, aut subiecto dispersi, sunt tamè entitatiuè dispersi, & vnus entitatiuè est extra alium: (siquidem entitas vnus gradus, non est realiter entitas alterius) ac per consequens, cum hi gradus non se habeant adinuicem comparati, vt actus, & potètia, manerent entitatiuè discreti, nisi per indiuifibilia intensiōnis, tanquam per nexus, vincerentur.

45 Nec refert, quòd hi gradus intensiōnis non solum negatiuè, sed etiam positiuè sint in eodem numero loco, & in eodem numero subiecto. Tum quia potest Deus aliquam qualitatem cum eadem intensiōne graduum, quam nunc habet, sua potentia absoluta, ab omni subiecto, & ab omni quantitate separatam conseruare; & tunc

gradus intensiōnis, non essent in eodem loco, & in eodem numero subiecto positiuè, sed tantum negatiuè. Tum etiam, & præcipuè, quia existentia, quam nunc habent hi gradus, in eodem numero loco, & in eodem numero subiecto, non est sufficiens cohæsiō ad hoc, vt ex pluribus gradibus intensiōnis vnum per se continuum coalescat, nisi simul adsint aliqua indiuifibilia intensiōnis, quibus potentia, quæ est in his gradibus ad continuationem, seu vnionem actuetur, & terminetur.

46 Quòd probari potest instantijs manifestis. De facto, quando duo corpora sunt contigua, seu se tangentia, indiuifibilia terminatiua ipsorum ex mente Arist. sunt simul in eodem situ; & tamen hæc cohæsiō ipsorum in eodem situ non sufficit vt ex prædictis indiuifibilibus vnum per continuationem coalescat. Et de potentia absoluta, possunt duæ quantitates in eodem loco penetrari; imo in veriori sententia (quæ affirmat, accidentia intrinsecè, non indiuiduari per subiectum, sed per suam intrinsecam entitatem; quam etiam tucur Martinez) possunt potentia Dei absoluta esse simul in eodè subiecto: & tamen in dicto casu nemo affirmare posset ex prædictis duabus quantitatibus vnum totum per continuationem

nem resultare. Perperam ergo affirmat Martinez, ad hoc, vt ex partibus intensiōnis vnum totum per continuationem coalescat, cohæsiōnem ipsarum in eodem loco. & in eodem subiecto esse satis, cum nec satis sit talis, seu similis cohæsiō duarum quantitatum ad hoc, vt ex ipsis vnum totum per continuationem coalescat.

47 Cuius doctrinæ ratio à priori est, quia ad hoc, vt ex partibus integralibus ( siue sint quantitatis, siue substantiæ, siue extensionis, siue intensiōnis ) & ex illa tertia entitate, quam nexum ipsarum appellamus, resultet vnum per se ( quale omnes reputant quodcumque continuum ) necessarium simpliciter est, vt illa tertia entitas ( quam nexum partium appellamus ) sit eiusdem prædicamenticum ipsis partibus, quæ medio ipso continuantur : nam si alterius sit prædicamenti, ex ipsa, & partibus non vnum per se, sed per accidens resultabit; iuxta commune proloquium: *Ex rebus diuersorum prædicamentorum non fit vnum per se.* Constat autem, neque locum, neque subiectum esse eiusdem prædicamenti cū gradibus intensiōnis cuiuscunque qualitatis: ergo in gradibus intensiōnis præter unitatem loci, & subiecti assignandum est aliquod indiuisibile intensiōnis spectans reductiue

ad idem prædicamentum, ad quod ipsi intensiōnis gradus spectant; ex quo, tanquam ex per se actu, seu termino, & ex ipsis gradibus, tanquam ex per se potentia, vnum per se continuum in genere intensiōnis resultet, seu coalescat.

48 Dicendum igitur nobis est, ita certum esse dari indiuisibilia intensiōnis, quibus gradus, seu partes intensiōnis continuantur, & terminantur; ac certum est dari indiuisibilia substantiæ, quibus partes entitatiuæ substantiæ continuantur, & terminantur: nā rationes, quas n. 38. adduximus ad probandum dari prædicta indiuisibilia substantiæ ( si debita proportione applicentur ) idē conuincunt de indiuisibilibus intensiōnis: nā sicut ex partibus entitatiuis substantiæ resultat vnū per se continuū in genere substantiæ, quod etsi diuisibile sit in semper diuisibilia, actu tamē est quid finitū, & determinatū; ita ex gradibus, seu partibus intensiōnis resultat vnū per se continuū in genere intensiōnis, quod etsi diuisibile sit in semper diuisibilia, est tamen actu quid finitū, & determinatū. Nec necessarium est, prædictas rationes repetere, seu applicare.

49 Ex dictis resolui potest alia difficultas, quæ hic exagitari solet, vtrum, scilicet, in motibus continuis, & successiuis, vt sunt lationes, augmentationes, & alterationes, seu inten-

sioniū qualitatum, si materialiter sumantur, & in quantum sunt quædam productiones continuæ, & successiue suorum terminorum, assignanda sint propria aliqua indiuisibilia, quibus partes eorum continuantur, & terminantur? Et dico notanter, si materialiter sumantur. nam si motus isti sumantur formaliter, scilicet, pro fluxibus, seu durationibus, quæ in his productionibus consumuntur, & à quibus formaliter fluēt, seu successiue durantes denominantur, cum motus, vt sic, à temporibus intrinsicis istarum productionum realiter non distinguantur; ita certū debet esse, dari in motibus vt sic sumptis, indiuisibilia, quibus partes eius continuantur, & terminantur, ac certum est, dari in temporibus intrinsicis harum productionum.

50 Et dicendum est, dari in prædictis motibus materialiter sumptis sua propria indiuisibilia, quibus eorum partes continuantur, & terminantur, nimirum, quasdam productiunculas instantaneas, per quas indiuisibilia suorum terminorum, tam continuatiua, quam terminatiua producuntur, quæ ab Aristotel. mutata esse dicuntur; eo quod pro quolibet instanti temporis assignata aliqua ex his productiunculis, verum est dicere, mobile esse mutatum à præcedente parte motus. Et

ratio est, quia etiam si motus materialiter sumptus, & eius terminus realiter distinguantur, sed non vt, duæ res, sed potius vt eadem res sub diuerso modo reali essendi: ( vt ex lib. 3. disp. 1. quæst. 3. latè constat ) ergo necessario fatendum est, motum materialiter sumptum, & eius terminum ita proportionari, vt si terminus ex partibus, quæ successiue fieri debeant, & indiuisibilibus constet, etiam & motus. Et confirmatur, nam sicut magnitudo est accidens, per quod partes substantiæ materiales extenduntur permanentes in ordine ad locum; ita duratio intrinseca cuiuscunque motus est accidens, per quod partes motus materialiter sumpti extenduntur successiue, & in ordine ad tempus extrinsecum primi mobilis: ( vt ex professio docuimus lib. 4. disp. 3. q. 3. n. 13. ) ergo sicut in substantiis materialibus supra inferebamus præter partes substantiales, quæ sunt subiecta inhæsiōnis partium magnitudinis, assignanda esse indiuisibilia substantialia, quæ sint subiecta inhæsiōnis indiuisibiliū magnitudinis, ( aliàs daretur accidens sine subiecto inhæsiōnis ) ita modo inferre possumus, in motibus materialiter sumptis præter partes motus, quæ sunt subiecta inhæsiōnis partium durationum intrinsecarum ip-

forum, assignanda esse indiuisibilia motus, quæ sint subiecta inhæssionis indiuisibilium durationis intrinsecæ ipsorum: aliàs daretur accidēs sine subiecto inhæssionis.

51. Sed restat solvere aliqua argumenta, quæ fieri solent ad probandum, non dari in cōtinuis huiusmodi indiuisibilia substantiæ, vel qualitatis. Primum argumentum sic efformatur. Si darentur prædicta indiuisibilia substantialia, quibus partes materiæ primæ cōtinuarentur, & terminarentur, sequeretur, per diuisionē materiæ primæ in duas partes deperdi indiuisibile materiæ, quod antea partes illas continuabat, & acquiri de nouo duo indiuisibilia materiæ primæ partes illas terminantia: quod sustineri nequit. Tū quia non apparet, quæ sit causa per se destruens indiuisibile continuatum, & de nouo producens illa duo terminatiua. Tū etiā, quia, cum indiuisibilia materiæ, non habeant subiectum, à quo in suo esse dependeant, sicut neque habet materia prima, fierent per creationem, & desinerēt esse per annihilationem, non secus ac ipsa materia prima.

52. Respondetur admittendo sequelam, scilicet, per diuisionem materiæ in duas partes destrui indiuisibile continuatum illarum; & de nouo acquiri duo terminatiua.

Quod etsi difficulter sustineri possit ab his, qui existimant, indiuisibilia esse res; faciliè tamen ab his, qui probabilius sustinent, tātum esse modos ipsarum partium: ( de quo sect. sequenti ) nam respondemus, quòd, cum hæc indiuisibilia sint modi partium, non est necessarium assignare aliquā veram actionem, quæ per se vel ad ipsorum esse, vel ad ipsorum non esse terminetur: quippè indiuisibilia (& idem inuenies in quacumque entitate modalis) per se neque fiunt, neque corrumpuntur per verā actionem; sed resultant in partibus, quarum sunt modi, per emanationem ab ipsis: quæ emanatio consequenter est corruptio indiuisibilis præexistentis oppositi, seu incompossibilis cū ipsis, quæ de nouo emanant. Et dico notanter *per se*; nam non dubito, quòd ad nouam resultantiam alicuius indiuisibilis, & corruptionem præexistentis aliqua vera actio requiratur, sed non, quæ per se terminetur ad esse, vel non esse horum indiuisibilium: v. g. ad hoc vt in partibus materiæ, aliàs cōtinuæ, resultent duo indiuisibilia terminatiua, & continuatum corrumpatur, necessariū est, quòd per veram actionem partes istæ separantur: tamen hæc actio separatiua (cū motus localis sit) per se terminatur, non ad esse duorum indiuisibilium terminantium, quæ

de

de nouo resultant, neque ad corruptionē indiuisibilis continuatiui præexistentis, sed ad nouas præsentias locales, quæ sunt in illis partibus adinuicē separatis: per se enim illa indiuisibilia terminatiua, quæ de nouo resultant, à partibus materiæ in illa locali separatione resultant; ad quam emanationem per se etiam sequitur indiuisibilis cōtinuatiui præexistentis corruptio.

53. Quod declarari potest exemplo relationum, non solum intrinsecus aduenientium, sed etiam aliquarum aduenientiū extrinsecus; vt sunt *seruus, habitus, & quando*; quæ etiam entitates reales sint, & consequenter nō possint de nouo aduenire, seu corrumpi absque interuentu alicuius veræ actionis; sed non alicuius veræ actionis, quæ per se ad ipsarum esse, vel non esse terminetur, sed quæ per se terminetur ad aliquid aliud, quo posito, vel ablato prædictæ relationes à suis subiectis, vel fundamentis per se emanent, vel nō emanent. Simili ergo modo fiunt, vel corrumpuntur hæc indiuisibilia, non obstante, quòd sint quid absolutum, eo quòd entitates modales sūt: nam cum quælibet entitas modalis absoluta non minus pendeat in suo esse à re, cuius est modus, ac pendent relationes à fundamentis, & terminis, quid mirum, quòd in fieri, & corrumpi assimilentur

relationibus. Nec obstat, quòd materia prima a nobis ponatur principium actiuum horum indiuisibilium; quia solum est inconueniens ponere materiam primam principium actiuum alicuius veræ, & propriæ actionis; non verò emanationis, quæ non est verè, & propriè actio: sic enim omnes admittunt, materiam primam esse principium actiuum tam propriarum passionum, quàm relationum intrinsecus aduenientium; quæ in ipsa fundantur; vt sunt identitatis, & diuersitatis.

54. Ad inconueniens responderetur falsum esse, quòd in ipso assumitur, scilicet, hæc indiuisibilia materiæ non habere subiectum à quo in suo esse dependeant; & consequenter non posse fieri, nisi per creationem, aut corrumpi, nisi per annihilationem: neque quòd hoc rectè æquiparantur materiæ primæ. Nam, cum sint modi partium materiæ primæ, necessarium est, quòd ab ipsis partibus dependeant in suo esse, fieri, & conseruari, non solum tanquam à principio, à quo emanant; (vt dictum est dependere) sed etiam tanquam à subiecto; etsi non inhæssionis, neque informationis; ( quia neque in ipsis inherent; neque ipsas informant ) saltem adhæssionis, seu terminationis, cum sint modi ipsi ad-

Cc 4

hæ-

hærentes, & ipsas terminantes; non secus ac de subsistentia (in sententia, quæ ponit esse modum posituum entis substantialis completi) omnes philosophantur.

55 Secundum argumentum est. In virga partim viridi, & partim arida sunt duæ formæ substantiales distinctæ in specie; quæ eoispsō non poterunt esse continuæ, sed contiguae: (vt vniuersaliter de omnibus differentibus specie docuit Aristot. 5. huius operis tex. 89.) & cum ex alia parte partes materiæ primæ, quas hæ formæ substantiales informant, videantur esse continuæ (aliàs non vna, sed plures virgæ dicerentur) inferitur planè (si ponantur indiuisibilia in formis, atque in materia prima) quòd duo indiuisibilia terminatiua istarum formarum simul informant, & actuent illud indiuisibile continuatiuum partium materiæ, quod vtrique correspondet: quia nō est maior ratio, quare ab indiuisibili terminatiuo huius formæ, quàm à terminatiuo alterius actuetur, cum vtrumque sit simul; & sic indiuisibile continuatiuum partium materiæ æqualiter, vtrique indiuisibili terminatiuo formarum correspondeat. Ponere autem, duo indiuisibilia substantiaalia formarum, simul informare idem numero indiuisibile materiæ, æquè implicatorium

est, ac ponere, duas formas substantiales, simul informare eandem numero materiam. Ne ergo ad has redigamur angustias; consultius erit denegare, dari indiuisibilia tam in formis, quàm in materia prima.

56 Hoc argumentum nullam difficultatem involvit in sententia Scoti, quæ sustinet, in quocumque viuentē (siue sit rationale, siue sensituum, siue vegetatiuum, vt est virga viridis) dari duas formas substantiales per se subordinatas in ratione actus, & potentiæ; nimirum formam corporeitatis, quæ immediatè actuat materiam primam, & simul cum illa constituit corpus substantiale; & animam, quæ immediatè non actuat materiam primam, sed corpus illud substantiale, quod ex materia prima, & forma corporeitatis resultat, & simul cum illo constituit viuens in esse talis. Vnde facile respondetur formam corporeitatis, quæ est in parte virgæ viridis immediatè informans materiam non esse distinctam in specie à forma substantiali, quæ est in parte virgæ arida immediatè informans materiam. Ac per consequens in ista Scoti sententia argumentum nullam habere vim: negamus enim suppositum, scilicet, illas duas formas substantiales informantem virgam partim

viridem, & partim aridam differre in specie; & consequenter non posse esse continuas; sicut videntur esse partes materiæ, quas immediatè informant. Quòd autem anima vegetatiua, quæ est in parte viridi virgæ, sit distincta in specie a forma corporeitatis, quæ est tam in parte viridi, quàm in parte arida virgæ; nihil ad rem: nam anima ista vegetatiua, non est forma immediatè actuans, seu informans ipsam materiam primam, sed corpus substantiale, quod ex materia prima, & forma corporeitatis coalescit: & argumentum solum vrget in casu, quo formæ immediatè informantes partes materiæ sint distinctæ in specie; & consequenter discontinuæ; & alias partes materiæ, quas immediatè informant, sint continuæ.

57 Quid autem respondendum sit ad præfatum argumentum in sententia aliorum, quæ sustinet in viuentibus vnam tantum esse formam substantialem, nempe animam, quæ immediatè informat materiam, & illi tribuit non solum esse formale viuents, sed etiam esse formale substantiæ corporeæ (quippè in istorum sententia negari nequit, quòd forma substantialis, quæ immediatè informat partem materiæ virgæ viridis, sit specie distincta à forma substantiali, quæ imme-

diatè informat partem aridam materiæ virgæ; cum prior sit anima vegetatiua & posterior sit forma, quam ipsi cadaueris appellant) ipsi videbunt: nam, quod respondet Suarez 2. tom. Metaph. disp. 40. sect. 5. numer. 63. (nimirum, in indiuisibili cōtinuatiuo partium materiæ illius virgæ tantum esse indiuisibile terminatiuum vnius formæ; alteram verò formam pro tunc carere indiuisibili intrinseco cōtinuatiuo) videtur voluntariè dictum, & solum vt fugiat difficultatem argumenti: nam non assignatur ratio, cur vna forma careat indiuisibili intrinseco terminatiuo potius, quàm alia. Hoc enim prouenire, non potest ex parte agentium; cum vtrumque agens formam producat, quæ connaturaliter petit indiuisibili intrinseco terminari. Et sic, quòd ista forma priuetur suo proprio indiuisibili, & non alia, ex alio capite debet prouenire, quàm ex virtute agentium: quod caput non assignatur à Suarez; neque assignari potest, nisi recurrendo ad diuinum beneplacitum: quod sine causa fieret, & ad fugiendum difficultatem.

58 Quòd autem alij respondent, (scilicet, non posse contingere, quòd partes materiæ primæ sint continuæ, quoties formæ substantiales, quibus

immediatè informantur, sunt specie differentes, & consequenter discontinuæ (et si verum iudicem (loquendo de modo connaturali essendi, & de potentia ordinaria) & satis conuincat inconueniēs, quod ex opposita sententia sequeretur (quod tangitur in argumēto) informationis eiusdem indiuisibilis materiæ à duobus indiuisibilibus prædictarū formarum. Tamen ex hac doctrina non debet inferri, materiam partis aridæ virgæ, & materiam partis viridis esse discontinuas: nam hoc aduersatur communi omnium æstimationi, & modo loquendi de illa virga: omnes enim prædictam virgam, vt vnum continuum tam in esse substantiali corporeo, quam in esse quantitativo, quod ad eius esse substantiale corporeum cōsequitur, & apprehendimus, & iudicamus: nec duas numero virgas, sed vnicam vocamus. Quod autem debet inferri, est id, quod ex mente Scoti supra dicebamus, scilicet, in parte viridī virgæ, præter animam vegetiuam, dari formam corporeitatis, quæ immediatè informet illā partem materiæ, & simul cū illa constituat illam partem virgæ in esse substantiali corporis, ad quod consequatur esse quantitativum, non distinctam in specie à forma substantiali, qua immediatè informatur materia partis aridæ, & quæ

simul cum illa constituit illam partem aridam in esse substantiali corporis, ad quod consequitur esse quantitativum. Et sic non mirum, quod tota illa virga sit vnum continuum tā in esse substantiali corporeo, quā in esse quantitativo, quod ad esse substantiale corporeum consequitur.

59 Dixi autem notanter loquendo de modo connaturali, & de potentia ordinaria: quia non dubito, quod supernaturaliter, & de potētia absoluta possit cōtingere, quod partes materiæ sint cōtinuæ, & formæ substantiales, quibus immediatè informantur, sint diuersæ in specie, & discontinuæ: quia sicut partes materiæ primæ in suis intrinsecis, & incompletis entitatibus non pendent essentialiter à formis substantialibus, quibus informantur; ita neque dependent essentialiter in sua propria & intrinseca cōtuatione à continuatione formarū, sed à suis proprijs, & intrinsecis indiuisibilibus. Hoc autē præstaret Deus, si sua potentia absoluta priuaret vnā ex prædictis formis indiuisibili intrinseco terminatiuo ipsi cōnaturaliter debito. Tunc enim nō sequeretur implicatio informationis eiusdem indiuisibilis materiæ a duobus indiuisibilibus formæ, quæ tāgitur in argumēto. Neque obstat, quod aliqui obijciūt, scilicet, quod sequeretur in casu, quo partes materiæ

riæ

riæ essent continuæ, & quælibet immediatè informaretur à diuersa in specie forma substantiali, composita inde resultantia esse simul distincta in specie, & eadem vnitate numerica: quod implicat; siquidem ex Arist. 5. Metaph. cap. 6. *Illæ sunt vnum numero, quorum materia est vna.* Respondetur enim negando sequelam: nec locus Arist. est ad rem: ibi enim nomine materiæ non intelligit materiam primam, sed principium indiuiduationis; vt cum Scotolatè diximus libr. 1. disput. 6. quæst. 1. sect. 2. agendo de principio indiuiduationis.

60 Tertium argumentum est, quia, si in qualitatibus darentur indiuisibilia, sequeretur, duas qualitates contrarias in summa secundum aliquid reale, & positiuum ipsarum simul coniungi in eodem indiuisibili subiecto: quod naturaliter repugnat. Sequela patet: nam, si lignum, v. g. sit ex vna parte media calidum vt sex, & ex alia frigidum, vt sex, qualitates istæ contrariæ se tangent, & consequenter earum indiuisibilia terminatiua erūt simul in indiuisibili continuatione partium ligni, quod vtriusque indiuisibili terminatiuo harū qualitatū æqualiter responderet, vt subiectū ipsorū.

61 Respondetur negādo sequelā. Et ad probationē respondet Suarez loco citato n. 65. quod

in dicto casu vna ex illis qualitatibus esset priuata proprio, & intrinseco indiuisibili terminatiuo: & sic in indiuisibili continuatione partium ligni nō essent simul inherentiæ duarum contrariarum qualitatium, sed vni tantum. Sed (vt supra n. 57. dixi in simili de indiuisibilibus duarum formarum substantialium informantium duas partes materiæ cōtinuas, hoc videtur voluntariè dictum, & ad fugiendum difficultatem: nec assignari potest ratio, cur vna ex illis qualitatibus priuetur suo proprio, & cōnaturali indiuisibili terminatiuo potius quā alia: nec huius ratio provenire potest ex parte agentium; vt tibi ostensum est. Melius ergo respondetur negādo, posse naturaliter dari prædictum casum: nam sicut naturaliter repugnat, quod duæ qualitates cōtrariæ in summo gradu penetrēt; ita naturaliter repugnat, quod duæ qualitates contrariæ in summo gradu sint contiguæ, & se tangentes: nam sicut ex ipsarum penetratione sequeretur, duas qualitates cōtrarias in summo gradu esse simul in eodem subiecto, etiam ex ipsarum contiguitate sequeretur, duo indiuisibilia secundum extensionem, habentia tamen intensiōem gradualem contrariā in summo gradu esse simul in eodem indiuisibili subiecto, quod nō minus repugnat, quā primū.

Et

Et dico notanter *posse naturaliter*: nam sicut supernaturaliter possunt duæ qualitates contrariæ in sumo gradu esse penetratæ in eodem subiecto, ita & supernaturaliter poterunt esse contiguæ, & se tangentes; & consequenter earum indiuisibilia terminatiua esse simul in eodem indiuisibili subiecti.

### SECTIO IIII.

*Explicatur, an indiuisibilia sint res; an modi?*

62 **N**E in æquiuoco labore-  
mus, primò supponen-  
dum est, in quo sensu *modus*  
accipiatur: nam (vt dixi in Lo-  
gica cap. de *Qualitate* disput.  
vñica q. 1. n. 18.) *modus* mul-  
tipliciter vsurpari solet. Primò  
latè, scilicet, pro quocumque  
accidenti: de quocumque enim  
accidenti dicitur, quòd mo-  
dificet substantiam. Secundò  
restringi solet ad quædam ac-  
cidentia, quæ licet reuera sint  
entia completa per se spectan-  
tia ad aliquod prædicamentū,  
(ideoque potius rationem rei  
quàm modi induunt) sunt ta-  
men minimæ, & imperfectæ  
entitatis, in quo sensu figuræ, &  
relatione, præsertim illæ, quæ  
dicuntur extrinsecus adueni-  
tes, & constituunt sex vltima  
prædicamenta, soleant appella-  
ri modi. Tertio proprie, & stri-  
ctè, scilicet, pro quibusdā en-  
titatibus (siue substantialibus,

siue accidentalibus) non so-  
lùm imperfectis, sed etiam in-  
completis, quæ eo ipsò non  
constituunt per se aliquod ge-  
nus, vel speciem, nec sunt veræ  
partes alicuius entis, sed puræ  
modificationes entium ad eo-  
rum prædicamentum, vel spe-  
ciem, non per se, sed reductiue  
spectantes; vt sunt, v. g. finitas,  
existentiam, subsistentiam, inten-  
sio, &c. Dum ergo in præsentī  
inquirimus, an indiuisibilia,  
quibus partes continui (quod-  
cumque illud sit) copulantur,  
& terminantur, sint res, an modi  
partium, quas copulant, seu  
terminant? modus sumitur in  
tertia ex his acceptionibus;  
quæ est propria, & stricta huius  
nominis vsurpatio.

63. Secundò supponendū est,  
in præsentī sermonem esse de  
indiuisibilibus formaliter, &  
vt indiuisibilia sunt, considera-  
tis. Quòd notanter aduerto; nā,  
si linea, v. g. non consideretur  
in ordine ad partes latitudinis,  
quas copulat, vel terminat,  
(qua ratione induit rationem  
in diuisibilis quantitatis) sed  
potius vt quædam longitudo  
est habens partes extensionis  
copulatas, & terminatas pun-  
ctis, non potest dubitari, quòd  
vt sic, non modus, sed res est  
appellanda: cum, vt sic, sit en-  
titas completa per se consti-  
tuens, quandam speciem quā-  
titatis continuæ, essentialiter  
tam à superficie, quàm à cor-  
pore distinctam; vt ex profes-  
so

so in Logica cap. de *Quantita-  
re* disp. 2. q. 1. statuimus. Idem  
dico de superficie, si non in or-  
dine ad partes profunditatis,  
(qua ratione induit rationem  
indiuisibilis) sed potius, vt quæ  
dam latitudo est habens par-  
tes extensionis copulatas, &  
terminatas lineis.

64. Suarez 2. tom. *Metaph.*  
sect. 5. num. 46. etsi probabi-  
le iudicet, hæc indiuisibilia  
esse modos, tamen, vt proba-  
bilis sustinet esse res. Vnde  
consequenter asserit, posse in-  
diuisibilia à Deo conserua-  
ri à partibus, quas continuant,  
vel terminant separata: neque  
partibus vniri immediatè, sed  
interuentu alterius indiuisibi-  
lis. quòd modum vnionis ap-  
pellat ex natura rei distinctum  
à puncto, cæterisque indiuisi-  
bilibus, quæ sunt res: & hoc in-  
diuisibile affirmat subiectari  
in puncto, cæterisque indiuisi-  
bilibus, quæ sunt res; & termi-  
nari ad partes, vt ad extrema  
vnionis. Quam sententiam  
etiam amplectuntur Martinez  
in illustratione primi, & se-  
cundi capituli huius libri *Disser-  
tando* i. Murcia disp. 1. quest.  
4. & Caberius disp. 1. dñb. 5.  
num. 3. quamuis hic vltimus  
dub. sequenti num. 5. de indi-  
uisibilibus continui successi-  
ui loquens. videtur opposi-  
tum, vt certum supponere.

65. Probari solet hæc sen-  
tentia. Primò ex Aristoteli.

qui cap. vltimo huius libri  
ex professo disputat, an indi-  
uisibile separatum possit mo-  
ueri: ergo supponit posse sepa-  
rari à partibus continui (aliàs  
frustrà disputaret de motu  
eius in statu separationis) &  
consequenter etiam supponit,  
indiuisibile comparatum ad  
partes continui nō esse modū,  
sed rem: nam, si esset modus  
illarum, non posset, adhuc per  
absolutam Dei potentiam) ab  
illis separari. Secundò, quia,  
si indiuisibilia essent modi  
partium, necessario ipsas in-  
formarent; & consequenter  
non essent extra partes, sed po-  
tius in eodem loco cum illis  
penetratæ: quòd quàm falsum  
sit, constat ex dictis num. 34.  
Tertio, quia modus rei nō po-  
test existere, non existente re,  
cuius est modus. Sed in con-  
tinuis successiuis (vt sunt tē-  
pus, & motus) indiuisibilia,  
tam continuatiua, quàm ter-  
minatiua, existunt semper,  
quando non existunt partes,  
quas continuant, vel termi-  
nant: ergo saltem de his indi-  
uisibilibus affirmari nequit,  
quòd sint modi. Minor pro-  
batur; nam, pro illo instan-  
ti temporis extrinseci, pro  
quo verificatur, tam indiuisi-  
bile temporis intrinseci, quàm  
indiuisibile motus, quòd dicitur  
mutatū esse, existere, nō po-  
test verificari, quòd tam par-  
tes temporis intrinseci, quàm par-

partes motus materialiter sumpti existant: nam partes priores utriusque extiterunt tempore immediatè antecedenti ad illud instans; & partes posteriores existunt tempore ad illud instans immediatè subsequenti.

66 Sed nobis dicendum est, omnia indiuisibilia, tam terminatiua, quàm continuatiua, tam in continuis permanentibus, quàm in successiuis, esse modos partium, quas terminant, vel continuant; & consequenter non posse indiuisibilia (adhuc potentià absoluta) separata à partibus cōseruari, seu existere: neque esse necessarium ad hoc, ut indiuisibilia coniungantur partibus, quas continuant, aliquè modum absolutum indiuisibilem ipsis superadditum; quia non coniunguntur, ut quod, sed potius, ut quo; id est, quia non sunt extrema, quæ coniunguntur (quippe hoc solum partibus cōpetit) sed modi, quibus partes, quæ sunt extrema, coniunguntur. Ita videtur omnes antiquos, non tam disputasse, quam ut certum supposuissent; & ex recentioribus id ex professo discutientibus tenent hanc sententiam maior illorum pars; inter quos etiam potest numerari Hurtado disp. 15. physica sect. 3. non obstante, quòd indiuisibilia cōtinuatiua appellat modos vnionis: nam hæc indiui-

sibilia optimè possunt vniones partium continui appellari, si vnio, nō formaliter, & pro relationibus vnionis, à quibus partes formaliter denominantur vnita, accipiantur, sed materialiter, & pro fundamento proximo istarum relationum, ut num. 10. aduertebamus.

67 Ducor ad hoc asserendū. Primò (& est ratio à priori) quia omnes conditiones ad rationem modi propriè, & strictè sumpti, quas numero 62. enumerauimus, conueniunt his indiuisibilibus: siquidem non solum sunt entitates imperfectæ, sed etiā sunt entitates incompletæ: quæ eo ipso neque aliquod genus, neque speciem per se constituunt, neque sunt partes continui, sed purè modificationes partium ad prædicamentum, & speciem illius continui, cuius partes copulant, seu terminant, non per se, sed reductiue spectantes: ergo non in serie rerum, sed modorum debent collocari.

68 Secundò, quia sola necessitas vnionis fundamentalis inter partes continui cogit nos ponere in continuo indiuisibilia continuatiua: & sola necessitas finitatis, seu terminationis partium continui cogit nos ponere in cōtinuo indiuisibilia terminatiua. Sed tam vnio fundamentalis inter partes continui, quàm fini-

nitatis, seu terminatio partium illius sunt modi ipsarum partium: ergo vel impertinenter ponuntur in continuo hæc indiuisibilia; vel debent esse modi partium illius. Et confirmatur, quia ponentes, indiuisibilia esse res, coguntur quærere alia indiuisibilia, quibus indiuisibilia, quæ res appellant, coniungantur ipsis partibus, & sint fundamentum relationis vnionis, à qua prædicta indiuisibilia formaliter vnita partibus denominantur: & ne detur processus in infinitum, affirmant, hæc vltima indiuisibilia non esse res, sed modos: cur ergo hoc ipsum non affirmauimus de prioribus indiuisibilibus, quibus partes continuantur, & terminantur? & sic effugiemus tam inordinatam congeriem indiuisibilium nulla necessitate cogente.

69 Quibus accedit, inquisitionem illam de modo, quò indiuisibile continuatiuum tangit partes (qua Zenoniæ, ut q. 2. num. 20. vidimus, conabantur, argumentum contra ipsos factum in Aristotelicos retorquere) etsi sit inepta ponendo indiuisibilia esse modos, de ipso non verificatur, quòd tangat partes, sed esse id, quò medio partes se tangunt, ut latius sibi num. 25. explicuimus) esse tamen aptissimā ponendo, indiuisibilia esse res; nā tunc de ipsis optimè verifica-

bitur, quòd tangant partes: & semel admissio, quòd indiuisibilia tangunt partes, per prædictam inquisitionem concludunt Zenoniæ (meo videre, & aliorum calculo) quòd intendunt. Itē contraponentes indiuisibilia non esse modos, sed res, pugnat optimè argumentum, quòd n. 51. proposuimus ad probandū non dari indiuisibilia materiæ primæ, ut in solutione illius animaduerti. Recolantur, quæ in utroque loco diximus.

70 Neque ea, quæ pro opposita sententia adducta sunt, multum vrgent. Ad primum dicimus, ex eo quòd Arist. disputet, *an indiuisibile separatim possit moueri?* nō rectè inferri, ipsum supponere posse indiuisibile à partibus separari: nam nos idem quæstione sequenti discutiemus, & tamen ut certū sustinemus, indiuisibile non posse, adhuc potentia Dei absoluta, à partibus separari: & Theologi disputant, an si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo? & tamen ut certum fide supponunt, non posse Spiritum Sanctum à Filio non procedere. Sunt enim huiusmodi quæstiones hypotheticæ, seu conditionales, & ex suppositione, quòd per possibile, vel impossibile hoc, aut illud contingeret: quæ quæstiones, etiam si conditionalis sit impossibilis, non sunt frustraneæ, sed valde vtilis ad essentialiam, & rationem intrinsecam

cam aliquarum rerum inuestigandam.

71 Ad secundum respondetur ineptè inferri ex eo, quod indiuisibilia sunt modi partiū, necessario debere ipsas partes, quas modificant, informare; & consequenter non posse esse extra illas, sed potius in eodē loco cum illis penetrata: nam non omnes modi modificant res, quarum sunt modi, ipsas informando. sunt enim aliqui modi, qui modificāt res, quarū sint modi, ipsas terminando: vt cōmuniter tenent Auctores de modo *subsistentia*. Et idem contingit in his indiuisibilibus; quæ eo ipso debent esse extra partes, quas modificant, & non in eodem loco cum ipsis penetrata, sed potius illis adhaerentia, licet non in diuerso loco, (quia cum sint indiuisibilia, non occupant locum) saltem in indiuisibilibus loci partium tam continuatiuis, quam terminatiuis, quæ ipsis correspondent.

72 Ad tertium (quod si vim habet, militat etiam cōtra aduersarios: siquidem præter indiuisibilia, quæ ipsi vocant res, ponunt alia indiuisibilia, modalia, quibus medijs indiuisibilia, quæ appellant res, partibus connectantur: quæ indiuisibilia modalia eo ipso sunt, & non res, pendere debent ex extremis, quæ modificant, seu coniungunt; & tamen in cōtinuis successiuis extrema,

quæ coniungunt, seu modificant, non existunt simul & in eadem duratione; vt per se notum est) facile respondetur etiam si ad existentiam modi requiratur existentia rei, quam modificat; sed aliter in successiuis, ac in permanentibus: nam in permanentibus (eo ipso quod talia sunt) ad existentiam modi requiritur existentia rei, quæ permanentiter sit cum existentia ipsius modi; & consequenter simul in eadem duratione. At in successiuis (eo ipso quod talia sunt) ad existentiam modi requiritur existentia rei, nō quæ permanentiter sit cum existentia modi, & consequenter, simul in eadem duratione; sed existentia rei, quæ immediatè ante existentiam modi fuerit, vel immediatè post existentiam modi subsequatur. Vnde pulchrè dixit Philosophus, idem *nunc*, seu instans tēporis, & esse terminum partis tēporis præteriti, & esse initium partis tēporis futuri; & per hoc continuare, seu modificare partes temporis: & qui hoc discrimē inter modos rerum permanentium, & successiuarum non admittit, profectò naturā permanentium, & successiuorum non penetrat.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum si daretur indiuisibile à partibus separatum, possit moueri?*

I **P**rocedit hæc quæstio conditionalitè, & ex sup-

suppositione, quod per possibile, vel impossibile daretur indiuisibile (quod simpliciter est tale, punctum, v.g.) à partibus cōtinui separatum. Et potest exagitari, tã de motu augmentationis, quàm de motu alterationis; & etiã de motu locali. Et quidem (de motu augmentationis loquendo) cōueniūt omnes, indiuisibile separatum non posse augmentari; aut minui; quia vtrumque ipsi repugnat ab intrinseco. Si vero sermo sit de motu alterationis, etiã nulla est controuersia: fatentur enim omnes posse indiuisibile, si daretur separatum, moueri motu alterationis; nã capax esset recipiendi indiuisibilia qualitatum cōtrariarū; quæ etsi secundum extensionē essent indiuisibilia, esset tamē diuisibilia secundum gradus intensiōis; & consequenter vnū expelleretur ab alio, non subito, sed successiuè, & in tēpore à subiecto indiuisibili, cui inhaereret. Tota ergo controuersia reducitur ad motum localem, an, scilicet, si daretur indiuisibile separatum, posset moueri localiter per spatium extensum, & diuisibile.

2 Prima sententia sustinet, hoc esse impossibile. Ita Aucroes 4. huius operis commento 32. & in hoc libro commento 86. Agidius ad textum 87. Albertus Magnus tract. 2. cap. 1. D. Th. lect. 22. & plures alij, quos referūt, & sequuntur Co-

nimbricenses cap. 10. q. 1. art. 2. & Rabijs in eodem capite q. vnica. Et probāt 1. ex Arist. qui cap. 10. (vt vidimus in litera) non solum docet indiuisibile separatum, & per se, moueri non posse motu cōtinuo, & successiuo, sed etiam tribus rationibus id probauit.

3 Secundò probant rationibus ipsius Aristot. Prima est. Si indiuisibile separatum, & per se moueretur localiter, inquirō, an quando actualiter mouetur, totum sit in termino à quo? an totum sit in termino ad quem? an partim in termino à quo, & partim in termino ad quem? si detur primum, nōdum mouetur: si secundum, iam non mouetur, sed motum est: si tertium, iam non esset indiuisibile, sed habens partes, vnā in termino à quo, & aliam in termino ad quem: ergo nullo modo potest localiter moueri.

4 Secunda ratio est. Id, quod localiter mouetur, prius pertransit spatium minus ipso, vel æquale sibi, quam maius: ergo si indiuisibile localiter moueretur, prius pertransiret spatium minus ipso indiuisibili, vel æquale, quàm maius. Sed non potest pertransire spatium minus ipso: (quia non datur spatium minus ipso indiuisibili) ergo prius pertransiret spatium æquale sibi: ergo totum spatium, per quod moueretur, cōponeretur ex spatijs æqualibus



indiuifibili. Sed impossibile est, dari spatium continuum compositum ex indiuifibilibus: ergo etiam erit impossibile, quod indiuifibile separatum, & per se moueatur motu continuo, & successiuo.

5 Tertia ratio est. Si indiuifibile separatum localiter moueretur, in tempore moueretur) nam omnis motus est in tempore) sed quocumque tempore assignato potest assignari minus: (tempus enim est diuifibile in infinitum) ergo assignato tempore, quo moueretur indiuifibile, posset assignari tempus minus illo: ergo in isto minori tempore posset moueri mobile minus illo indiuifibile, quod motum est in maiori tempore. Sed impossibile est, dari mobile minus indiuifibile: ergo indiuifibile separatum, & per se nequit localiter moueri.

6 Histamen non obstantibus renendum est cum Scoto, tam h<sup>c</sup> q. 7. quam in 2. sententiarum d. 2. q. 9. lit. S. vers. *Ad tertium argumentum.* nullam esse repugnantiam in hoc, quod indiuifibile separatum motu locali continuo, & successiuo per spatium diuifibile moueatur, ac per consequens, quod si per possibile, vel impossibile daretur aliquod indiuifibile quantitatum a partibus separatum, illud posset per se moueri localiter motu continuo, & successiuo per spatium extensum, & diuifibile. Scotum sequuntur omnes dis-

cupuli, Lichetus ibidem, Basolis q. 4. art. 2. Maironis q. 12. Arretinus in annotationibus quaest. 17. citat. Ex alijs Gregorius q. 2. art. 1. Vallesius controuersia 58. ad tyrones, Toletus h<sup>c</sup> q. 1. & plures alij.

7 Fundamentum Scoti, & nostrum est; quia eadem inconuenientia, quae per rationes Arist. obiecta sunt contra motum continuu, & successiuum indiuifibilis separati, & per se moti, militant (si aliquam vim habet) contra motum continuum, & successiuum indiuifibilis existetis in magnitudine, & moti per accidens. Sed his non obstantibus omnes fatentur (etiam ipse Philosophus) quoties magnitudo aliqua mouetur, omnia indiuifibilia, quae sunt in illa magnitudine, per accidens moueri motu continuo, & successiuo: ergo etiam erit affirmandum, his non obstantibus, quod, si daretur indiuifibile separatum posset per se motu continuo, & successiuo moueri localiter. Maior ostendi potest assignando, & determinando aliquod indiuifibile in illa magnitudine, quae motu continuo, & successiuo mouetur; & in isto actuali motu illi applicando rationes Arist. supra factas, non secus, ac applicatae sunt indiuifibili separato. Licet enim indiuifibilia, quando sunt in magnitudine, dicantur moueri per accidens, tamen hoc non tollit, quod unicuique indiuifibili correspondeat suum pro-

proprium indiuifibile spatij; & quod transeundo percurrat totum spatium: sicuti etiam si partes illius magnitudinis, quando magnitudo mouetur, dicuntur moueri per accidens, hoc non tollit, quod vnaqueque sit in spatio sibi adaequato, & quod transeundo percurrat totum spatium. Vnde optime dixit Scotus distinctionem istam de motu per se, & de motu per accidens, quoad vitandum inconuenientiam, quae in rationibus adducuntur, nihil conducere, sed esse fugam. Quod amplius confirmari potest instantia corporis perfecte sphaerici existentis super perfecte planum, (qua instantia utitur Scotus) quod moueri posset motu continuo, & successiuo super ipsum planum, non obstante, quod solum in puncto tangeret planum: ergo idem dicendum esset in hypothese, quod illud punctum eilet per se ab omni quantitate separatum.

8 Pro solutione autem eorum, quae in contrarium adducta sunt, optime aduertit Scotus loco secundi citati lit. V. ex duplici capite prouenire, quod motus localis sit continuus successiuus, scilicet, ex diuifibilitate, seu extensione mobilis, & ex diuifibilitate, seu extensione spatij; & quodlibet ex his capitibus esse sufficiens ad hoc, ut motus localis sit continuus successiuus; nam quodlibet mobile prius pertransit unam partem spa-

tij, quam aliam, & ita esset successio continua in motu locali ex parte spatij proueniens, etiam si mobile esset indiuifibile, comparando mobile ad diuersas partes spatij, quas secundu prius, & posterius per motum localem continuu, & successiuu decurrit. Similiter idem spatium prius pertransit mobile secundum unam partem ipsius mobilis, quam secundum aliam; & ita esset successio continua in motu locali ex parte mobilis proueniens, etiam si spatium esset indiuifibile, comparando spatium ad diuersas partes mobilis, quae secundum prius, & posterius continuu, & sine quiete pertranscunt illud.

9 Hoc praenotato ad auctoritatem Aristot. optime respondet Scotus, quod quando Arist. affirmat, *indiuifibile non posse moueri per se, sed omne, quod per se mouetur, debere esse diuifibile*, loquitur, quantum est ex parte sua, ita ut continuitas, & successio, quae per se requiruntur ad motum, & successiuum, proueniant ex parte mobilis. Cum quo optime compatitur, quod indiuifibile possit moueri per se motu continuo, & successiuo per spatium diuifibile continuitate, & successione proueniente a spatio, per quod mouetur. Et quod haec fuerit intentio Arist. colligitur ex eo (inquit Scot.) quod rationes ab ipso ad hoc probandum adductae, hoc tantum, & nihil amplius concludunt, ut patebit ex ipsarum solutione.

10 Ad primam dicimus probare optimè intentū Arist. scilicet, indiuisibile, quantum est ex se, & ea continua successione, quæ prouenire potest in motu ex parte mobilis, nō posse moueri motu continuo, & successiuo. Non tamen probare indiuisibile non posse moueri motu cōtinuo, & successiuo ratione spatij, & ea cōtinua successione, quæ desumitur ab illo; nā ad hoc nō requiritur, quòd mobile partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quem; sed quòd spatium, quod pertransitur motu locali, seu præsentia, quam habere debet mobile in illo spatio, partim sit in termino ad quē, & partim in termino à quo, id est, partim sit in potētia, & partim in actu: quod de facto contingeret, si mobile indiuisibile per spatium diuisibile, & extensum continuè, & successiuè moueretur.

11 Ad secundam respondetur propositionē istam (*id quod localiter mouetur, prius pertransit spatium minus ipso, vel æquale sibi, quàm maius*) ab Arist. assumptā esse veram, quoties successio continua motus desumitur ex diuisibilitate mobilis: & sic optimè desumptā fuisse ab Arist. ad probandum suum intētum, scilicet, indiuisibile non posse moueri motu cōtinuo, & successiuo cōtinuitate, & successione motus proueniente ex parte mobilis: esse tamen falsam, & consequenter negan-

dā, quoties successio continua motus non desumitur ex diuisibilitate mobilis, sed ex diuisibilitate spatij; vt cōtingeret in casu, quod indiuisibile per spatium diuisibile continuè, & successiuè moueretur. Non enim oportet, (inquit Scotus) quòd omnem transitionē spatij successiuā, quæ (in casu, quo mobile esset indiuisibile) esset maior ipso mobili, præcedat pertransitio indiuisibilis: aliās in motu locali posset assignari prima pars motus, & primum mutatum esse; cuius oppositum docuit Arist. in hoc libro.

12 Quòd si aliquis obijciat, semper indiuisibile, dum mouetur, est in spatio sibi æquali: ergo si punctum moueretur per spatium continuè, & successiuè, describeret continuatiuè lineam sibi suppositā; & consequenter illa linea esset composita ex punctis. Respondet optimè Scotus, quòd *ly semper*, aut distribuit pro quolibet instanti temporis præcisè; aut pro quolibet instanti, & tēpore. In primo sensu verum est antecedens; nā de indiuisibili, quòd mouetur, verū est dicere pro quolibet instanti illius tēporis, quòd sit in spatio sibi æquali, hoc est, in aliquo indiuisibili spatij sibi supposito. In secūdo autē sensu falsū est antecedens; nā in nulla parte illius tēporis, in quo mouetur indiuisibile, verificatur de indiuisibili, quòd sit præses spatio sibi æquali, sed

po-

potius, quòd sit præses spatio sibi inæquali, (licet non permanenter; quia hoc esset naturaliter impossibile, sed successiuè) nimirum parti illi, quæ ab ipso decurritur pro illa parte temporis:

13 Ad tertiam rationem respondetur ex Scoto, admittēdo, quòd, si indiuisibile moueretur localiter, moueretur in tēpore:

& similiter admittendo posse assignari minus tēpus illo: quo moueretur indiuisibile: sed negamus inde sequi, in illo minori tēpore posse moueri minus mobile, nisi loquendo in sensu, quo locutus est Aristot. quādo vsus est ista ratione, scilicet, de mobili diuisibili, & quod est causa cōtinuitatis, & successione in motu.

## DISPUTATIO SECUNDA.

### De inceptiōe, & desinēte rerum naturalium.

**T**RIA sunt in ista disputatione examinanda. Primum, *an motus fieri possit in instanti potentia Dei absoluta?* Secundum, *an in motu detur primum mutatum esse?* Tertium, *quo pacto res naturales incipiant, & desinant esse.*

## QVÆSTIO PRIMA.

### An motus fieri possit in instanti potentia Dei absoluta?

**P**ROCEDIT quæstio de motu materialiter sumpto, scilicet, pro forma fluente; non verò de motu sumpto formaliter, scilicet, pro fluxu, à quo forma fluens, id est, successiuè durans, denominatur. Itē procedit quæstio de motu strictè sumpto, scilicet, pro vltima ex tribus speciebus mutationis, in quas Aristot. libro 5. capite 1. mutationem in communi diuisit, & ipsam hoc nomine mo-

tus insigniuit, & postea subdiuisit in tres species, scilicet, in motum ad quantitatem, in motum ad qualitatem, & in motum ad ubi; eo quòd huiusmodi motus ad ista tria prædicamēta poterant tantummodò terminari.

2 Et supponit, vt certū, huiusmodi motum nō posse naturaliter, & de potentia ordinaria fieri in instanti: quod non solū docuit Arist. cap. 3. huius libri tex. 29. sed etiam apertè colligitur ex dictis libro 5. disp. 1.

q. 1. diximus enim, vnam ex conditionibus per se, & essentialiter requisitis ad huiusmodi motum esse, quod sit mutatio à contrario in contrariū, id est, à termino positio in terminum positium, inter quos mediet aliqua distantia, siue situalis, siue formalis, quæ naturaliter petat, non subito, & in instanti, sed successiue, & in tempore per mutationem pertransiri.

3 Prima sententia reputat implicatoriam, quod hi motus fiant in instanti; & consequenter affirmat, id neque de potētia Dei absoluta posse fieri. Ita Conimbricenses hic cap. 6. q. 1. art. 2. qui dicunt, esse communem inter Peripateticos; sed nullū referunt, præter Durandum in 4. d. 43. q. vltima, & Ricardum in 1. d. 37. q. 3. circa tertium principale. Fundamētum eorum est, quia existimant de ratione intrinseca, & essentiali istorum motuum esse actualem successionem; quam in instanti dari, implicationē inuoluit. Assumptū probari potest hac ratione. Motus strictē sumptus est mutatio essentialiter distincta ab alijs duabus speciebus mutationis, quas Arist. appellauit generationem, & corruptionem: sed differt ab ipsis, quia motus successiue, aliæ verò mutationes fiunt in instanti: ergo actualis successio est intrinseca, & essentialis motibus strictē sumptis. Et confirmatur, quia, quan-

do aliquis mouetur localiter, necessario debet percurrere omnes partes illius spatij, quod est inter locum, à quo mouetur, & locum, ad quem mouetur. Sed hoc fieri nequit, nisi successiue acquirendo præsentiam in vna parte spatij, & relinquēdo, quam habet in alia; & iterum relinquendo illam, quam acquisiuit, & aliam nouam acquirendo quoad vique perueniat ad locum, ad quem dicitur moueri: ergo est implicatio, quod aliquis moueatur localiter in instanti.

4 Sed opposita sententia (quæ affirmat, non esse implicationem in hoc, quod motus strictē sumpti, vt sunt augmentationis, alterationis, & lationis, fiant in instanti; & consequenter, quod Deus de potētia absoluta hoc præstare possit) & verior, & cōmuniō est. Hanc amplectitur Scotus non solum hic q. 6. sed etiam in 4. d. 43. q. 5. §. De secundo, lit. C. & ipsum sequuntur discipuli, Arctinus in annotationibus. quæstionis 6. citatæ, Maior in 4. d. 49. q. 8. & ex alijs Gregorius in 2. d. 6. q. 3. art. 2. Suarez, 2. tomo Metaph. disp. 30. sect. 4. à num. 25. Hurtado disp. 11. Physica sect. 10. num. 70. & est satis recepta inter recentiores. 5 Fundamētum huius nostre sententiæ sunt duæ veritates, quæ à nobis alibi prælibatæ sunt. Prima est, de intrinseca ratione istorum motuum so-

solum esse successionem aptitudinalem; successionem verò actualem esse accidens ipsorum, licet nō qualecumque accidens, sed connaturaliter debitum. Hoc probauimus 5. libro disp. 1. q. 1. Secunda veritas est, successionem, seu durationem actualem, quam vocamus tempus intrinsecū motus, & ratione cuius habet quicumque motus, quod existat commensuratiue tempori extrinseco primi mobilis, esse quantitatem istorum motuum ab ipsis realiter distinctam; nō secus, ac in permanentibus magnitudo, ratione cuius substantiæ corporeæ habent, quod coexistant cōmensuratiue loco, est quātitas substantiæ corporeæ ab ea realiter distincta. Hoc probauimus lib. 4. disp. 3. q. 3. Ex quibus veritatibus aperte infertur, quod, etsi naturaliter nequeant hi motus fieri in instanti, possunt tamen supernaturaliter, & de potētia Dei absoluta: siquidem nulla implicatio est, quod aliquod priuatur accidenti sibi connaturaliter debito: & similiter, quod res, quæ connaturaliter petunt affici quantitate, ab omni quantitate moueantur. 6 Ad fundamētum oppositæ sententiæ negamus assumptum; (scilicet, de intrinseca ratione horū motuum esse actualem successionem) & ad probationē fatemur libenter, motum strictē sumptum esse mu-

tationem essentialiter distinctā ab alijs duabus speciebus mutationis: sed negamus ab illis essentialiter differre per actualem successionem: aliās actualis successio non posset, ad huc per accidens, generationi, & corruptioni conuenire; sicut conuenit de facto. Differt ergo essentialiter ab illis per successionem aptitudinalem, id est, quia ex natura sua petit fieri successiue; aliæ verò duæ species (scilicet, generatio, & corruptio) petunt fieri in instanti. Ad confirmationem dicimus, verum esse, non posse corpus aliquod (adhuc de potētia absoluta) percurrere in instante omne spatium, quod est inter locum adæquatam, in quo est, & locum adæquatam, ad quē tendit acquirendō præsentiam in vna parte spatij, & relinquēdo, quam habet in alia; & iterum relinquendo istam, & aliā de nouo acquirendo, quoad vsque perueniat ad locum, ad quem dicitur moueri; nam ex hoc sequeretur, quod simul esset, & non esset præsens partibus illius spatij, quod percurrerit, quod est clara cōtradictio. Sed negamus ad hoc, vt corpus dicatur moueri localiter, esse necessariū, quod prædicto modo percurrat spatium, quod est medium, inter locum adæquatam, in quo est, & locum adæquatam, ad quem mouetur: sed sufficit, quod corpus, quod est in isto loco adæqua-

to, relinquat illum, & ponatur præfens in alio loco ipsi adæquato absque trāsitu per spatium medium: quod absque vlla contradictione potest fieri à Deo in instanti.

## QVÆSTIO II.

*An in motu detur primum mutatum esse?*

1. PRæsupponit hæc quæstio id, quod cum Arist. statimur disputatione præcedēti q. 3. sect. 3. scilicet, in omni motu successiuo materialiter sumpto (cū sit quid continuū) dari indiuisibilia propria, quibus partes eius copulantur, & terminantur, nimirum, quasdam productiunculas instantaneas, quibus indiuisibilia termini motus, tam continuatiua, quam terminatiua producuntur: quæ indiuisibilia, tam ab Arist. quam ab alijs Peripateticis dicuntur mutata esse; (si continuatiua, vel terminatiua motus sint) quia in quolibet instanti, in quo est aliquid ex his indiuisibilibus, verè enuntiat de mobili, quod mutatum sit à præcedenti parte motus. Et dixi notanter (*si continuatiua, vel terminatiua motus sint*) nam si indiuisibile initiatiuum sit, non debet appellari mutatum esse; quia pro illo instanti, in quo est, non potest de mobili verificari, quod mutatum sit à præcedenti parte motus, cū nulla pars motus ipsum

antecedat, sed potius ipsum sit initiū motus. Ex quo colligo, longè diuersum esse inquirere, *an in motu detur primum mutatum esse?* quæ est quæstio à nobis proposita, & quam exagitat Arist. cap. 5. & 6. huius libri; ac inquirere, *an in motu detur indiuisibile initiatiuum ipsi motui intrinsecum?* quæ quæstio, neque ab Arist. neque ab antiquis fuit exagitata, sed inter aliquos recentiores exorta.

2. Dicendum est, in quocumque motu dari quidem vltimū mutatum esse, non verò posse dari primū mutatum esse. Est expressa sententia Arist. c. 5. & 6. huius libri, & Scoti hic q. 8. imò omnium Peripateticorū. Licet enim nō pauci affirmēt, (vt statim dicam) in motu sicut datur vltimum indiuisibile ipsum intrinsecè finies, ita etiā dari primū indiuisibile ipsum intrinsecè initians; tamen hoc indiuisibile dicunt, non posse appellari mutatum esse, (sicut appellatur, tam terminatiuum, quam omnia continuatiua) eo quod ipsum nulla pars motus antecedit, sicut antecedit omnia alia. Vnde plura argumenta, quæ quæstione citata proponit Scotus ad suadendum, in motu dari primum mutatum esse desumpta ex isto principio (in motu sicut datur indiuisibile vltimum ipsum finiens, ita datur primum indiuisibile ipsum initians) nullius sunt roboris; quia (vt in solu-

tio-

tionem ipsorum acutè perpendit Scotus) ex eo, quod in motibus detur primum indiuisibile ipsum initians, non rectè inferitur, etiā dari primum mutatum esse; nam ratio *mutari esse* non competit indiuisibili initiatiuo motus, sed solum cōpetit, tam continuatiuis, quā vltimo terminatiuo motus, & inter continuatiua nullum potest assignari, quod sit primum.

3. Probari potest hæc Aristotelica sententia quoad vtramque partē. Et in primis, in quocumque motu dari vltimum mutatum esse, sic ostendo. In quocumque motu datur vltimū indiuisibile ipsum intrinsecè finies, ita vt post illud indiuisibile nulla pars motus subsequatur, sed potius omnes ipsum antecedant. Sed hoc vltimum indiuisibile dicitur verè, & proprie mutatum esse: (siquidem pro illo instanti temporis, quod huic indiuisibili motus correspondet, verè, & proprie enuntiat de mobili, quod mutatum sit à motu præcedēti) ergo in quocumque motu datur vltimum mutatum esse, quod communiter appellatur primum non esse motus, eo quod pro illo instanti temporis, quod correspondet huic indiuisibili, primo enūtiāmus, nunc non est motus, & tempore immediato fuit.

4. Deinde in nullo motu dari primū mutatum esse, sic probō. Vt si quod indiuisibile motus

dicatur mutatum esse, necessariū est, vt ad ipsū præcedat aliqua pars motus; nam si aliqua pars motus non præcedit, pro illo instanti tēporis, quod ipsi correspondet, falsè enuntiat de mobili, quod mutatum sit à præcedenti parte motus. Sed in motu non potest assignari prima pars; nam assignata quacūque medietas illius erit prior, & illa medietate erit prior medietas illius, & sic in infinitum: ergo neq; erit assignabile primū mutatum esse, sed etiā præcedēdiū erit infinitū in ipsorum assignatione. Et propter hūc processum in infinitū, quid datur, tam in assignatione primæ partis motus, quam primæ mutatum esse, optime dixit Arist. *ante quodlibet moueri præcedit mutatum esse; & ante quodlibet mutatum esse, præcedit moueri.*

5. Confirmatur, & declaratur amplius. Si in motu daretur primū mutatum esse, vel hoc esset primum indiuisibile, quod initiat totū motum; & cōmuniter appellatur vltimū non esse motus, eo quod pro illo instanti tēporis, quod correspondet huic indiuisibili primo, enūtiāmus, nunc non est motus, & tempore immediatè erit, vel indiuisibile continuatiuū partium motus indiuisibili initiatiuo motus magis propinquū; sed non potest esse indiuisibile primum, (quia, vt dictū est, hoc indiuisibile non dicitur mutatum esse) neque dici potest, quod sit

fit

fit indiuisibile continuatiuum magis propinquū indiuisibili initiatiuo totius motus; quia esset assertio de subiecto non supponente; nam, cum inter indiuisibile initiatiuum totius motus, & quodcumque continuatiuum parrium motus datur necessariō aliqua pars motus, (aliās vnum indiuisibile esset immediatum alteri; & consequenter continuum componeretur ex indiuisibilibus) nō poterit assignari indiuisibile continuatiuum propinquius initiatiuo totius motus; nam assignatio quocumque adhuc in illa parte motus, quæ mediat inter ipsum, & indiuisibile initiatiuum totius motus, manerent assignabilia alia indiuisibilia continuatiua magis, ac magis propinqua in infinitum: ergo dicendum est, in motu non posse dari, neque assignari primum mutatum esse.

6 Sed rogabis, esto, in motu non sit dabile primum mutatum esse, datur ne in quocumque motu aliquod indiuisibile primum, & initians totum motum, quod sit illi intrinsecum? in hac quæstione, quæ inter alios quos recentiores controuertitur, prima sententia sustinet, in motu non dari aliquod indiuisibile ipsum initians, quod sit illi intrinsecum, sed in omni motu primum indiuisibile ipsum initians esse illi extrinsecum. Et idem consequenter sustinet de tempore. Et suaderi

solet. Primo, quia hoc videtur Aristotelem docuisse cap. 5. & 6. huius libri. Secundo, quia, si in motu daretur primum indiuisibile, & initians totum motum ipsi motui intrinsecum, motus inciperet intrinsecè, & per primum sui esse. Tertio instantia motus alterationis, quæ intenditur qualitas iam producta; nam talis qualitas præexistens ante intentionem habet indiuisibile vltimum, quo gradus intentionis illius terminatur: ergo postea, quando intenditur, non producit aliquis gradus intentionis habens indiuisibile initiatiuum: aliās duo indiuisibilia essent simul in continuo intentionis, scilicet, illud, quod terminabat gradus præexistentes, & illud, quod initiat gradum de nouo aduenientem: ergo neque ipse motus intentionis habebit aliquā productionem instantaneā ipsam initians, quæ sit indiuisibile intrinsecū ipsum initians. Et idem instari potest in motu augmentationis, atque in motu locali.

7 Sed nobis dicendum est, in quocumque motu successiuo, & continuo, sicut datur intrinsecum indiuisibile terminatiuum ipsum finiens, ita dari intrinsecum indiuisibile ipsum initians; licet cum hoc discrimine, quod indiuisibile intrinsecum terminatiuum dicitur mutatum esse; secus verò indiuisibile intrinsecum initiatiuum

ob

ob rationes supra relatas. Ita vt certum supponit Scotus q. 8. citata in solutionibus argumentorum, & expressè docent, quā plures recentiores, Aretinus in annotationibus ad prædictam quæstionem Scoti lit. E. Vallesius lib. 8. cap. 1. & controuersia 96. Plaza disput. 2. q. 1. qui citat D. Tho. 2. contra gentes capite 36. & Themistium hic tex. 48. Et idem dicendum est consequenter de tempore intrinsecò, à quo motus fluens, seu successiuè durans formaliter denominatur.

8 Probari solet hæc sententia pluribus rationibus; sed nobis sufficiat hæc. Motus materialiter sumptus (de quo in præfati disputamus) debet proportionari suo termino, ita vt partes diuisibiles motus correspondeat partibus diuisibilibus termini, & indiuisibilia motus indiuisibilibus termini; nam (vt supra dictū est) motus materialiter sumptus, etsi distinguatur realiter à termino, sed non vt res à re, sed vt eadem res sub diuerso, & reali modo essendi. Sed terminus motus (sive sit quantitas, sive qualitas, sive vbi) est semper terminatus intrinsecis indiuisibilibus, tam ex parte finis, quam ex parte principij: ergo idem affirmandum erit de motu.

9 Ad ea, quæ in contrarium obijcebantur, respondetur. Ad primum patet ex dictis; Arist. in 5. & 6. cap. huius libri solū

negasse dari in motu primum mutatum esse. Cum quo optime compatitur, dari in motu primum indiuisibile intrinsecè initians ipsum motum. Ad secundum respondetur, ex eo, quod in motu datur primum indiuisibile initians totum motum ipsi motui intrinsecum, ineptè inferri, motum incipere intrinsecè, & per primum sui esse; nam, cum hoc indiuisibile non sit motus, non poterit pro illo temporis instante, quod huic indiuisibili motus correspondet, verificari, nunc est motus, & tempore immediato non erat: quod erat necessarium ad hoc, vt diceremus, tempus incipere intrinsecè, & per primum sui esse: sed quod verificabitur, est, nunc non est motus, & tempore immediato erit: quod est incipere extrinsecè, & per vltimum sui nō esse. Ad tertium negamus, in intentione qualitatis præexistentis gradum intentionis, qui per motum intentionis de nouo acquiritur, non habere indiuisibile initiatiuum. Neque ex hoc debet inferri in continuo intentionis duo indiuisibilia esse simul; nam ad aduentum indiuisibilis initiatiui gradus intentionis, qui de nouo per motum intentionis accrescit, cum sit continuatiuum illius gradus intentionis, cum gradibus intentionis præexistentibus definit esse indiuisibile terminatiuum graduum intentionis præexistentium. Imo hinc

hinc retorqueri potest argumentum in contrarios; nam, cum indivisibile terminans gradus intensiōnis præexistentēs non possit continuare prædictos gradus cum gradu intensiōnis, qui de nouo accrescit, (quia natura sua non est continuatum, sed terminatum) necessario fatendum, aut illam intensiōnem non esse continuam; aut in gradu intensiōnis, qui de nouo accrescit, dari indivisibile natura sua continuatum illius gradus cum præexistentibus; quod sit terminus communis, id est, initium gradus de nouo accrescentis, & terminum præ-existentium in cuius aduentu indivisibile terminatum, quod erat in gradibus præexistentibus, desinat esse, seu corrumpatur. Et eadem proportione abiter est dicendum, tam in motu augmentatiōnis, quam in motu locali.

### QVÆSTIO III.

Quo pacto res naturales incipiant, & desinant esse?

**R**ememorandum est in memoria id, quod docuimus in libro I. disput. 5. q. 4. a. num. 3. vsque ad 5. scilicet, duplicem esse modum, tam incipiendi esse, quam desinendi esse res; vnus est intrinsecus, alter extrinsecus. Tunc res dicuntur incipere esse intrinse-

cè, quando in eodem instanti, in quo dicuntur incipere esse, simul sunt: & sic dicuntur incipere esse per primum sui esse; de illisque verificatur, *nunc est res, & tempore immediato non erat.* Tunc verò dicuntur incipere esse extrinsecè, quando in instante, in quo dicuntur incipere esse, nondum sunt, sed erunt tempore immediato ad illud instans: & sic dicuntur incipere esse per vltimum sui esse; de illisque verificatur, *nunc non est res, & tempore immediato erit.* Pariformiter in desitione. Tunc res dicuntur desinere esse intrinsecè, quando in instante, in quo dicuntur incipere non esse, adhuc sunt, & sic dicuntur desinere esse per vltimum sui esse, de illisque verificatur, *nunc est res, & tempore immediato non erit.* Tunc verò dicuntur desinere esse extrinsecè, quando in instante, in quo dicuntur incipere non esse, simul non sunt, sed fuerunt tempore immediatè antecedenti; & sic dicuntur desinere esse per primum sui esse, de illisque verificatur, *nunc non est res, & tempore immediato erat.*

2. Est autem aduertendum, aliquos contendere in ipso inceptiōnis instanti (siue intrinsecò, siue extrinsecò) dari, seu exerceri ipsum actum realem productionis, per què res, quæ incipit esse, producitur: & similiter in ipso desitionis instanti (siue intrinsecò, siue extrinsecò)

eco) dari, seu exerceri ipsum actum corruptionis, seu annihilationis, quo res, quæ desinit esse, corrumpitur, seu annihilatur; quia rem incipere, vel desinere, nihil aliud videtur esse, quam rem produci, vel destrui.

3. Nobis tamen dicendum est, quod; quando res incipit intrinsecè, & per primum sui esse, tunc in eodem inceptiōnis instanti datur actus productionis: nam tunc primo datur terminus ad quem talis productionis. Quando verò incipit extrinsecè, & per vltimum sui esse, tunc sicut non datur ipsa res, quæ incipit esse, sed tempore immediato ad illud instans dabitur, ita neque tunc datur prædictæ rei productio; sed dabitur tempore, quod sequitur immediatè ad illud instans: aliàs daretur actio pro aliquo instante temporis existens sine termino; quod est impossibile. Itaque in inceptiōne rerum eodem modo est philosophandum de re, quæ incipit esse, & de actiōne, qua incipit habere esse; & illud instans, quod est intrinsecum rei, quæ incipit esse, erit etiam intrinsecum eius productioni; & quod est extrinsecum rei, erit etiam extrinsecum productioni.

4. Opposito tamen modo contingit in desitione. Quando enim res desinit esse in-

trinsecè, & per vltimum sui esse, pro illo instante non datur actus destructionis rei, quo medio desinet esse, sed dabitur tempore, quod immediatè sequitur ad illud instans. Et ratio est, quia destructio tendit ad non esse rei; & hoc est eius terminus ad quem, sicut terminus ad quem productionis est esse rei. Sed pro illo instante datur esse rei, non verò non esse rei, sed potius non esse rei, dabitur tempore immediato ad illud instans: ergo neque etiam dabitur pro illo instante actus destructionis rei, quo medio desinit esse res, sed dabitur tempore immediatè sequenti. Quando autem res desinit esse extrinsecè, & per primum sui esse, tunc in eodem instante datur actus corruptionis, nam tunc datur eius terminus ad quem, nempe ipsum non esse rei. Itaque in desitione rerum instans, quod est intrinsecum rei, quæ desinit esse, est extrinsecum actui destructionis, quo medio desinit esse; instans verò, quod est extrinsecum rei, quæ desinit esse, est intrinsecum actui destructionis, quo medio desinit esse. Et ratio huius disparitatis inter inceptiōnem, & desitionem rerum est, quia in inceptiōne ponitur esse rei; atque ad eò productio debet esse simul cum esse rei; in desitione verò ponitur non esse rei; & ideo actus destru-

tionis debet esse simul non cum ipso esse rei, sed potius cum ipso *non esse* rei: sicut enim se habet productio ad *esse* rei; ita destructio ad *non esse* rei.

5. Similiter est advertendum, rem aliquam duobus modis posse incipere, vel desinere esse, scilicet, ut tanta, vel absolute. Tunc dicitur incipere, vel desinere, ut tanta, quando incipit, vel desinit esse in aliqua certa, & determinata extensione, vel intensione, & non in maiori, vel minore. Tunc vero dicitur incipere, vel desinere esse absolute, quando non assignamus aliquam certam, & determinatam extensionem, vel intensionem, in qua incipiat, vel desinat esse, sed solum consideramus modum incipiendi, vel desinendi, quem natura sua exposcit. In hac ergo quaestione non inquirimus modum incipiendi, vel desinendi, quem habent res consideratae, ut tanta, sed quem habent consideratae absolute. Cum enim consideratae ut tanta induant rationem indivisibilis, eodem modo philosophandum est de ipsarum inceptioe, & desitione (in ista consideratione) ac de indivisibilibus successiuorum philosophatum fuerit. Verum quia res, quae incipiunt, & desinunt esse, sunt in duplici differentia, (nam quaedam sunt successivae, ut motus, & tempus; quaedam vero permanentes, quae adhuc sunt in duplici differen-

tia; nam quaedam subsunt motui successiuo, tam in sua inceptioe, quam in sua desitione; quaedam autem motui successiuo non subiacent) ideo sigillatim quid in quolibet ex his tribus generibus rerum tenendum sit, explicabo.

### SECTIO PRIMA.

*Explicatur modus inceptiois, & desitionis rerum successiuarum.*

6. DE modo incipiendi, & desinendi successiuorum, ut sunt motus, & tempus, nulla est controversia inter Peripateticos, qui sustinent, motum, & tempus (sicut & quodcumque aliud continuum) componi ex partibus divisibilibus in semper divisibilia, atque indivisibilibus, quibus praeditae partes continuantur, & terminantur. Nam omnes affirmant, huiusmodi res incipere extrinsecè, & per ultimum sui non esse, & desinere etiam extrinsecè, & per primum sui non esse. Ita Aristot. cap. 5. & 6. huius libri, & Scotus hic q. 8. Et ratio est manifesta; nam, quae incipiunt intrinsecè, & per primum sui esse, & desinunt intrinsecè, & per ultimum sui esse, habent esse in instante, in quo incipiunt, & in quo desinunt; sed res successivae, cum ab intrinsecò petant habere partes priores, & posteriores, non possunt habere esse in instanti, sed potius in

tem-

tempore, neque de ipsis verificari potest, quod nunc sunt, & tempore immediato non fuerint, aut quod nunc sunt, & tempore immediato non erunt: ergo non incipiunt intrinsecè, & per primum sui esse, sed potius extrinsecè, & per ultimum sui non esse; neque desinunt intrinsecè, & per ultimum sui esse, sed potius extrinsecè, & per primum sui non esse; ita ut in ipsarum inceptioe enuntietur, nunc non est res successiva, & tempore immediato erit; atque in ipsarum desitione, nunc non est res successiva, & tempore immediato erat.

7. Sed objicies; ideo dictum est repugnare, motum incipere in instante intrinsecò, & per primum sui esse; quia partes, ex quibus coalescit, nequeunt simul, & in eodem instante reperiri: sed pariter repugnat non esse partis prioris, & non esse partis posterioris motus simul, & in eodem instante reperiri: ergo non rectè dicimus, motum desinere esse in instante extrinsecò, & per primum sui non esse. Et confirmatur, quia non est assignabilis desitio alicuius partis motus, quin ante ipsam assignabilis maneat desitio alterius partis prioris, & post ipsam desitio alterius partis posterioris: ergo perperam dicimus, motum, aut tempus desinere esse in instante extrinsecò, & per primum sui non esse.

8. Respondetur rationem, ob quam repugnat motum inci-

pere in instante intrinsecò, & per primum sui esse, non consistere praecise in hoc, quod partes, ex quibus coalescit, nequeunt simul, & in eodem instante reperiri; sed etiam, & praecipue, quia quaelibet pars, ex quibus coalescit totus motus, est extensa, & divisibilis in alias partes priores, & posteriores in infinitum; & sic non solum, non potest totus motus habere esse simul in instanti; sed neque aliqua eius pars: quod non contingit in non esse partium motus: licet enim non esse, singularum partium motus, ex quibus non esse totius motus coalescit, non possint esse simul, quia non esse prioris partis motus in diverso instante est, ac non esse partis posterioris, tamen quodlibet non esse, non est extensum, & divisibile in partes priores, & posteriores in infinitum, cum potius in indivisibili consistat: & sic non mirum, quod quodlibet non esse, motus in instante possit esse. Ad confirmationem dicimus, ex eo quod non sit assignabilis desitio alicuius partis motus, quin ante ipsam assignabilis sit desitio alterius partis prioris, & post ipsam desitio alterius partis posterioris, solum inferri, desitionem motus fieri successivè, & per partes, non verò, quod terminus desitionis motus, aut partium motus (qui terminus dicitur *mutatum esse*, seu *primum non esse* motus) sit in.

in se quid successiuum, & habēs partes priores, & posteriores; quod erat requisitum ad hoc, vt prædicta confirmatio concluderet intentum.

9 Sed dubitabis primò, quomodo indiuisibilia successiuorum (vt sunt indiuisibilia, quibus partes motus, & partes temporis continuantur, & terminantur) si secundum se considerentur, incipiant, & desinant esse? Et dico notanter si secundum se considerentur, quia etiã si hæc indiuisibilia sint modi partium motus, vel temporis, quas continuant, seu terminant, ac per consequens nec fiant, nec corrumpantur per se, & separata à partibus, sed potius ad affectionem, vel corruptionem partium, eorum esse, vel non esse pullulat, seu resultat. Nihilominus si indiuisibilia motus secundum se considerentur, reperiemus, durationem, quæ ipsis correspondet, esse diuersam à duratione, quæ correspondet partibus motus; cum duratio, quæ correspondet partibus motus, sit extensa, & diuisibilis in partes priores, & posteriores, quæ eo ipso tempus dicitur duratio verò, quæ correspondet indiuisibilibus motus sit omninò inextensa, & indiuisibilis in partes priores, & posteriores; quæ eo ipso nõ dicitur tempus, sed instans temporis.

10 Respondetur cum Aristot. & Scoto locis citatis, & com-

muni omnium Peripateticorum sententia, huiusmodi indiuisibilia, si secundum se considerentur incipere, & desinere intrinsecè. Nec aliter posse contingere, adhuc potètia Dei absoluta. Et ratio, cur sic incipiant, est; quia, cum in ipsis assignari nõ possit aliquid, quod sit prius, & aliquid, quod sit posterius, (aliàs non essent indiuisibilia in partes priores, & posteriores) vel dicendum est, aut nondum incipere esse, aut si iam incipiunt esse, in eo instanti, in quo incipiunt, habere simul, & semel suum esse; & sic pro illo instante, in quo incipiunt, omninò necessariò verificari, *nunc est indiuisibile motus, aut temporis, & tempore immediato non erat.*

11 Ratio verò, cur sic desinant, est; quia, cum hæc indiuisibilia afficiant partes trãseuntes, ab intrinseca natura sua petunt durationem in instante trãseuntem: ergo inuoluit implicationem, quod desinant esse extrinsecè, & per *primam sui non esse*; nam, cum hoc instans, in quo primò verificatur ipsorum *non esse*, non possit esse illudmet, in quo verificatur ipsorum *esse*, (aliàs in eodem instante de eodem verificaretur simul esse, & non esse) dicendū est, vel quod esset immediatū instanti, in quo primò verificatur ipsorum esse; vel quod iuter hæc instantia mediet aliquam pars temporis; quorum

neu-

uentum affirmari potest abique manifesta implicatione. Nam si dicatur primū, iam darentur duo instantia immediata in tempore: quod in Peripateticorum sententia implicat. Si verò dicatur secundum, iam indiuisibilia successiuorū durarent, non solum pro illo instanti, quo primò habent esse, sed etiam pro illa parte temporis, quæ mediat inter instas, quo primò habent esse, & instans, quo primò desinunt esse: quod repugnat naturis horum indiuisibilium; vt dictum est: ergo dicendum est, solum posse desinere esse intrinsecè, & per *ultimum sui esse*; ita vt pro illo eodem instante in quo, in ipsorum inceptioe verificabatur, *nunc est indiuisibile, & tempore immediato non erat*, etiam verificetur in ipsorum desitione, *nunc est indiuisibile, & tempore immediato non erit.*

12 Dubitabis secundò, quomodo incipiat, & desinat esse quies, quæ opponitur motui? quædam sententia affirmat, incipere intrinsecè per *primam sui esse*, & desinere intrinsecè per *ultimum sui esse*. Et quoad inceptioem probari potest; nam motus desinit extrinsecè, & per *primam non esse*: (ex dictis) ergo quies ei opposita incipiet intrinsecè, & per *primam sui esse*. Patet consequentiã, quia in illo instante, in quo non est motus, iam est quies: ergo sicut in illo est verum di-

ccere, *nunc non est motus & inmediate antea erat*, sic etiã erit verum dicere, *nunc est quies, & inmediate antea nõ erat*. Quoad desitionem autem sua deri potest sic. In ultimo indiuisibili quietis, aut mobile mouetur? aut quiescit? Non primum; quia iam motus intrinsecè, & per *primam sui esse* inciperet, quod est cõtra prædicta. ergo qui escit; ac per consequens quies intrinsecè, & per *ultimum sui esse* desinit.

13 Pro decisione huius dubij nota, duplicem esse quietem motui oppositam: quædam enim est negatiua, sic dicta; quia consistit in carentia motus cõueniens subiecto pro illa duratione, in qua non est aptum moueri; quæ duratio eo ipso debet esse instantanea; nam solum in duratione instantanea mobile non est aptum moueri. Et hæc quies (quæ opponitur motui, non priuatiuè, sed negatiuè) necessariò debet esse inextensa, atque indiuisibilis in partes priores, & posteriores sicuti, & duratio, in qua existit, inextensa, & indiuisibilis est. Alia verò est priuatiua (sic dicta, quia consistit in carentia motus cõueniens subiecto pro illa duratione, in qua est aptum moueri) quæ duratio eo ipso debet esse extensa, & diuisibilis in partes priores, & posteriores, & consequenter tempus; nam solum in tempore mobile est aptum moueri.

Et

Et



Et hæc quies (quæ opponitur motui, non negatiuè, sed priuatiuè) necessàrio debet esse extensa, & diuisibilis in partes priores, & posteriores; sicuti & ipsa duratio, in qua existit, in partes priores, & posteriores est diuisibilis.

14 Nunc ad dubitationem propositam respondetur, quòd, si sermo sit de quiete negatiua, prædicta quies incipit intrinsecè, & per *primum sui esse*; atque etiam desinit intrinsecè, & per *ultimum sui esse*; non secus, ac supra de indiuisibilibus successiuorum dicebamus: & de hac quiete est vera sententia allegata, & id conuincunt non solum rationes pro ipsa adductæ, sed etiam rationes, quibus supra hoc ipsum ostendimus de indiuisibilibus successiuorum; quibus in omnibus hæc quietes assimilantur; cum non solum consistant in indiuisibili, sed etiam habeant durationem in instante transeuntem. Et modo confirmari potest inquirendo, an in instante terminatio motus moueatur subiectum? an quiescat hac quiete negatiua? (cum enim motus, & quies negatiua contradictoriè opponantur, quòd pro illo instante vnum ex duobus de ipso subiecto motus verificetur necessarium erit) sed non potest dici *primum*; alioquin motus desineret intrinsecè, & per *ultimum sui esse*; ergo fatendum est secundum; & consequenter, quòd

quies negatiua incipiat intrinsecè, & per *primum sui esse*. Et idè argumentum fieri potest ad probandum, quietem negatiuam desinere esse intrinsecè, & per *ultimum sui esse*, assignando vltimum instans terminatiuum quietis, & inquirendo, an subiectum motus pro illo instante moueatur? an quiescat negatiuè? nã, cum nequeat affirmari, quòd moueatur, aliàs motus inciperet intrinsecè, & per *primum sui esse* necessàrio fatendum erit, quòd quiescat negatiuè, & consequenter, quòd quies negatiua desinat intrinsecè, & per *ultimum sui esse*.

15 Si verò sermo sit de quiete priuatiua, & quæ opponitur motui non immediatè (nã inter motum, & quietem priuatiuam mediat quies negatiua) dicendum est cum Arist. & omnibus interpretibus illius, hanc quietem incipere extrinsecè, & per *ultimum sui non esse*; non secus ac supra philosophabamur de motu, & tempore. Cum enim quies priuatiua extensa, & diuisibilis sit in partes priuatiuas priores, & posteriores (non secus ac sunt extensæ, & diuisibiles in partes priores, & posteriores durationes, in quibus existunt) rationes supra adductæ ad probandum, motum, & tempus incipere esse extrinsecè, & per *ultimum sui non esse*, & desinere extrinsecè, & per *primum sui non esse*, idè conuincunt de his quietibus. Et modo cõ-

fir-

firmatur, quia hæc quietes non dicunt qualemcumque carentiam motus, sed carètiã, quæ conuenit subiecto pro illa duratione, in qua aptum est moueri, sed subiectum non est aptum moueri in instante, sed in tempore: ergo neque istæ quietes poterunt esse in subiecto in instante, sed in tempore; & consequenter neque incipient per *primum sui esse*; neque desinent per *ultimum sui esse*. Vnde si dubium propositum intelligatur (vt intellexit Arist. & communiter intelligunt Auctores) de his quietibus priuatiuis, falsa erit sententia in principio proposita.

16 Neque rationes pro ipsa adductæ alicuius sunt momenti. Ad primam fatemur, motum desinere esse extrinsecè, & per *primum non esse*: ex hoc autem, etsi rectè inferatur, quietem negatiuam incipere esse intrinsecè, & per *primum sui esse*; non tamen inferitur idem de quiete priuatiua: imò potius inferitur oppositum. Et ad probationem dicimus, in illo instanti, in quo primò non est motus, esse quietem, non priuatiuam, sed negatiuam; priuatiua autem erit tempore immediatè sequente ad illud instans; ac per consequens sicut pro illo instante verificatur, *nunc non est motus, & tempore immediato erat*, ita verificatur; *nunc non est quies priuatiua, sed tempore immediato erit*.

17 Ad secundum respondetur in illo vltimo instante quietis

mobile non moueri, sed quiete. non quidem quiete priuatiua, sed negatiua; quæ talis conditionis est, vt det quieti priuatiuæ, quòd sit vltimo terminata: sicut enim motus habet sua indiuisibilia realia, & positiua, quibus continuatur, & terminatur, ita & quies, quæ est priuatio motus sui (non positiua) indiuisibilia habet, quibus suo modo continuatur, & terminatur; & huiusmodi indiuisibilia sunt quietes negatiuæ.

## SECTIO II.

*Explicatur modus inceptionis, & desinitionis rerum permanentium, quæ fiunt, & desinunt esse per motum successiuum.*

18 DE rebus permanentibus quæ fiunt, & desinunt esse per verum motum successiuum, cõmunis, & recepta sententia est, incipere extrinsecè, & per *ultimum sui non esse*; & desinere etiam extrinsecè, & per *primum sui non esse*; non secus ac dictum est incipere, & desinere esse ipsum motum successiuum, quo medio accipiunt esse, vel illud amittunt. Et ratio est, quia (vt sæpè dictum est) etiã si motus materialiter sumptus, & eius terminus distinguantur realiter, sed non vt res à re, sed vt eadem res secundum diuersum, & realem modum essendi: ergo quòd motus, & terminus eius in sua inceptione, & desitione omnino proportionentur, necessarium erit: ac per consequens, si motus

incipit, & desinit extrinsecè, quòd etiã eius terminus extrinsecè incipiat, & desinat; erit necessarium.

19. Confirmatur, & declaratur amplius: ideò motus non potest incipere intrinsecè, & per *primum sui esse*, quia in motu non est assignabilis aliqua pars ita prima, vt ante ipsam non sit assignabilis alia, & alia prior in infinitum; & similiter ideò motus nò potest desinere intrinsecè, & per *ultimum sui esse*, quia in motu nò est assignabilis aliqua pars ita vltima, vt post ipsam non sit assignabilis alia, & alia vltimior in infinitum: sed etiã in rebus permanentibus, quæ per motum fiunt, & per motum desinunt esse, nò potest assignari pars ita primò producta, ante quã nò sit assignabilis alia, & alia in infinitum prius producta; nec similiter potest assignari pars, quæ ita vltimè desinat esse, vt non sit assignabilis alia, & alia in infinitum, quæ magis vltimè desinat esse: ergo pariformiter dicendū erit de rebus permanentibus, quæ fiunt, & desinunt esse per motum successiuum; non posse incipere intrinsecè, & per *primum sui esse*; nec desinere intrinsecè, & per *ultimum sui esse*: sed potius incipere extrinsecè, & per *ultimum sui non esse*; & desinere etiam extrinsecè, & per *primum sui non esse*; non secus, ac philosophati sumus de motu.

20. Et si quæras, quænam sunt

istæ res permanentes, quæ fiunt; & desinunt esse per motum successiuum, & consequenter incipiunt extrinsecè, & similiter extrinsecè desinunt? Respondetur huius generis esse ex accidentibus tria illa genera, ad quæ diximus lib. 5. disp. 1. dari per se motum, nimirum omnes vbi-uationes, tam circumscriptiuas, quàm definitiuas; omnes quantitates permanentes; & omnes qualitates, quæ supponunt in subiecto, in quo producuntur, qualitatè sibi gradualiter, & diuisibiliter oppositam. Ex substantijs verò omnes materiales inanimatæ, quæ fiunt per generationem, & desinunt per corruptionem; nam etiã si per se non petant fieri per motum successiuum; tamen, cum non habeant terminum intrinsecum paruitatis; (vt probauimus lib. 1. disp. 5. q. 5.) & insuper earum formæ inducantur in subiectum habens partes extensionis, quæ partes debent prius per alterationem successiuè disponi ad formæ introductionem; hinc fit, (licet per accidens) quòd de facto semper fiant successiuè; vt latè docuimus libro 5. disputat. 1. quæstione 3. numero 8.

21. Dices; cadauer est substantia materialis inanimata facta per generationem; sed cadauer non incipit extrinsecè, sed intrinsecè: ergo falsum est, omnes substantias materiales in-

inanimatas incipere extrinsecè; Minor probatur; nam pro illo instanti, in quo verificatur, *nunc non est viuens, & tempore immediato erat*, necessariò debet verificari, *nunc est cadauer, & tempore immediato non erat*; nam si pro tunc verificaretur (vt necessarium erat verificari ad hoc, vt cadauer inciperet extrinsecè) *nunc non est cadauer, & tempore immediato erit*, sequeretur, quòd pro illo instante materia prima esset absque vlla forma substantiali, quod naturaliter repugnat; siquidem pro illo instante, neque haberet formam viuētis, (scilicet, animam) neque haberet formam substantialem cadaueris.

22. Respondetur argumentum hoc militare quidem contra Thomistas, & alios auctores, qui affirmant, in viuētibus nò dari duas formas substantiales subordinatas in ratione potentia, & actus; vnam corporeitatis, (ex qua, & ex materia prima resultat corpus, quod est altera pars compositi viuētis) & alteram, quæ dicitur anima, ex qua, & ex corpore resultat viuens: sed solum ponunt vnam formam substantialem, scilicet, animam, quæ immediatè informat materiam primam, & illi tribuit non solum esse viuētis, sed etiam esse corporis organici. Hi enim necessariò fateri tenentur, in morte viuētis fieri resolutionem vsque ad materiam primam, & conse-

queter generari de nouo quãdam formam substantialem, quæ informando materiã primã tribuat illi esse corporeum; quam ipsi appellant formam cadaueris: contra quos auctores militat sanè argumentum factum. Tamè contra nos (qui cum Scoto sustinemus, vt lib. 1. de ortu, & interitu disp. 2. q. 4. latè constabit, in viuētibus dari duas formas substantiales subordinatas in ratione potentia, & actus, vnã, quam appellamus formam corporeitatis, quæ immediatè informat materiam primam, & simul cum illa constituit corpus, quod est altera pars compositi, & alteram, quæ dicitur anima, quæ immediatè non informat materiam primam, sed corpus, ex quo, & ex ipsa resultat viuens; & consequenter affirmamus, in morte viuētis, non fieri resolutionem vsque ad materiam primã; sed solum resolui viuens, & manere idem numero corpus, quod antea erat, cum eadem forma corporeitatis) argumentum allatum nò procedit: nam in morte viuētis, etsi corrumpatur viuens; sed non admittimus ad talem corruptionem consequi aliquam generationem substantialem. Quod si de nouo illud corpus incipiat denominari cadauer; tamen hæc denominatio solum prouenit ex carètia informationis animæ, quam habebat, dum erat viuens.

## SECTIO III.

*Explicatur modus inceptions, & desitionis rerum permanentium, quæ in sua inceptioe, vel desitione non subsunt motui successiuo.*

23 **P**ræsuppono res permanentes esse in duplici differentia; nam quædam sunt natura sua corruptibiles; quædam verò incorruptibiles: inter quas est hoc discrimē, quod in permanentibus, quæ natura sua sunt corruptibiles, actiones, quibus incipiunt, vel desinunt esse, per se mensurantur (si successiuæ sint) tempore; (si instantaneæ) instantibus temporis. Vnde lib. 4. disp. 3. q. 4. dicebamus, omnes res corruptibiles permanentes verè esse in tempore, licet non ratione sui esse permanentis; (sic enim duratio ipsarum est æuum, licet specie distinctum ab æuo, quo durant res permanentes natura sua incorruptibiles, vt latius ibi statuimus) ratione tamen motus, vel quietis, quibus in suo esse obnoxia sunt. At verò in rebus permanentibus, quæ natura sua sunt incorruptibiles, actiones, quibus incipiunt, vel desinunt esse, per se, neque tempore, neque instante temporis mensurantur. Vnde loco citato statuimus, res permanentes incorruptibiles nō esse in tempore, neque ratione

sui esse permanentis, neque ratione actionis, vel quietis, quibus in suo esse sunt obnoxia; quia tam duratio ipsarum, quæ actionum, quibus producuntur, (quæ dicitur æuum) permanens est, & consequenter incapax, vt à tempore, vel ab instante temporis per se mensurari possit. Et dixi notanter *per se*; nam per accidens (scilicet, ratione coexistentiæ, quam tam istæ res permanentes, quæ productiones, quibus incipiunt, & desinunt esse, habent cum nostro tempore, vel cum instantibus eius) bene possunt mensurari à tempore, vel ab instantibus eius; & de facto ab auctoribus mensurari dicuntur. Cum ergo in præsentibus inquirimus, quomodo incipiunt, & desinant esse res permanentes, quæ in sua inceptioe, vel desitione non subsunt motui, quæstio procedit, tam de permanentibus corruptibilibus, quàm de permanentibus incorruptibilibus, licet cum discrimine assignato.

24. Potest autem hæc difficultas dupliciter exagitari. Primò loquendo de modo inceptions, & desitionis ipsis connaturaliter debito. Secundò de modo, quem habere possunt potentia Dei absoluta. Et quidem loquendo de modo inceptions, & desitionis his rebus connaturaliter debito, vnum est certum apud auctores, & aliud vertitur in du-

dubium. Certum est, res istas connaturaliter incipere intrinsecè, & per *primum sui esse*. Et ratio est clara; quia illa incipiunt connaturaliter intrinsecè, quæ indiuisibiliter incipiunt, & non per partes priores, & posteriores: sed permanentia, quæ in sua inceptioe non subsunt motui, incipiunt indiuisibiliter, & non per partes priores, & posteriores (alias subsistent motui in sua inceptioe): ergo connaturaliter incipiunt intrinsecè, & per *primum sui esse*; ita vt verum sit dicere (si res istæ sint corruptibiles) *nunc est res, & tempore immediato non erat*, vel (si sint res incorruptibiles) *hinc nunc primò coexistit res, & tempore immediato non coexistebat*.

25 Quod in dubium reuocatur, est modus desitionis. Nam Patres Carmelitani hic disput. 26. quæst. 4. §. 2. affirmant, modum desinendi connaturalem his rebus permanentibus, quæ neque in sua inceptioe, neque in desitione motui subsunt, esse intrinsecum, & per *ultimum sui esse*. Quorum fundamentum nullum aliud est, nisi, quia indiuisibilia successiuorum, vt sunt instantia, & mutata esse, hoc modo desinunt: (vt ex dictis patet) ergo idem dicendum erit de rebus permanentibus, quæ in inceptioe, vel desitione motui non subsunt; nam, cum res istæ indiuisibiles sint, vel saltem mo-

dum incipiendi, & desinendi indiuisibilem habeant, eodem modo incipere, & desinere debent, (connaturaliter loquendo) quem obseruant indiuisibilia successiuorum.

26 Potest insuper probari instantia desitionis indiuisibiliū rerum permanentium quoties desinunt esse per aduentum formæ, quæ successiuè producitur; nam in hoc euentu necessariò videtur affirmandum, indiuisibilia ista desinere esse intrinsecè; quia desunt pro illo instante, in quo est indiuisibile initiatiuum formæ, quæ successiuè producitur: pro quo sicut verificatur, *nunc non est forma successiuè producta, sed & tempore immediato erit*; ita verificari debet, *nunc est indiuisibile permanentis, & tempore immediato non erit*: appono exemplū in motu augmentationis quantitatis præexistentis; nam indiuisibile terminatiuum quantitatis præexistentis desinit esse per aduentum partis quantitatis, quæ successiuè per augmentationem producitur, & non in alio instate, quàm in illo, quod est initiatiuum augmentationis; in quo sicut verificatur, *nunc non est augmentatio, & tempore immediato erit*, ita verificatur, *nunc est indiuisibile terminatiuum quantitatis præexistentis, & tempore immediato non erit*. Et idem potest exemplificari in motu intensionis qualitatis præexistentis, & in motu locali

mobilis, quod in loco quiescens præexistebat.

27 Sed vera, & recepta sententia (quã tenet Scotus quodlib. 1. 2. sub lit. L. vers. *In secundis autem*) sustinet, modum definendi connaturalem his rebus permanētibus, quæ neque in inceptioe, neq; in desitione subsunt motui, esse extrinsecum, & per *primum sui non esse*. Et ratio est, quia modus definendi per *primum non esse rei* est ita proprius, & cōnaturalis rebus, quæ desinunt esse, vt solum debeat denegari rebus, quibus ob specialem naturam ipsarū repugnat talis modus desitionis: (licet enim hic modus desinendi dicatur extrinsecus, facta comparatione ad ipsas res, quæ desinunt esse; est tamen intrinsecus ipsi actui destructionis, quo medio res desinit esse, vt ex dictis num. 4. constat) sed rebus permanentibus, que neque in sua inceptioe, neque in desitione subsunt motui, hic modus definendi non repugnat: (nam eo ipso quod permanentes sunt, debent durare in suo esse per aliquod tempus; & sic in termino illius temporis optime verificatur, *nunc non sunt*, & tempore immediato erant) ergo fatendum est, hunc modum desitionis esse illis proprium, & connaturalem.

28 Ad fundamentum Patrum Carmelitanorum cōcesso antecedente, negamus consequentiam: est enim dispar ratio de

indiuisibilibus successiuorum, ac de istis rebus permanētibus; licet enim res istæ sint indiuisibiles, vel in suo esse, vel saltem in modo incipiendi, & desinendi; tamen ipsarum duratio nō transit in instante; (sicut transit duratio indiuisibilium successiuorum) sed potius pro aliquo tempore perseverat: & sic non implicat, quod desināt per *primum sui non esse*; sicut probauimus implicare de indiuisibilibus successiuis n. 11. eo quod eorum duratio non potest perseverare aliquo tempore, sed potius in instante transeat: & cum ipsis non implicet hic modus desinendi, & aliàs sit proprius, & cōnaturaliter debitus omnibus rebus, quibus conuenire potest, erit etiam illis proprius, & connaturalis.

29 Ad probationē desumptā ab instantia desitionis indiuisibilium rerū permanentiū quoties fit per aduentū formæ, quæ successiuè producitur, negamus, adhuc in prædicto casu hæc indiuisibilia desinere esse intrinsecè. Neque hoc bene inferebatur ex eo quod hæc indiuisibilia desinant esse pro illo instante, in quo est indiuisibile initiatiuum formæ, quæ successiuè producitur; nam cū hoc indiuisibile (quod simul est terminatiuum formæ præexistentis: est enim continuatiua formæ, quæ successiuè producitur cum forma præexistente) impossibile sit cū indiuisibili

uisibili terminatiuo formæ præexistentis, tantum abest, vt pro illo instante, in quo verificatur, *nunc non est forma successiuè producenda*, & tempore immediato erit, verificari debeat, *nunc est indiuisibile terminatiuum formæ præexistentis*, & tempore immediato nō erit: quod potius debeat verificari oppositum, scilicet, *nunc non est indiuisibile terminatiuum formæ præexistentis*, & tempore immediato erat. Et hoc mirificè cōfirmat exemplum augmentationis quantitatis præexistentis, quod aduersarij adducebāt ad oppositum suadendum: cum enim indiuisibile terminatiuum quantitatis præexistentis in continua, & successiua augmentatione illius quantitatis non expellatur formaliter per partem quantitatis, quæ de nouo producitur, sed potius per indiuisibile initiatiuum illius partis quantitatis, hinc est, vt *primum non esse* illius non debeat verificari pro illo tempore, in quo debet esse illa pars quantitatis, quæ per augmentationem fit, sed pro illo instante, in quo habet esse indiuisibile initiatiuum illius, quod simul est terminatiuum partis præexistentis, & consequenter continuatiuum vtriusque partis: & sic necessariū est, vt pro illo instante, in quo verificatur, *nunc non est quantitas successiuè producenda*, sed tempore immediato erit, quod est instās, in quo existit indiuisibile initiatiuum illius partis

quantitatis, quæ de nouo producitur, simul etiā verificetur, *nunc non est indiuisibile terminatiuum quantitatis præexistentis*, & tempore immediato erat: aliàs pro illo instante darentur simul indiuisibile terminatiuum, quod erat in parte quantitatis præexistentis, & initiatiuum, seu continuatiuum partis quæ de nouo adueniētis cū quæritate præexistente, quod implicationem inuoluit. 30 Etsi quæras, quænam sint hæc entitates permanentes, quæ in inceptioe, & desitione non subsunt motui, & consequenter cōnaturaliter incipiunt intrinsecè, & per *primum sui esse*, & desinunt extrinsecè, & per *primum sui non esse*? Respondetur, in primis huius generis esse omnia ingenerabilia, & incorruptibilia. (quæ eo ipso à Deo immediate producuntur; & similiter actiones, quibus à Deo producuntur) Hæc sunt materia prima, cæli, omnes substantiæ spirituales, vt sunt Angeli, & animæ rationales, & omnes habitus supernaturales, & per se infusi: & ex rebus generalibus, & corruptibilibus omnia viuētia; nā, cū hæc habeāt via generationis terminū intrinsecū partitatis, & magnitudinis, (vt ex dictis lib. 1. disp. 5. q. 4. constat) manifestū est, nō fieri per motū successiuū, sed per mutationē instantaneā, in illo, scilicet, instante, in quo ad prædictū terminū magnitudinis, vel paruitatis deueniūt. Et ex accidentibus cor-

poralibus sunt huius generis lux, & species intentionales, ( quantum est ex se ) & cæteræ qualitates, ad quas lib. 5. disp. 1. q. 2. negauimus dari per se motum, eo quod non supponebant in subiecto qualitatem contrariam, vel si supponebāt, non tamen opponebantur ei diuisibilitate, sed potius indiuisibilitate, & in quocumque gradu; vt scientia, & error; amor, & odium circa idem obiectū. Et dixi notanter *quantum est ex se*; nam per accidens, ratione, scilicet, applicationis, communiter lux, & species intentionales in aliquo determinato spatio sunt successiuæ, eo quod successiuæ ei applicetur luminosum, quod est, quod causat lucem, vel obiecta, quæ sunt, quæ causant, vel emittunt species intentionales. Item omnia indiuisibilia, quibus partes continui permanentis (quodcumque illud sit) continuantur, & terminantur.

31. Loquendo autem de modo inceptions, & desitionis, qui potentia Dei absoluta his rebus conuenire potest, dissidium est inter auctores; nam quidam defendunt, non posse (adhuc potentia absoluta) incipere res istas extrinsecè, nec desinere intrinsecè. Ita Ferrara 3. contragentes capite 65. §. *Utrum autem*, & cap. 69. §. *Utrum autem*. Vallesius 8. Physic. cap. 1. & cōtrouersia 46. ad tyrones. Et quoad inceptionem

idem tuentur. *Marsius cap. 10. huius libri sect. 2. q. 10. & Rubiustract. de inceptiōe, & desitione rerum sub num. 108.* quamuis hic auctor, quoad desitionem oppositum sustineat; nescio, an consequenter; nam rationes, quæ adducuntur ad probandum implicare, quod res permanentes, quæ in inceptiōe, & desitione non subsunt motui successiuo, incipiant extrinsecè, aut non sunt efficaces, aut si sunt efficaces, eandem efficaciam habent ad probandum, implicare, quod hæ res desināt intrinsecè, vt ex dicendis constabit. Instantia autem indiuisibilium successiuorum, quæ etiam si necessario incipiāt intrinsecè, de facto desinunt intrinsecè, qua præcipuè nititur Rubius ad probandum, etiam si sit necessariū simpliciter, quod permanentia, de quibus loquimur, incipiant intrinsecè, non tamen esse necessarium simpliciter, quod desinant extrinsecè, sed posse potentia Dei absoluta opposito modo desinere; scilicet, intrinsecè, non est ad rem; nam etiam si res istæ permanentes indiuisibiles sint, vel in sua entitate, vel saltē in modo incipiendi, vel desinendi, non tamen eodē modo desinunt, ac indiuisibilia successiuorum, sed potius modo opposito, eo quod hæc indiuisibilia habēt durationem in instanti transeuntem; at prædictæ res permanentes habent dura-

tio-

tionem, quæ necessariò debet aliquo tēpore permanere: ( vt num. 28. aduertebamus ) & sic ineptè ex modo desinendi indiuisibilium successiuorū colligit Rubius modum desinendi harum rerum permanentiū. Quod inde manifestè ostenditur; nam si ex modo desinendi indiuisibilium successiuorum inferri deberet modus desinendi harum rerum permanentiū, inferretur sanè implicare, quod istæ res permanentes desināt esse extrinsecè; siquidem ( vt num. 11. ostendimus ) implicat, quod indiuisibilia successiuorū desinant extrinsecè. 32. Alij verò defendunt, etsi connaturale sit his rebus permanentibus, quæ in inceptiōe, & desitione non subsunt motui successiuo, incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè; tamen potentia Dei absoluta posse opposito modo incipere, & desinere. Ita Scotus 6. Physic. q. 3. Toletus q. 4. *Conimbricenses lib. 8. huius operis cap. 8. q. 2. art. 5. & 6. Pererius lib. 14. cap. 9. & communiter recentiores*; & videtur Scoti quodlib. 12. lit. L. 33. Nobis autem distinguendum est; nam ( vt n. 23. animaduerti ) res permanentes sunt in duplici differētia: aliæ quippè sunt naturaliter generabiles, & corruptibiles; aliæ verò naturaliter ingenerabiles, & incorruptibiles, inter quas hoc constituebamus discrimē, quod in-

permanentibus primi generis actiones, quibus incipiunt, & desinunt esse, per se mesurantur tempore, vel instantibus reiporis: at in permanentibus naturaliter incorruptibilibus, & ingenerabilibus actiones, quibus incipiunt, vel desinunt esse, per se, neque tempore, neque instantibus temporis mesurantur, sed solum per accidens, ratione, scilicet, coexistentiæ, quam dicunt ad tempus, aut ad illius instantia.

34. Si sermo sit de rebus permanentibus primi generis, dicendum est, implicare, quod huiusmodi res (quādo talis naturæ sunt, vt in sua inceptiōe, & desitione non subsunt motui successiuo, sed potius mutationi instantaneæ) incipiant extrinsecè, & per *ultimum sui non esse*, & quod desinant intrinsecè, & per *ultimum sui esse*. Et de his rebus verā est prima sententia, & intelligēdi sunt auctores pro ipsa citati; atque ipsam amplectitur Scotus loco citato, & probari potest efficacibus rationibus.

35. Prima, ea, quæ incipiunt extrinsecè, recipiunt esse successiuè, & per partes; nam, cū non recipiant esse pro illo instante, in quo incipiunt, ( alias non extrinsecè, sed potius intrinsecè incipere dicerentur ) sed tempore, quod immediatō sequitur ad illud instans, necessariò debent recipere esse ( si sunt illius generis rerum, quarum

rum

inceptio fit per actionem, quæ per se petit, a tempore nostro, vel instantibus illius mensurari) commensuratiuè ad tempus, in quo fit, & ita ut vnam partem sui esse recipiant in vna parte temporis, & aliam in alia: quod manifestè repugnat illis rebus permanentibus, quæ in sua inceptioe nõ subsunt motui successiuo, sed potius mutationi instantaneæ. Quod argumentum etiã conuincit repugnare rebus permanentibus, quæ in sua desitione non subsunt motui, sed mutationi instantaneæ, desinere esse intrinsecè: siquidem permanentia, quæ sic desinunt, recipiunt non esse successiuè, & per partes, cum non recipiant illud in instante illo, in quo incipiunt desinere esse, (aliàs non intrinsecè, sed extrinsecè desinere dicerentur) sed tempore immediatè sequente ad illud instans: & sic necessariò debent recipere non esse (si sunt ex illis rebus, quarum desitio petit per se à tempore nostro, vel instantibus illius mensurari) commensuratiuè ad illud tempus in quo recipiunt non esse; & ita ut vnam partem sui non esse recipiant in vna parte illius temporis, & aliam in alia: quod aperte repugnat illis rebus, quæ in sua desitione non subsunt motui successiuo, sed potius desitio totius esse fit in instante.

36 Secunda ratio. Si huius-

modi res permanentes acciperent esse in tempore, (ut necessariò fatendum est, illud accipere in casu, quod extrinsecè inciperent) vnum ex duobus necessariò fatendum esset, vel quod reciperent totum suum esse in toto tempore, & partem in parte temporis; vel quod reciperent totum suum esse in qualibet parte illius temporis; quorum vtramque repugnat; nam primum repugnat inceptioe, quæ fit per mutationem instantaneam, qualem supponimus esse inceptioem rerum istarum permanentium, de quibus modò loquimur. Secundum repugnat rebus, quæ fiunt per actiones, non permanentes, sed transeuntes; & consequenter, quæ tempore, vel instantibus temporis nostri per se mensurantur; ut sunt res permanentes corruptibiles, de quibus modò est sermo; nam sequeretur, eandem numero rem semel per vnam actionem productam, & in suo esse manentem iterum, atque iterum diuersis, & nouis actionibus produci. Et idem argumentum applicari potest ad probandum res permanentes, de quibus nunc loquimur non posse absque implicatione accipere non esse in tempore; ut necessariò fatendum est, illud accipere in casu, quod intrinsecè desinere.

37 Tertia ratio. Implicat, quod ea, quæ fiunt in tempore; & per partes, accipiant totum suum

suum esse in instante, & consequenter, quod incipiant intrinsecè: ergo etiam implicabit, quod ea, quæ fiunt in instante temporis accipiant suum esse in tempore, & per partes; & consequenter, quod incipiant extrinsecè: non enim est maior repugnantia in hoc, quod tempus adæquetur instanti illius, quàm è contra, quod instans temporis adæquetur tempore. Sed entia permanentia, quæ in sua inceptioe nõ subsunt motui; & aliàs actio, qua producuntur, mensuratur per se à tempore nostro, vel instantibus eius, fiunt in instante temporis nostri: ergo implicat, quod huiusmodi permanentia accipiant suum esse in tempore, & consequenter, quod incipiant extrinsecè.

38 Sed obieciens; indiuisibilia successiuorum accipiunt non esse in tempore, quod immediatè sequitur ad illud instans, in quo verificatur de ipsis, quod sint; & tamen non infertur, debere accipere illud non esse successiuè, & per partes: ergo non rectè supra inferebamus ex eo, quod permanentia acciperent non esse in tempore, debere illud accipere successiuè, & per partes. Respondetur de indiuisibilibus successiuorum non posse verificari, quod accipiant non esse in tempore immediatè sequente ad illud instans, in quo sunt, seu fluunt; sicut verifica-

retur de rebus permanentibus corruptibilibus in hypothese, quod desinere intrinsecè: & sic instantia nõ est ad rem. Cuius ratio est, quia solum verificari potest de aliquo accipere non esse pro aliquo tempore, quando habet, quod non sit in illo tempore ab aliqua causa extrinseca suspendente concursum, quo conseruandum erat pro illo tempore: quod non cõpetit indiuisibilibus successiuorum; nam ista non habent, quod sint pro illo tempore, quod sequitur immediatè ad instans, in quo sunt, seu fluunt ab aliqua causa extrinseca suspendente concursum, quo conseruanda erant pro illo tempore, sed ab intrinseca natura sua, cui repugnat; quod pertingat ad illud tempus.

39 Si verò sermo sit de rebus permanentibus secundi generis, dicendum est cum Scoto quodlib. citato, etsi conaturaliter incipiãt intrinsecè, ita ut de primo instante temporis nostri, cui coexistit, tam ipsarum esse, quàm in ipsarum productio, verificetur, huic instanti temporis nostri coexistit productio istarum rerum permanentium, & tempore immediato non coexistebat; & similiter conaturaliter desinant extrinsecè, (in hypothese, quod à Deo annihilarentur) ita ut in instante terminatio temporis nostri, cui coexistit, tam ipsarum esse, quàm ipsarum productio, verificetur, huic instanti tem-

teraboris non coexistit esse, vel productio istarum rerum, & tempore immediato coexistebat; nihilominus potentia Dei absoluta posse incipere, & desinere modis oppositis, scilicet, incipere extrinsecè, & per vltimum non esse coexistentiæ ipsarum ad nostrum tempus; & desinere intrinsecè per vltimum esse coexistentiæ ipsarum ad instans vltimum temporis, cui coexistunt. Et de his rebus permanentibus vera est secunda sententia, & intelligendi sunt eius auctores.

40 Et ratio est clara; nam, cum nō solum esse istarum rerum, sed etiam ipsarum productio, media qua pēdent à Deo, sit quid permanentis, & in eodem suo esse perseverans, & coexistens, tam instātibz nostri temporis, quā partibus illius, potuit absque vlla implicatione harum rerum productio poni à Deo in rerum natura, ita vt primò coexistet instanti temporis nostri; & sic diceretur incipere intrinsecè: & similiter potuit poni in rerum natura, ita vt primò coexistet alicui parti temporis nostri; & sic diceretur incipere extrinsecè. Vnde, quia creatio Angeli eadē inuariata coexistit nostro tempori, tam præfenti, quā præterito, & futuro, de Angelo non solum verificatur, quòd creatus sit tempore præterito, sed etiā, quòd modo creatur, & quòd creabi-

tur tempore futuro. Et idem argumētum fieri potest de definitione in hypothesi, quòd Deus annihilaret aliquam harum rerum; nam suspensio cōcursus Dei, per quam fieret annihilatio, etiam est quid (etsi negatiuum) permanentis; quòd non mensuratur tempore, cum duratio eius sit æuum; & sic est quid indifferens ad coexistendum primò, vel cum instante nostri temporis, vel cum parte nostri temporis.

41 Nec refert, quòd tam productio istarum rerum, quā ipsarum desitio sint indiuisibilia, & inextēsa; nam etsi sint indiuisibilia, & inextēsa formaliter; tamen sunt diuisibilia, & extēsa virtualiter respectu temporis nostri, cui coexistunt. non secus, ac contingit Angelis respectu loci, in quo sunt; & animæ nostræ respectu corporis, quòd informat: quæ virtualis diuisibilitas, seu extensio repugnat generationibus, & corruptionibus instātanis, quibus res naturaliter generabiles, & corruptibiles accipiunt, vel amittunt suum esse; quia, cum istæ generationes, & corruptiones non sint permanentes, sed fluētes, earū duratio non est æuum, sed potius instans temporis nostri, cui repugnat, partibus nostri temporis coexistere.

# LIBER SEPTIMVS

## DE PHYSICO AVDITV, SEV auscultatione.

TEXTVS. *Omne quod mouetur, necesse est ab alio moueri, &c.*

### SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

**I**N hoc septimo libro (qui quinque continet capita) præcipuum intentum Arist. est explicare ordinem, quem dicunt motus, tam ad mouentia, quā inter se. Diuiditur in duas præcipuas partes. In prima per tria priora capita ostendit, in mouentibus, & motis essentialiter subordinatis non esse procedendum in infinitum, sed deueniendum esse ad vnum primum mouens, quòd à nullo alio moueatur. In secunda per duo posteriora capita disputat de proportionemotus.

Acedendo ad primam partem, in primo capite, vt probet præcipuum, quòd intendit (scilicet, in rerum natura dari vnum primum motorem, qui omnia mouens à nemine moueatur) ponit in fronte capituli hoc illustre theorema, *nihil mouetur à se primò, sed quod mouetur primò, ab alio moueri necesse est.* Et quia hoc theorema est manifestum in his, quæ mouentur à principio extrinsecò, & solum poterat de eo dubitari in his, quæ mouentur à principio intrinsecò, in quibus etsi vna pars moueatur ab alia, tamen videtur, quoad apparentiam, quòd idem mouetur primò à se ipso; eo quòd pars mouens aliam simul mouetur, licet per accidens, cum parte mouente; idè probat hoc theorema esse verum, etiam in his, quæ mouentur à principio intrinsecò. Ad quòd probandum aliqua supponit. Primum est, *illud solum dici primò, & per se moueri, quòd non mouetur ad motum alterius; neque etiam dicitur moueri, quia aliqua eius pars mouetur, sed quòd motu proprio, & secundum omnes suas partes mouetur.* Secundum est, *illud, quòd inest alicui primò, non posse remoueri ab illo, dato, quòd remoueatur à quocumque alio, quòd non est ipsum.* Et hinc colligit tertium præsuppositum, scilicet, *quidquid, altero quiescente, à motu desistit, id neutiquam à se ipso primò mouetur.* Quartum est id, quòd probauerat in 6. scilicet, *omne, quòd mouetur, est quid*

quid diuisibile. Et denique quintum, quod supponit, est, *partem esse aliud a suo toto*. His suppositis hanc conficit rationem. Cum omne, quod mouetur, diuisibile sit, ponamus, quod quiescat prima illius pars, & moueatur posterior. Tunc arguitur sic: aut quiescente illa prima parte rotum mobile mouetur, aut quiescit. Si dicas, moueri: ergo non primo, & per se; ex prima suppositione. Si dicas quiescere; tunc sic argumentor; illud non mouetur a se ipso primo, quod quiescit ad quietem alterius, quod non est ipsum: (ex secunda, & tertia suppositione) sed prima pars mobilis est aliud a toto mobili: (ex quinta suppositione) ergo, si totum mobile dicitur quiescere ad quietem primæ partis, sequitur, quod nullum mobile moueatur a se ipso primo, etiam in his, quæ mouentur a principio intrinseco. Deinde ponit aliud theorema, scilicet, *in mouentibus, & motis essentialiter subordinatis non posse dari processum in infinitum*. Ad quod probandum aliqua supponit. Primum est, *quod simul tempore mouens mouet, & mobile mouetur*. Ex qua suppositione infert, quod si in mouentibus, & motis essentialiter subordinatis daretur processus in infinitum, simul fierent infiniti motus infinitorum mobilium in eodem tempore, in quo sit motus vnus illorum infinitorum mobilium. Secundum est, *quod si sint infinita mouentia, & mobilia, quorum vnum mouetur ab alio, & illud ab alio, & sic in infinitum, tunc contingit accipere motum vnus illorum mobilium, & ille motus est finitus; quia factus in tempore finito, & supra spatium finitum*. His suppositis probat prædictum theorema ex impossibili, quod sequeretur ex eo, quod in mouentibus, & motis essentialiter subordinatis daretur processus in infinitum, nimirum, quod in tempore finito fieret motus infinitus. Sequelam probat, quia motus omnium illorum mouentium, & mobilium fiunt in eodem tempore, in quo sit motus vnus ipsorum; (ex prima suppositione) & ille fit tempore finito: (ex secunda suppositione) ergo motus aggregatus ex motibus omnium illorum mobilium fit in tempore finito; & ille est finitus; quia est infinitorum mobilium. Sed obijcit contra rationem factam, quia etsi impossibile sit, motum infinitum fieri tempore finito, (vt probatum fuit libro 6.) tamen ratio facta non conuincit hoc inconueniens; sed solum conuincit, quod motus infiniti diuersorum mobilium fierent in eodem tempore finito; quod nullum est inconueniens. Vt huic obiectioni respondeat, supponit id, quod ex professo probat in capite 2. huius libri, nimirum omne mouens debere esse simul cum motu: & hoc supposito respondet, quod non est cura, siue ille

motus sit vnus mobilis infiniti, siue infinitorum mobilium se inuicem tangentium; quia si ex omnibus illis fieret vnum, illud esset infinitum. Hinc colligit intentum, scilicet, dari vnum primum motorem, qui etsi omnia moueat, tamen a nullo alio moueatur: nam si omne, quod mouetur, non mouetur a se primo, sed ab alio mouetur: & insuper in mouentibus, & motis subordinatis essentialiter non datur processus in infinitum: ergo deueniendum est ad vnum primum motorem, qui etsi omnia alia moueat, ipse tamen a nullo alio moueatur.

In secundo capite ex professo probat id, quod in capite præcedente supposuerat, nimirum, *id, quod mouet primo, & non vt finis, sed actiue, simul esse oportere cum eo, quod mouetur*. Id autem probat inductione discurrendo per tria genera motuum. Et incipiendo a motu locali, sic probat. Quæcumque loco mouentur, vel mouentur a principio interno, vel externo: sed quocumque modo moueantur, semper id, quod motum edit, cum re mota coniunctum est: ergo semper mouens localiter, & quod mouetur, simul sunt. Priorem partem assumpti (scilicet id, quod a principio intrinseco mouetur, motori esse coniunctum) satis apertum esse dicit. Vt autem posteriorem probet, ostendit, quadrupliciter posse quidpiam a principio extrinseco localiter moueri, scilicet, *tractu, pulsu, reuolutione, & volutatione*; nam cæteri modi facile ad hos reuocari possunt: & sigillatim his quatuor modis explicatis, simulque ad duos reductis, scilicet, ad *pulsu*, & *tractu*, ita ratiocinatur. Omnis latio, quæ ab extrinseco oritur principio, ad *pulsu*, *tractu*que reuocatur: sed tam quod pellit, quam quod trahit, proximum, & attiguum est ei, quod mouetur (vt ex definitione pulsus, & tractus constat) quidquid ergo loco mouetur, rei motæ proximum est. Vt hoc ipsum in motu alterationis demonstret, scilicet, id, quod proximè alterat, coniunctum esse ei, quod alteratur, exponit, ad quasnam qualitates spectat alteratio, & quænam res alterationem subeunt, dicens, quod qualitates, ad quas alteratio pertinet, sunt calor, frigus, humor, siccitas, raritas, densitas, aliæque id generis, quæ in tertia qualitatis specie constituuntur: res verò, quæ alterationem subeunt, sunt tam animatæ, quam inanimatæ; tam partes sensu præditæ, & sensus ipsi, quam quæ sensu carent; licet de sensibus, quia non propriè alterationem subeunt, non simpliciter, sed quodammodo eos alterari pronuntiat. Inter res autem alterationi subiectas hoc ponit discrimen, quod eadem alterationes, quæ inanimatis conueniunt, etiam ani-



matris competant, sed non à contra: nam res inanimatæ non afficiuntur sensuum alterationibus: item, quòd inanimatæ alterari se non sentiant; animatæ verò, si sensu præditæ sunt, alterationes suas dignoscant; nisi fortè huiusmodi alterationes ad sensus non pertineant, vt cum albescunt; has enim late-re non repugnat. His suppositis probat suum intentum inductione; nam cum v. g. manus ab igni distante calefit, id, quòd proximè aerem alterat, est ignis aeri contiguus, & id, quòd proximè alterat manum, est aer manui contiguus: & idem exemplificat in reliquis sensibus, & in rebus inanimatis. Demum idem demonstrat in motu augmentationis, & diminutionis; nam id, quòd auget, & quòd minuit, simul sunt cum eo, quòd augetur, & diminuitur, cum augmentatio fiat apponendo, & diminutio detrahendo, quorum vtrumque ei, quòd augetur, & quòd minuitur, contiguum esse, necessarium sit.

In tertio capite demonstrat id, quòd in superiori capite supposuerat, scilicèt, propriam alterationem solum in qualitatibus tertie speciei, quæ dicitur passio, vel passibilis qualitas, reperiri: nam, si in alijs reperiretur (inquit Arist.) maximè in figuris, & habitibus, eorumque acquisitione, & amissione: & quòd in his non reperitur, ostendit. Et primò, quòd non in figuris, quia id, quòd figuratum est, non iam eo dicitur nomine, quo antequàm figuram acciperet, dicebatur: at, quòd alterationem subit, eandem retinet appellationem. Ostendit assumptum; nam, cum æs in statuam, cera in pyramidem efformatur, non iam æs, non ceram dicimus: at si æs, cerave humectetur, aut durefcet, æs humidum, ceram duram vocamus; & è contra ipsum etiam humidum, aut durum æs, aut ceram nuncupamus; quæ tamen reciprocatio in figuris esse nequit. Item, id, quòd figuram, formam ve accipit, vt statua, dicitur fieri, non secus ac dicitur homo fieri, cum gignitur; absurdum verò est dicere, id, quòd fit, alterari. Monet autem, licèt generatio non sit alteratio, alterationem esse comitem generationis; siquidem ante rei ortum nunc adensatur, nunc rarefcit materia, nunc alijs id generis qualitatibus afficitur. Deinde probat, quòd etiam non recipiatur propria alteratio in habitibus: & quia habitus sunt in duplici differentia; nam alij sunt corporales, vt pulchritudo, sanitas, & robur corporis; alij morales, vt iustitia, fortitudo, &c. Alij intellectuales, vt sciëntia, sapientia, &c. Primo id ostendit de habitibus corporalibus: nã habitus isti (inquit) aut virtutes sunt, aut vitia (sumit hic no-

men virtutis laxiori significatione, scilicèt, pro ea qualitate, quæ res ad suas functiones ritè obeundas idonea redditur; quòd genus virtutis etiam in plantis, imò & in arte factis reperitur.) Si virtutes eis perficimur; nihil verò alterari dicitur, cum perfectionem assequitur, vt domus, cum fastigium accipit. Si vitia, cum hæc contrariantur virtutibus, & contrariorum eadem sit ratio, nihil alterari censendum erit, cum in vitia labitur. Item, cum corporis virtutes, & similiter vitia eis opposita, sint eorum, quæ sunt ad aliquid, non poterunt alterationem per se terminare; nam ad ea, quæ sunt ad aliquid, non datur per se motus; ex dictis in 5. libro. Probat autem, sanitatem, pulchritudinem, & robur, quæ sunt corporis virtutes, esse eorum, quæ sunt ad aliquid, ex eo, quòd in commensuratione quadam consistunt: nam sanitas posita est in commensuratione elementorum, & proportionem primarum qualitatum, tam inter se, quam in ordine ad continens; pulchritudo in proportionem membrorum cum quadam coloris suauitate; robur verò in membrorum, & ossium commensuratione, in qua corporis firmitas consistit. Secundo idem ostendit de habitibus, seu virtutibus moralibus, & vitijs illis oppositis similibus argumentis. In primis, quia, cum virtutes istæ rectè, & vitia præuè animam afficiant, necessariò inter ea computari debent, quæ ad aliud referuntur: deinde, quia animus virtutibus excolitur, vitijs degenerat; nihil verò alteratur, cum perfectionem comparat, aut illam amittit; conueniet ergo his (inquit Arist.) non alteratio, sed generatio potius, vel interitus, id est, mutatio quamdam cum generatione, & interitu similitudinem habens; quæ mutatio non absque sentientis partis alteratione præuè contingit: nam moralis virtus circa voluptates corporis, doloresque versatur: hæc autem sine motu appetitus, & transmutatione corporea esse nequeunt. Quòd inde suadet, quia voluptates omnes, vel ad actionem pertinent, vel ad memoriam, vel ad spem; siquidè aut rebus præsentibus, & quæ actu sensus mouent, oblectamur; aut iucunda præteritorum recordatione fruimur; aut futurarum expectatione delinimur: qui affectus in partibus sentientibus alterationem commouent. Id, quòd de voluptate dicimus, suo modo de dolore; & quòd de virtutibus, similiter de vitijs illis oppositis pronuntiandum erit: habent enim vitia omnia sua oblectamenta (etsi fallacia, & inania) quibus eodem pacto corpus solet immutari. Tertio probat, non alterari animum, dum scientias acquirit, quia sciens maximè eorum, quæ ad aliquid dicitur. Quòd inde probat, quia aliquis sciens sit nulla facta mutatione in facultate intelle-

ctiua, sed solum facta mutatione in potentijs sensitiuis præcunte experientia, quæ ex collecta singulorum notione oritur. Item docet, vsum scientiæ non esse generationem; quia non est maior ratio, cur actus sciendi dicatur generatio, quam actus tangendi, aut actus videndi. Confirmat præterea, ad scientiam, neque alterationem, neque generationem terminari per se, quia si ad scientiam esset aliquis ex his motibus, vel hoc esset, quando scientia de nouo acquiritur, vel quando habens scientiam exit in actum scientificum, postquam prius non scientificè considerabat. Sed neutro modo; ergo, &c. Non secundo modo, quia si dormiens, ebrius, vel infirmus actu scientificè, non considerat, hoc est propter impedimentum aliquod, scilicet, propter perturbationem sensuum interiorum, quæ prouenit à qualitibus interioribus inordinatis; quo impedimento sublato statim secluso quocumque motu actu scientificè considerat. Nec primo modo, quia infantes non possunt similiter meditari, sicut senes propter magnam perturbationem sensuum interiorum, & propter motus vehementes potentiæ nutritiæ, & augmentatiuæ; & sic oportet, istos motus repelli, & sedari, vel à calore digerente humiditatem superfluam, vel à virtute morali; & sic temper acquiritur scientia consecutiue ad alios motus. Vnde dicit Aristotel. quod inquietari fit anima sapiens, & prudens, id est, inquietatione motuum interiorum, per quos impediuntur sensus.

Accedendo ad secundam partem in quarto capite proponit Aristotel. hanc quæstionem, *An omnes motus sint incomparabiles inter se?* Eamque dubiam reddit arguens in fauorem vtriusque partis. In fauorem partis negatiuæ, quia si omnes motus possent inter se comparari, motus localis rectus comparabitur circulari, eique æqualis, vel inæqualis diceretur: quod est falsum: aliàs linea recta, super quam fit, comparabitur circulari, eique æqualis, vel inæqualis vocabitur; quod est impossibile, quia non possunt sibi inuicem supponi, & superponi. Et, quod magis absurdum est, alteratio comparabitur motui locali; & ex consequenti comparabuntur termini istorum motuum, videlicet *vbi*, & qualitas, & dicentur æquales, vel inæquales: quod planè absurdum est. In fauorem affirmatiuæ partis; quia, si non omnes motus essent adinuicem comparabiles, maximè hoc contingeret in motu recto, & circulari; sed motus rectus, & circularis sunt adinuicem comparabiles; quia motus circularis est velocior motu recto: v. g. si in eodè tempore vnũ mobile moueretur per cordã motu recto, & aliud moueretur per ar-

arcum motu circulari, quod moueretur per arcum, moueretur velocius, siquidem in eodem tempore plus spatij pertransit. Nec refert, si dicat, quod licet motus circularis esset velocior recto, tamen impossibile est, quod sit æquè velox; nam contra hoc est, quod vbi est dare maius, & minus, ibi est dare medium, & consequenter æquale: ergo si inter motum circularem, & rectum est dabilis maioritas, & minoritas in velocitate, etiam erit dabilis æqualitas. Deinde, vt huic quæstioni satisfaciatur, ponit conditiones requisitas ad hoc, vt inter aliqua fieri possit comparatio. Prima est, vt illa, quæ comparantur, in illa ratione, in qua fit comparatio, sint vniuoca. Et probat primò, quia non alia ratione ineptè comparatur stylus, & vinum in acutie, nisi quia acuties non vniuocè, sed æquiucè de stylo, & vino dicitur. Sed obijcit contra hoc, quia multum respectu aëris, & aquæ vniuocum est, nec tamen aërem cum multitudine aquæ comparamus. Quod si quis neget, multum eadem ratione aëri, & aquæ conuenire, occurrit, saltem duplum vniuocè eis competere, cum in vtroque duplum sit duorum ad vnum proportio; & sicut se habet duplum aëris ad suum dimidium, ita duplum aquæ ad suum. Respondet, quod si aër, & aqua comparentur adinuicem secundum extensionem, cum aër, & aqua conueniant vniuocè in extensione, possunt optimè commensurari secundum multum, & paucum, & secundum duplum, & dimidium, si comparentur secundum multitudinem materiæ; quia aër, & aqua conueniunt vniuocè in materia: at si comparentur adinuicem secundum suas rationes formales, & substantiales, non est propriè comparatio, quia in hoc non conueniunt aër, & aqua: etsi de eis quantum ad hoc dicatur duplum, dicitur æquiucè, & non vniuocè: & quando dicitur, quod duplum dicitur secundum eandem rationem, quod scilicet est proportio duorum ad vnum, respondetur quod sicut in aëre, & aqua hic terminus *duplum* est æquiucocus, ita & isti termini *proportio duorum ad vnum*. Secundò idem probat, quia aliqua sunt comparabilia, & aliqua non; sed non potest assignari aliud discrimen, nisi quia aliqua in eo, in quo fit comparatio, sunt vniuoca, & alia non: ergo conditio assignata vniuocationis necessaria est. Quod si aliquis respondeat, aliam esse causam huius discriminis, nimirum, quia alia habent receptaculum eiusdem rationis, vt albedo canis, & equi, quæ in superficie recipiuntur, quæ eiusdem rationis est in cane, & equo: & hinc fit, vt aptè albedines istæ in comparisonem veniant; alia verò non habent, vt vox, & aqua; & ideo nequeunt

inter se conferri. Contra obijcit, quia sic sequeretur, quod omnes formæ substantiales, quârumvis diuersæ rationis, possent adinuicem comparari; cum omnes habeant receptaculum (scilicet, materiâ primam) eiusdem rationis. Secunda conditio, quam ponit ad hoc, vt inter aliqua fieri possit comparatio, est, vt illa ratio, secundum quam comparantur, nō solum sit vniuoca, sed etiam quod sit species specialissima; nec sufficit quod sit genus: quod patet exemplariter, quia non comparamus aliqua secundum rationem genericam, in qua conueniunt, v. g. duas albedines in ratione coloris, sed secundum rationem specialissimam albedinis. His suppositis respondet ad quæstionem propositam negatiuè, scilicet, non omnes motus esse inter se comparabiles in velocitate, vel tarditate, sed solum illos, qui eiusdem sunt speciei. Vnde si linea alteretur, eodēque tempore aliquod mobile lineam transeat, non dicentur hi motus celeritate æquales, etiam si eodem tempore æquale percurrant, eo quod non sunt eiusdem speciei. Similiter (inquit) nec erunt æquæ veloces, nec adinuicem in velocitate, vel tarditate comparabiles motus localis rectus, & circularis. Sed inquirat, vtrum hoc proueniat, quia motus circularis, & rectus non sunt eiusdem speciei? an verò, quia linea circularis, & recta, super quas fiunt, non sunt adinuicem comparabiles? Et respondet, quod ex vtroque capite; nam quod linea sit recta, vel circularis, est causa, vt illi motus nō sint eiusdem speciei: & sic lineæ sunt causa mediata, cur illi motus non sint comparabiles, & ipsa diuersitas specifica motuum est causa immediata huius incomparabilitatis. Et subdit Arist. quod non solum his modis differunt motus locales adinuicem, sed etiam differunt instrumentis, quibus mediantibus fiunt, sicut volatus differt ab ambulatione; eo quod volatus fit alis, ambulatio pedum gressu. Iterum docet, ad collationem motuum inter se, requiri conuenientiam in specie in illa ratione, in qua fit collatio; nec sât esse cuiusvis, sed infimæ speciei, quia natura generis non est vna, hoc est, non tantam habet vnitatem, quantam comparatio requirit: sub genere enim naturæ admodum dissimiles continentur, vt sub animali species hominis, equi, leonis, &c. adeo vt genus æquiuocum habeatur, non tamen propriè. Mouet duas quæstiones. Prima est, penes quid attendatur diuersitas specifica, v. g. in albedine, & nigredine, an quia in diuersis in specie subiectis inhæret, vt in niue, & in coruo? an quia ipse in se diuersam obtineat naturam, nulla habita subiecti ratione? Respondet, quia in se diuersam habeant naturam; non verò ex diuersitate specifica subiectorum; quia contingit idem in alio, id est, contin-

git,

git, quod in alio, & alio subiecto sint qualitates eiusdem speciei. Secunda est, quis terminus? id est, quæ ars (explicat Commentator) consulenda sit ad sciendum, quæ differant specie? Respondet (teste Commentatore) hoc pertinere ad illam artem, quæ est de eodem, & diuerso; & illa data est 7. Topicorū. Explicat deinde, quæ alterationes dicantur æquæ veloces, dicens, quod illæ, quæ, cum sint eiusdem speciei, fiunt æquali tempore, vt si duo subiecta infirma æquali tempore sanentur, dicuntur æquæ velociter sanari; & si vnum citius alio, dicimus, illud velocius sanari, seu alterari. Obijcit, alteratio est secundum qualitatem; sed secundum qualitatem vnū nō dicitur æquale, vel inæquale alteri; sed simile, vel dissimile: ergo vna alteratio nō dicitur æqualis, vel inæqualis alteri, sed similis, vel dissimilis. Negat cōsequentiā; cum hæc cōparatio non fiat inter qualitates per se sumptas, sed inter motus, qui sunt ad qualitates, qui continui, & quanti sunt. Dubitat, ad quid inspiciendum sit, quando alterationes adinuicem comparamus, an ad qualitatem, an ad subiectum qualitatis? Respondet, quod ad vtrumque; nam in alteratione, & est successio intensiua; & est successio extensiua, & ad æqualitatem, vel inæqualitatem: in successione intensiua inspiciendum est ad gradus intensiouis qualitatis, & ad æqualitatem, vel inæqualitatem: extensiua inspiciendum est ad partes quantitatis subiecti, in quas alteratio diffunditur. Ostendit demum idem contingere in generationibus substantialibus: licet enim in generatione substantiali inanimatorum non sit successio secundum gradus formæ, quæ dicitur intensio; est tamen successio licet per accidens (vt dictum est 5. libro) secundum partes quantitatis subiecti, quæ dicitur extensio: & secundum hanc successionem illas generationes substantiales dicit esse æquæ veloces, per quas in eodem, vel æquali tempore formæ eiusdem spatij generantur in subiectis æqualis quantitatis; celeriores verò quibus æquali tempore diuersum quid oritur. Diuersum autem se appellare inquit, propterea quod non suppetunt propria vocabula, quibus eius rei, quæ celerius, aut tardius gignitur, diuersitatem notemus, vt in alteratione, latione, & accretione: in alteratione enim dicimus magis, & minus, in latione, & accretione maius, & minus, quæ vocabula suppetent (subdit Aristot. in sententia antiquorum, qui ponebant formas substantiales esse numeros; nam in numeris maius, & minus reperitur.

In quinto, & vltimo capite docet quanam proportione motus, qui comparabiles sunt, veniant comparandi. Ad quod sup-

ponit ad quemlibet motum quatuor concurrere, scilicet, id, quod mouet; id, quod mouetur, tempus, in quo fit motus, & spatium, seu latitudinem formæ acquirendæ per motum. Quo supposito, ponit has regulas in motu locali obseruandas. Prima, si aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, eadem potentia, vel ipsi æqualis mouebit medietatem mobilis per duplex spatium in eodem tempore. Secunda, si aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, eadem potentia, vel ipsi similis mouebit medietatem mobilis per idem spatium in dimidio tempore. Tertia, si aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod spatium in tanto tempore, eadem, vel sibi similis mouebit idem mobile per dimidium spatium in dimidio tempore. Quarta regula, si aliqua virtus mouet aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, dimidium eius virtutis mouebit dimidium mobilis per idem spatium eodem tempore. Hoc probat, quia eadem est proportio totius virtutis ad totum pondus mobilis, ac dimidiæ virtutis ad dimidium pondus mobilis. Quinta regula, si aliqua virtus moueat tantum pondus per aliquod spatium in aliquo tempore, non est necessarium, quod eadem, vel similis virtus moueat duplo minus pondus in eodem tempore per dimidium spatij; siquidem fieri potest, vt eadem virtus pondus duplum nullo modo ciere valeat. Sexta regula, si aliqua virtus moueat aliquod pondus per aliquod spatium in aliquo tempore, non oportet, quod dimidium istius virtutis moueat idem pondus aliqua parte illius temporis, aut aliqua parte illius spatij; nam contingere potest, quod dimidium illius virtutis nullo modo excedere valeat resistentiam ponderis, v. g. si virtus, vt sex moueat pondus vt quatuor, tunc virtus, vt tria nullo modo mouere poterit pondus, vt quatuor, quia ipsius ad quatuor est proportio minoris inæqualitatis. Et hinc reijcit quoddam Zenonis dictum, nimirum, quod sicut modius granorum milij cadens deorsum causat sonum, ita etiam quodlibet granum milij cadens deorsum causat sonum, qui se habebit in tali proportione ad sonum causatum à toto modio milij, quemadmodum illud granum se habet ad totum modium. Et Zeno non solum hoc affirmabat de grano milij, sed etiam de qualibet parte eius, quantumuis modica. Hoc enim dictum Zenonis (inquit Arist.) ex supra dicta regula apparet falsum. Septima regula, si aliqui duo motores moueant duo mobilia, aggregatum ex motoribus mouebit aggregatum ex mobilibus (cæteris paribus).

æquè

æquè velociter, ac vnum ex motoribus mouebat vnum ex mobilibus. Demum tradit regulas ad alterationem, & accretionem spectantes. Et repetitis his, quæ in quolibet ex his motibus reperiantur, ponit primam regulam: si aliqua virtus tanto tempore augeat, aut alteret, duplo longiori tempore duplum augebit, aut alterabit; & dimidio tempore augebit, aut alterabit dimidium: quæ regula est intelligenda, dummodò cætera sint paria. Secunda regula, si aliqua virtus certo tempore tantum augeat, aut alteret, non oportet, vt dimidium eius virtutis eodem tempore dimidium augeat, aut alteret: fieri enim potest, vt dimidium virtutis patientis resistentiam vincere non valeat. Et hæc Arist. in tota littera huius libri.

### ANNOTATIONES CIRCA LITTERAM huius libri.

**I**N generali circa totam litteram huius libri animaduertendum est, aliquos interpretes sibi suasse, hunc librum non esse Aristotelicum, sed inter eius libros fuisse intertutum, non alio fundamento nixos, nisi quia in hoc libro segniter traduntur eademmet, quæ accuratissimè traduntur in octauo. Tamen Aberroes, Simplicius, atque Angelicus Præceptor inde Aristotelicum esse conuincunt, quod stylus ipse, & ratio doctrinæ cum reliquo opere sanè consentit. Quod cum verissimum, & ab omnibus receptum sit, ad rationem dubitandi dicendum est cum Conimbricensibus, Philosophum pictorū more rudioribus lineis futurum opus adumbrasse, vt eorum, quæ in octauo exquisitè tradenda erant, prænotione aliqua instructi singula facilius postea comprehenderemus.

**2** In speciali verò circa id, quod Aristot. docet in tertio capite, scilicet motum alterationis per se solum terminari ad qualitates tertiæ speciei, primò annotandum est, alterationem apud Philosophum varijs in locis, varijs etiam modis vsurpari. Interdum enim accipitur pro mutatione ad omnem formam, tam substantialem, quam accidentalem. Sic exponit Aberroes sumptam fuisse alterationem à Philosopho 2. lib. huius operis, dum text. 1. dicit: *Omnia entia naturalia habent in se ipsis principium motus, & status; hæc quidem secundum locum; illa verò secundum augmentum,*

*decrementum; quædam secundum alterationem.* Interdum autem pro mutatione ad omnem formam accidentalem. Ita accepit primo de Generatione text. 10. dum omnem mutationem distinguit in generationem substantialem, & alterationem accidentalem. Et in eodem sensu Porphyrius alterationem usurpauit, dum in prædicabilibus dixit, quod differentia essentialis facit alium, accidentalis verò facit alterum. Interdum pro mutatione ad omnem qualitatem, siue externam, & per se sensibilem, siue internam, & insensibilem. In quo sensu cap. 2. huius libri text. 12. dicit, sensus alterari, cum ab obiectis patiuntur, eorum, scilicet, species intentionales recipiendo, & 2. de Anima text. 57. & 58. dixit, speculari, & sapere esse quamdam speciem alterationis. Interdum demum, & magis strictè, ac propriè pro ea dumtaxat mutatione, quæ versatur inter qualitates per se sensibiles, & diuisibiliter oppositas; quæ eo ipso erit verè, & propriè motus. In quo sensu primo de Generat. text. 23. alterationem diffiniuit his verbis: *Alteratio est, quando, manente subiecto sensibili transmutatur in eius passionibus, aut contrarijs, aut medijs.*

3 Cum ergo Arist. cap. 3 huius libri affirmat motum alterationis per se solum terminari ad qualitates tertiæ speciei, sumit alterationem in hac vltima, & propria acceptione: in qua acceptione sumpta alteratione, hæc doctrina non solum est vera, sed absque controuersia inter Peripateticos recepta. Et inde probari potest, quia ad per se terminandum alterationem in hac acceptione sumpta tria necessariò requiruntur in illo, quod terminat. Primum, vt sit qualitas per se sensibilis: & defectu huius conditionis omnes qualitates, tam primæ, quam secundæ speciei excluduntur ad hoc quod est per se posse terminare alterationem: nam eo ipso quod aliqua qualitas sit per se sensibilis, tã à prima, quam à secunda qualitatis specie debet relegari; ex dictis in Logica cap. de Qualitate disput. vnica q. 3. Secundum, vt non sit ita realiter cum alio, vt alterius dumtaxat acquisitione; tanquam eius consecrarium comparatur. Et defectu huius conditionis omnis forma, seu figura, quæ consequitur ad partes quantitatis, non vt dicunt ordinem ad locum, sed vt dicunt ordinem ad se (qua ratione diximus in Logica cap. de Qualitate disp. vnica quæst. 4. num. 48. & sequentibus, formam, seu figuram esse quid absolutum, & constituens quartam speciem qualitatis) non poterit per se alterationem terminare; quia huiusmodi forma, seu figura nõ distinguitur realiter, sed solum ex natura rei formaliter ab ipsa quantitate: neque acquiritur, aut deperditur, nisi ad acquisitionem,

nem, aut deperditionem ipsarum partium quantitatis. Recolantur ibi dicta. Tertium, vt hæc qualitas habeat aliam sibi diuisibiliter oppositam, quæ in subiecto, quod alterationem subire debet, præexistat. Cuius conditionis defectu lux non potest huiusmodi alterationem per se terminare, non obstare, quod sit qualitas per se primò sensibilis, & consequenter spectans ad tertiam speciem qualitatis. Ex quibus infero, alterationem istam non solum in qualitatibus tertiæ speciei versari, sed etiam non extendi ad omnes qualitates tertiæ speciei: quia non extenditur ad lucem. Et idem erit affirmandum de quacumque alia qualitate tertiæ speciei in hypotesi, quod produceretur in subiecto, in quo nulla præexistisset qualitas diuisibiliter ei opposita, seu contraria, neque extrema, neque media.

4 Secundò annotandum est, ad probandum, primam speciem qualitatis (quæ dicitur habitus) non posse per se motum alterationis terminare, Aristotelem in hoc tertio capite usum fuisse aliquibus rationibus, quæ (vt annotauit Scotus in 1. d. 17. q. 2. lit. T. vers. *Vel quod magis*) non videntur intentum concludere, si superficialiter attendantur; & sic oportet, eas declarare: v. g. ad probandum, ad habitus, seu virtutes corporales (vt sunt sanitas, pulchritudo, & robur) & similiter ad habitus, seu virtutes morales (vt sunt iustitia, temperantia, fortitudo, &c.) non posse per se motum alterationis terminari, hac ratione vtitur Arist. *Ad ea, quæ sunt ad aliquid non potest dari per se motus (vt probatum est 5. libro huius operis) sed habitus, seu virtutes istæ sunt eorum, quæ sunt ad aliquid: ergo ad istos habitus seu virtutes non potest per se motus alterationis terminari.* Hæc ratio (si attendamus ad id, quod præcipuè probandum assumpsit Arist. scilicet, ad qualitatem primæ speciei, quæ dicitur habitus, non posse per se motus alterationis terminari) infirma est; nam assumit minorem falsam, scilicet, primam speciem qualitatis, quæ dicitur habitus, esse eorum, quæ sunt ad aliquid: cõpertum est enim, ea, quæ collocantur per se in prima specie qualitatis, non esse relatiua secundum esse (vt sunt ea, quæ sunt ad aliquid) sed potius esse absoluta secundum esse, & solum relatiua secundum dici; nonsecus ac qualitas, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, quid absolutum est.

5 Vt hanc rationem Arist. declaremus, aduertendum est, alias esse qualitates secundum rem; alias verò esse qualitates secundum modum. Qualitates secundum rem dicuntur omnia illa accidentia, quæ per se in prædicamento qualitatis collocantur. Qualitates secundum modum dicuntur illæ entitates, quæ etiam si in re non sint qualitates, sed alterius prædicamenti, habent tamen

modum denominandi, seu prædicandi qualitatis; & ideo communiter non solum, vt qualitates à nobis concipiuntur; sed etiam nominibus significantibus qualitatem insigniuntur. Huiusmodi sunt (teste Scoto quodlib. 18. litt. I.) tam habitus, seu virtutes corporales; vt sunt sanitas, pulchritudo, robur, &c. quam habitus, seu virtutes morales, vt sunt iustitia, temperantia, fortitudo, &c. si formaliter, & in quantum virtutes, seu bonitates morales sunt, accipiuntur: nam habitus seu virtutes istæ formaliter acceptæ, etsi in re sint relationes (vt expressè non solum docuit Aristot. in isto 3. cap. sed etiam probauit: consistunt enim formaliter acceptæ in commensuratione plurium rerum: & etiam tenet Scotus quodlib. citato, atque alibi sæpe) habent tamen modum denominandi, seu prædicandi qualitatis; & ideo à nobis, non solum concipiuntur, vt qualitates, sed etiam appellantur habitus: quod est nomen proprium qualitatum primæ speciei. Ad rem ergo: ratio Aristot. supra allata optimè probat, tam habitus, seu virtutes corporales, quam morales formaliter acceptas non posse per se motum alterationis terminare: nec minor propositio ab ipso assumpta falsa est, sed verissima: siquidem hi habitus, seu virtutes formaliter acceptæ, etsi obseruent modum denominandi, seu prædicandi qualitatis; tamen in re qualitates non sunt, sed relationes. Verum tamen est, hanc rationem ad id, quod præcipuè probandum erat ab Aristot. (scilicet, ad qualitates primæ speciei alterationem per se terminari nõ posse) iuisse diminutam; vt loco primi citato acutè obseruauit Scotus; siquidem id non ostendit prædicta ratio de habitibus, qui per se spectant ad primam qualitatis speciem; sed solum de habitibus, qui etsi quoad modum denominandi, & prædicandi dicantur qualitates primæ speciei; in re tamen qualitates non sunt, sed relationes secundum esse, ad aliud prædicamentum, quam qualitatis, spectantes.

6 Item ad probandum neque ad habitus, neque ad actus intellectuales (vt sunt scientifici) per se motum alterationis terminari duabus rationibus vtitur Aristot. Prima, *quia sciens maxime eorum, quæ ad aliquid dicitur.* Quod probat, quia aliquis fit sciens nulla facta mutatione in facultate intellectiua: sed in potentijs sensituis, & præeunte experientia, quæ ex collecta singulorum notione oritur. Hæc ratio (annotante Scoto quodlib. 13. litt. S.) si verum esset, quod verba sonant (scilicet, scientiam actualem consistere formaliter, non in aliquo absoluto, sed in relatione secundum esse) optimè probaret intentum; quia ad relationem non datur per se motus, sed potius resultat ad positionem eius, quod fit per

motum, vel mutationem; & consequenter, neque dari poterit per se alteratio, sed resultabit ad positionem eius, quod per se terminat alterationem: tamen falsum est, scientiam actualem formaliter esse relationem secundum esse (vt latè probat Scotus inibi art. 1.) & multò maiori ratione, erit falsum (inquit Scotus) quod sit relatio secundum esse scientia habitualis. Vnde aliter (ait Scotus) exponenda est prædicta Arist. ratio, nimirum, ea ratione intendere Arist. alterationem esse solum posse per se terminari ad qualitatem, quæ primò potest acquiri, ita quod ipsa non tantum consequatur per accidens ad formam inductam (sicut sequitur relatio) sed neque eius inductio necessariò prærequirat inductionem alterius formæ prioris. Et in hoc sensu intellecta ratione Arist. eius conclusio (inquit Scotus) nõ est vera, nisi intelligatur de alteratione immediatè primò alterante in illo ordine: & sic ad scientiam, vel considerationem verum est, non esse aliquam alterationem immediatè primò alteranti in illo ordine; quia primum alterans in isto ordine alterandi intentionaliter est obiectum extra; cognitio autem intellectus, non immediatè causatur ab obiecto extra; sed ab obiecto, vt est internè, id est in phantasia. Et quod Aristot. in hac ratione sic veniat intelligendus, probat Scotus, quia parum antea concedit sensum alterari; hic autem negat, potentiam intellectiuam alterari; & videtur assignare pro ratione, quia notitia intellectiua, non accipitur immediatè ab obiecto externo, quod est primum alterans in isto ordine alterandi intentionaliter, sed mediante cognitione sensitua. Vnde ad probandum, quod nulla mutatio est ad scientiam, dicit, *ex ea enim, quæ est secundum partem experientia, vniuersalem accipimus scientiam:* & sic ad illud verbum antecedenter positum, *sciens enim maxime eorum, quæ ad aliquid dicitur,* sic debet intelligi, ad aliquid, id est, ad obiectum extra, & non immediatè ad obiectum extra, quod est primum alterans. Et ista conclusio (subdit Scotus) sic particulariter intellecta de alteratione prima sufficit ad propositum Philosophi; quia conclusionem illam (scilicet, quod *mouens, & motum simul sunt*) intendit probare inductiuè, in singulis motibus; & specialiter in alterationibus imperfectis (vt sunt intentionales) videbatur habere instantiam de illis qualitibus, quæ nõ immediatè inducuntur ab obiecto primò alterante; vbi etsi mouens proximum, simul sit cum moto, sed non mouens, seu alterans primum in illo ordine, de quo manifestius est, quod ipsum sit alterans.

7 Secunda ratio, qua ad idem probandum vtitur Arist. est, quia non solum alteratio, sed neque generatio per se terminatur ad scientiam, neque quando scientia de nouo acqui-

ritur, neque quando habens scientiam exit in actum scientificum: quod probat. Tum, quia in pueris acquisitio scientiæ, quæ fit de nouo, non consistit in productione scientiæ, sed in sedatione perturbationis, quæ est in sensibus interioribus. Tum etiã, quia in ebrijs, dormientibus, & infirmis, in quibus antea erat scientia, actu scientificè non considerare, prouenit ex perturbatione sensuum interiorum, qua perturbatione sedata, statim secluso motu quocumque scientificè considerant. Hæc ratio, si vt verba sonant, attendatur, videtur inniti in doctrina illa, quam Aug. 12. de Trinitate imponit Platoni, nimirum nostris animis inditas esse à principio rerum notiones, & scientias; quæ propter coniunctionem cum corpore, initio quidem oblitteratæ, & quasi sopitæ sint; postea verò proficiente paulatim phantasia renouiscunt, & in lucem prodeunt. Quæ doctrina com mentaria est: imò supponens errorem de productione animarum separatarum à corpore in initio rerum. Vnde dicendum est, Arist. hæc omnia dixisse (vt annotauit Scotus quodlib. 13. citato sub litter. Q. *Ad secundum argumentum*) non secundum opinionem propriam, sed secundum opinionem Platonis. Quod etiam affirmat Commentator Aberroes in fine commenti textus 20. huius libri relatus à Scoto.

8. Circa quartum, & quintum caput non est cur immoremur, nam accuratissimè in eis docuit Aristot. omnia, quæ ad comparisonem motuum in velocitate, & tarditate exigere poterant. Circa primum verò, & secundum caput nihil vsque annotauimus, & consultò sanè; nam quæ in eis docet Aristot. difficillima sunt, & non solum commento, seu annotationibus, sed accurata disputatione indigent: atque ideo ea sequenti disputatione examinabimus.

## DISPUTATIO VNICA.

*De his quæ docet Aristot. in primo, & secundo capite huius libri.*

**C**irca ea, quæ docet Arist. in primo, & secundo capite huius libri, tria discutienda sunt. Primum, *An omne, quod mouetur, ab alio moueri necessarium sit?* Secundum, *an grauiæ, & leuiæ moueantur à se ipsis?* Tertium, *quæ similtas inter mouens, & motum requiratur?*

QVÆ.

## QVÆSTIO PRIMA.

*An omne, quod mouetur, ab alio moueri, necesse sit?*

**I**CVM tam mobile, quàm mouens dupliciter accipi possint, scilicet, vt quo, id est, pro formis, à quibus mouens potens elicere motum, & mobile potens motum recipere denominatur: & vt quod, scilicet pro illis entitatibus quæ verè eliciunt, & verè recipiunt motum, annotandum est in hac quæstione, in qua de distinctione inter mouens, & mobile necessariò requisita agimus, non esse sermonem de mouente, & mobili, vt quo; sed vt quod: nam de his loquitur Philosophus, tam in hoc libro septimo, quàm octauo (vt constat ex capite quarto octauo) & de his dubitari potest, an idem possit moueri à se ipso? an verò semper necessarium sit, vt id, quod mouetur, moueatur ab alio realiter distincto? vel totaliter (vt contingit inter iaculatores, & sagittam) vel saltem partialiter, vt contingit in viuientibus, in quibus vna pars integralis est mouens, & altera mota?

2. Quàm plures Auctores affirmant, nihil posse mouere se ipsum, sed omninò necessarium esse, vt id, quod mouetur, ab alio realiter distincto

moueatur. Ita Aberroes 8. Physicorum comm. 30. & 31. & 3. de Anima com. 4. 5. & 19. Simplicius 8. Physic. text. 33. Themistius ibidem text. 32. Capreolus in 1. dist. 3. quæst. 3. Ægid. quodlib. 3. quæst. 16. & quodlib. 5. quæst. 15. Soncinas 9. Metaph. quæst. 8. Ferrara 1. contra gentes cap. 13. Et videtur D. Th. 1. contra gentes cap. 13. & de veritate q. 22. art. 3. & 1. par. quæst. 2. art. 3. & 5. Metaphys. lect. 14. & tanquam illius ipsam defendunt Patres Carmelitani, disp. 28. quæst. 1. & plures alij Thomistæ.

3. Præcipuum fundamentum huius sententiæ sunt aliquæ auctoritates Aristotel. nam in primis in hoc libro cap. 1. non solum statuit, *nihil moueri a se ipso primò, sed omne, quod mouetur, necessariò ab alio moueri;* sed etiam confirmauit per rationem, quam adduximus recopilando textum huius libri. Nec obstat, quòd contra prædictam rationem Aristotelis obijcit Galenus (scilicet, non rectè intulisse. Philosophum aliquid non moueri perse, ex eo, quòd quiescente vna illius parte, altera moueatur: nam, quod conuenit ratione partis, ait

ait Galenus, conuenit à principio intrinseco, & consequenter per se) nam, vt bene aduertit D. Th. cum Commentatore Auerro, ly *per se* dupliciter potest accipi: primò, vt est idē, ac *non per accidens*: secundò, vt est idem, ac *non per aliud*. Aristotel. autem ly *per se* vsupauit, nō in primo sensu (in quo est verum, quod dicit Galenus) sed in secundo, & sic optimè infert, non moueri per se, quod mouetur ratione vnius partis; nam pars aliud est à toto composito.

4 Neque etiam obstat, quod contra eandem Aristotelicam rationem obijcit Auicena (scilicet, procedere ex suppositione, quod quiescat aliqua pars totius, quod primò mouetur, quæ suppositio, inquit Auicena, est impossibilis; siquidem in doctrina eiusdem Aristotel. illud dicitur primò moueri, quod secundum omnes partes eius mouetur) nam, vt rectè etiam aduertit D. Th. optimè colligi potest veritas alicuius rei ex conditionali impossibili; vt patet in ista, *si homo esset leo, non esset animal rationale*; Aristot. autem in sua ratione, non dixit absolute posse idem moueri à se primò, quiescente aliqua eius parte; sed ad probandum, nihil diuisibile posse moueri à se primò ponit hanc hypothesim, quòd aliqua pars mobilis, non moueatur, vt inde

colligat intentum, scilicet, esse impossibile, quòd aliquod totum à se primò moueatur; inquirendo, an in dicta hypothesi, dicendum esset, quòd illud totum moueretur, an quiesceret? nam si dicatur primum, infert, quòd non moueretur primò; siquidem non moueretur secundum omnes partes. Si verò dicatur, quòd quiesceret, infert idem ex alio capite, nimirum, quia quidquid altero quiescente, à motu desinit, id neutiquam à se ipso primò mouetur: nam, quod inest alicui primò, non potest remoueri ab illo, dato, quod remoueatur à quocumque alio, quod non est ipsum.

5 Deinde idem Arist. in 3. lib. huius operis, non solum persistit in eadem sententia (scilicet, nihil à se ipso moueri) sed etiā lib. 1. de Generatione, tex. 48. & 9. Metaph. tex. 2. & alibi, sæpè docet, nihil posse agere in se ipsum: nec posse idem pati à se ipso. Quod probat, quia cū agens sit tunc in actu, quale passum est in potentia, si idem respectu eiusdem esset agens, & passum, sequeretur, quòd idem esset simul in actu, & in potentia respectu eiusdem: quod est implicatio manifesta. Item, si idem ageret in se ipsum, idē esset efficiens, & materia: quod est contra Aristotel. 2. Physicor. tex. 70. vbi affirmat, quòd efficiens, & materia non coinci-

cidunt. Item, si idem moueretur à se ipso, idem referretur ad se ipsum, quod falsum reputat Aristot. 5. Metaph. tex. 17. & 20. propter oppositionem relationum, quæ in dicto casu essent in eodem. Item, ea, quæ immediate diuidunt aliquod ens, non possunt simul reperiri in aliquo contēto sub illo ente: sed actus, & potentia diuidunt immediate omne ens: ergo sunt impossibilia in quocumque ente. Et demum, quia Aristot. ad probandum dari vnum primum motorem immobilē assumit hoc principium, *nihil mouetur à se ipso primò, sed omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse est*: ergo si hoc principium non est vniuersaliter verum, ruet totus Aristotelicus discursus.

6 Sed his non obstantibus nobis distinguendum est de agentibus, seu mouētibus vniuersis; & de æqui-uocis, intelligendo per agentia, seu mouentia vni-uoca, illa, quæ producunt in subiecto formam eiusdem speciei cum illa, per quam agunt, seu mouent: & per agētia, seu mouentia æqui-uoca, illa, quæ producunt in subiecto formam alterius speciei ab illa, per quam agunt, seu mouent. Et loquendo de vni-uocis dicimus, vniuersaliter esse verum, quòd nihil patitur, seu mouetur à se ipso, sed necessariò patitur, seu mouetur ab alio. Loquendo au-

tem de æqui-uocis affirmamus, prædictam propositionem nō esse vniuersaliter veram; nam, licet multoties sic contingat, tamen etiam contingere potest, quòd idem patiatur, seu moueatur à se ipso. Hæc sententia est expressa Scoti in 1. distinct. 3. quæstione 7. §. *Ad argumenta pro secunda opinione.* & in 2. distinct. 2. quæstione 10. & d. 9. §. *Ad rationem.* & 9. Metaph. quæstione 14. quem omnes eius discipuli sequuntur, Antonius Andreas 9. Metaph. quæstione 1. Maironius in 2. distinct. 14. quæstione 6. Faber theoremate 61. Smising tract. 1. disput. 1. num. 77. Et est sententia Auicena lib. 1. sufficientiæ capite 5. Gregorius in 2. distinct. 6. quæstione 1. artic. 3. Ianduni 8. Physic. quæstione 12. Suarez 1. tomo Metaph. disputat. 18. sect. 3. numero 52. & amplecti tenentur omnes recentiores, quos quæstione sequenti citabimus pro sententia asserente, grauia, & leuia moueri à se ipsis; vt ex dicendis numero 8. constabit. Et expressè ipsam docet commentator 3. de celo commento 28.

7 Priorem partem huius nostre sententiæ tantum intendit Arist. locis num. 5. adductis (vt latius in solutione argumentorum ostendemus) & manifestè ipsam conuincit prima ratio ibi adducta. Si enim agens, seu mouens vni-uocū solū dicitur



tur illud, quod producit in subiecto formam eiusdem speciei cum illa, per quam agit, seu mouet; profectò si idem ageret, seu moueret se ipsum actione vniuoca, idem esset simul in actu formali, & in potentia formali respectu eiusdem, quod implicat; non secus, ac implicat esse in actu formali, & non esse in actu formali.

8. Posteriolem verò partem (in qua ab auctoribus primæ sententiæ dissentimus) probare possumus. Primò auctoritatibus Aristot. sequenti quæstione adducendis ad probandum, grauiam, & leuiam moueri à se ipsis. Nec audiendi sunt, qui dicunt, ex eo quod grauiam, & leuiam moueantur à se ipsis, non rectè inferri, in agentibus, seu mouentibus æquiuocis, posse idem pati, seu moueri à se ipso; nam, cum grauiam, & leuiam habeant partes essentielles, materiam, scilicet, & formam, mouentur à se ipsis (dicunt hi) sed non secundum eandem partem; nam pars per se mouens est forma, & pars per se mota est materia. Vnde reprehendunt Scotum, eo quod asserat, tam in grauibus, quam leuibus compositum ex materia, & forma, & esse mouens, & esse motum. Et idem affirmat in 2. d. 2. quæst. vnica, §. Ad primam rationem, lit. I. de aqua calefacta, quando redit ad pristinam frigiditatem, scilicet,

cet, totam aquam, & agere, & pati in tali reductione.

9. Isti (inquam) non sunt audiendi. Tum, quia ponere motus grauium, & leuium per se in sola materia prima recipi, & subiectari contrariatur Aristoteli, qui libro 5. huius operis capite 1. mutationem substantialem, quæ dicitur generatio, non aliunde rejicit à ratione motus propriè dicti, nisi quia eius subiectam est ens in potentia, scilicet, ipsa materia prima; subiectum autem motus propriè dicti necessariò debet esse ens in actu, scilicet, ipsum compositum substantiale, quod ex materia, & forma resultat; vt ibi ipse Aristot. demonstrat, & nos ex communi omnium sententia super prædictum librum disp. 1. q. 1. n. 4. statuiamus.

10. Tum etiam, quia in grauibus, & leuibus, etsi forma sit ratio, ob quam possunt se actiue mouere; & materia sit ratio (saltem inadæquata, & minus principalis) ob quam possunt in se prædictos motus recipere: tamen hinc ineptè colligunt, formam esse principium quod actiuum, & materiam esse principium quod passiuum istorum motuum; nam agere, & pati, vt quod, non ipsis rationibus formalibus agendi, & patiendi competit, sed suppositis, in quibus istæ rationes formales resident, seu existunt. Et dixi notanter, saltem inadæquate,

¶ *minus principaliter*; nam inclinationis passiuæ, quæ est in grauibus ad recipiendum motum deorsum; & inclinationis passiuæ, quæ est in leuibus ad recipiendum motum sursum, etsi materia ipsorum aliquatiter principium, seu causa sit, tamen præcipuum principium, & causa istarum passiuarum inclinationum sunt ipsorum formæ. Quod inde perspicuum est, quia eadem numero materia, quæ, quando est sub forma leuis, dicit inclinationem passiuam ad motum sursum, quando est sub forma grauis, dicit inclinationem passiuam, non ad motum sursum, sed ad motum deorsum: quod contingere non posset, si inclinatio passiuæ, quæ est in leuibus ad motum sursum, & in grauibus ad motum deorsum, à sola ipsorum materia, & non præcipue ab ipsorum formis proueniret. Quod ideo notavi, vt cognoscant aduersarij, adhuc loquendo de rationibus formalibus agendi, & patiendi in grauibus, & leuibus formalem rationem agendi, & rationem formalem patiendi præcipuam, & principalem non esse res distinctas, sed diuersas formalitates eiusdem numero formæ: non secus, ac in intellectu nostro ratio agendi, & ratio passibilis non sunt diuersæ numero potentia, sed diuersæ formalitates eiusdem numero potentia.

11. Secundò, (& à priori) quia, vt aliquid sit per se mouens aliquod subiectum, solum requiritur, quod in se habeat virtutem producendi aliquam formam in illo subiecto: & è contra, vt aliquid sit per se mobile ab aliquo mouente, solum requiritur, quod sit aptum recipere aliquam formam à prædicto mouente; & quod tali forma actu careat. Sed quando agens est æquiuocum, & consequenter non habens actu, & formaliter formam illam, quam natum est producere in subiecto, potest contingere, quod simul sit subiectum aptum recipere talem formam, quam aptum est producere: ergo cum illa actu, & formaliter careat, poterit optimè eandem formam in se ipso producere, non secus, ac potest illam producere in subiecto à se distincto habente eandem conditiones; & consequenter per se moueri à se ipso. Quod autem aliqui ad hoc respondent, scilicet, oportere etiam, quod sit approximatum passio; & consequenter non in eodem, sed in diuerso situ, ridiculum est; nam ratio, ob quam requiritur, quod agens sit approximatum passio, solum prouenit; quia agens non potest producere effectum in passio existenti extra sphaeram suæ actiuitatis: ad quod existenti agentis, & passio in eodem situ non

solum non nocet, sed potius iuat: aliàs, si Deus poneret ignem penetratum cum flupa, ignis illam non combureret, quod est ridiculum.

12. Tertio probari potest eadem pars instantijs manifestis. Prima sit accidentium connaturalium subiectis, vt est, verbi grat. frigiditas respectu aquæ; quam frigiditatem non produci per se à generante aquam, & per eandem actionem, qua producit aquam, sed potius dimanare ab ipsa substantia aquæ, in qua recipitur; quæ emanatio est actio distincta ab actione, qua generans aquam producit, latè ostendimus libro 2. disputat. 4. quæstione 6. à num. 3. Et idem potest instari in motu leuium ad *vbi* sursum; & in motu grauium ad *vbi* deorsum: nam leuia moueri sursum, & grauia deorsum à se ipsis, tanquam à causis principalibus prædictorum motuum, & non ab aliquo extrinseco, ostendam ex professo quæstione sequenti. Imò idem instari potest in productione partis quantitatis, in qua formaliter consistit augmentatio viuens; nam illa pars per se, & immediatè emanat ab ipsa parte substantiæ, quam per nutritionem acquirit viuens, & in ipsa etiam recipitur: quæ emanatio est actio, seu motus distinctus, tam ab alteratione, qua viuens dispo-

nit alimentum, quàm à nutritione, qua ipsum alimentum in suam substantiam conuertit; vt in libris de Ortu, & Interitu (Deo dante) monstrabo.

13. Secunda instantia esse potest desumpta ex motu animalium se mouentium: licet enim verissima sit doctrina Philosophi, scilicet, *animal non se mouere per se primo*, id est, ita vt vnaquæque pars se ipsam moueat, sed per vnam partem integram, & organicam moueri aliam, vt experientia ipsa ostendit; & ita videatur ibi distingui mouēs, vt *quod* à mouente, vt *quod* saltem secundum partes. Tamen, cum hic processus inter partem mouentem, & motam non possit esse in infinitum (nō enim est inter partes proportionales, sed inter aliquotas, & determinatæ magnitudinis) necessariò sistendum erit in vna prima parte, (videlicet, in corde) quæ non moueatur ab alia. Sed ista prima pars nō potest mouere nisi mota (id enim de omnibus motoribus corporeis docet Arist. in hoc lib. cap. 1. tex. 3.) ergo assignandus erit aliquis motor, à quo moueatur. Sed non potest dici, quòd hic motor sit generans, non solum propter rationes generales, quibus hoc ipsū probabimus quæst. sequenti, sed etiā propter specialē rationem, quæ hic in-

Intervenit, nimirum, quia hic motus est vitalis, cui repugnat esse à principio extrinseco: nec etiā attribui potest animæ; nam respectu actionum corporalium anima solum est principium *quo*, nō verò principium *quod*: ergo dicendum est, prædictam partem à se ipsa moueri, vt *quod*: & consequenter idem, & respectu eiusdem esse mouēs, & motum, vt *quod*.

14. Tertia instantia desumitur ex motibus localibus, quibus tam Angelus, quàm anima separata se mouent ex vno in alium locum: qui motus verè recipiuntur in substantijs Angeli, & animæ, quæ mouentur, non secus, ac recipiuntur termini ipsorum, scilicet, *vbi* definitiua, per quæ tam Angelus, quàm anima separata dicuntur esse in loco; (vt ex dictis contra Vazq. lib. 4. disp. 1. q. 3. constat) & tamen (quidquid sit de illa difficultate, an ratio formalis mouendi se localiter, tam in Angelo, quàm in anima, sit realiter distincta ab ipsa substantia Angeli, vel animæ separatæ; quæ est ratio formalis recipiendi talem motum) omnes vnanimiter fatentur, in prædictis motibus localibus mouentia, vt *quod* esse ipsum Angelum, & animam separatam, quæ mouentur. Neque ibi habet locū distinctio partis integralis per se mouentis à parte integrali per se mota: cū tam Angelus, quàm anima præ-

dictis partibus careant. Nec obstat, quod aliqui respondēt, scilicet, illud axioma, *omne, quod mouetur, ab alio mouetur*, solum esse intelligendum (vt illud intellexit Arist.) de rebus corporalibus, non de spiritualibus; nam rationes, quæ ad ipsum probandum adductæ sunt, aut nihil probant, aut si vim habent, æquè procedunt in rebus spiritualibus, ac in corporalibus.

15. Quarta instantia desumitur ex operationibus immanentibus, de quorum ratione est, quòd non solum recipiantur in ipsis agentibus, vt *quod*, sed etiam medijs potentijs, à quibus emanant; vt videri est in actibus, tam intellectus, quàm voluntatis, licet loquendo de rationibus formalibus agendi, & recipiendi istas operationes aliquod discrimē sit inter operationes intellectus, & voluntatis; nam, cum ad operationes intellectus non solum concurrat, vt formalis ratio agendi potentia intellectina, sed etiam obiectum, seu illius species; ad recipiendum autem illas solum concurrat intellectus, hinc fit, vt licet eliciens, vt *quod*, prædictas operationes, & recipiēs, vt *quod*, easdem, semper sit idē, videlicet, ipsa anima, seu Angelus; tamen rationes formales efficiendi, & recipiendi operationes intellectus, non sint idem realiter adæquatè, sed potius realiter distinctæ, licet

inadæquatè, & vt includens ab incluso; quamuis reuera hæc realis distinctio inadæquata inter rationes formales efficiendi, & recipiendi operationes intellectus non sit simpliciter necessaria. Nam in intellectione illa, qua Angelus intuitiue cognoscit se ipsum (in probabiliore sententia sustinente, hanc cognitionem fieri ab Angelo absque interuentu speciei impressæ, manifestum est, non distingui prædicta distinctione reali inadæquata rationem formalem efficiendi prædictam intellectionem à ratione formali recipiendi ipsam; cum ratio formalis efficiendi se tenens ex parte obiecti non sit aliqua species impressa Angeli, sed ipsiusmet Angeli essentia; quæ in doctrina Scoti non distinguitur realiter ab eius intellectu, qui est ratio formalis recipiendi prædictam intellectionem. At verò ad operationes voluntatis, cum solum concurrat, vt formalis ratio agendi, potentia voluntatis; (obiectum enim solum cõcurrit in genere causæ finalis, & metaphoricè) hinc est, vt in operationibus voluntatis non solum sit idem realiter eliciens istas operationes, vt *quod*, & ipsas vt *quod* recipiens; (quod ad intentum sufficeret) sed etiam sit idem realiter ratio formalis efficiendi cum ratione formali recipiendi ipsas.

16 Non me latet, ad istam instantiam de actibus voluntatis (quæ efficacissima est; cū omnem occludat viam distinctionis realis, non solum inter efficiens, vt *quod*, & recipiens, vt *quod*; sed etiam inter rationes formales efficiendi, & recipiendi istas operationes) multa ex cogitate aduersarios. Nā Soncinas 9. Metaph. q. 10. r. 1. & 13. docet, ad actus voluntatis non concurrere effectiue solum ipsam voluntatem, sed etiam cognitionem obiecti. Quod etiam docent Caietanus 1. p. q. 27. art. 3. & q. 80. art. 2. & 1. 2. q. 82. art. 2. & nonnulli Theologi. Sed hanc sententiam merito reijciunt auctores, & latè eam refutauimus in materia de actibus humanis; nam cognitio obiecti solum concurrat ad actum voluntatis, vt conditio necessaria ad applicationem obiecti; quia voluntas non mouetur, nisi à bonitate obiecti. Quare si motio illa, vt est ab obiecto, non est effectiua, (vt reuera nõ est) sed finalis, & metaphorica, (vt loco citato q. 12. etiam fatetur Soncinas) vt est à cognitione, non est, cur sit effectiua; nam præsentato bono, appetitus, concluso quocumque alio, ex naturali sua inclinatione ferri potest in illud.

17 Alij verò distinguunt inter actus voluntatis, qui versantur circa finem, & inter actus voluntatis, qui versantur circa me-

me-

media: & de prioribus dicunt, prouenire à generante voluntatem; non secus, ac tribuuntur generanti grauias, & leuias motus naturales grauium, & leuium. Actus verò, qui versantur circa media, dicunt, nõ fieri à sola voluntate, sed mediante appetitione finis; recipi autem in sola voluntate. Sic sentiunt, quàm plures Thomistæ cum D. Tho. 1. 2. q. 9. art. 4. & ibi Caiet. Ferrara contra gentes cap. 89. Capreolus in 2. d. 25. & ibidem Agid. q. 5.

18 Sed doctrina hæc non est accipienda, nam attribuere actus voluntatis, qui versantur circa finem (vt causæ principali agenti) non ipsi animæ, seu homini, qui per voluntatem illos efficit, sed potius Deo generanti, seu creati animam, & illius voluntatem, ineptè efficitur, non solum propter rationes generales, quibus quæstione sequenti idem ostendam de motibus grauium, & leuium; sed etiam propter rationes speciales, quas ad hoc probandum adducit Scotus in 2. d. 25. & quodlib. 21. litt. L. nimirum, quia actus voluntatis, qui versantur circa finem, vitales sunt, & sæpè liberi; atque adeò, non principio extrinseco, sed intrinseco attribui debent. Imò addo, quòd, cum actus isti aliquando sint peccata, si tribuerentur generanti, seu creati animam, tribuerentur Deo, tanquam princi-

pali agenti peccata hominum; siquidem Deus est istud generans, seu creans animam, cui actus voluntatis, qui versantur circa finem, attribuuntur.

19 Deinde actus voluntatis, qui versantur circa media, etsi orientur ab intentione finis; tamen cum ab hac intentione solum orientur in genere causæ finalis, & per motionem metaphoricam, nihil ad rem. Nā in præsentem solum inquirimus, an idem possit moueri à se ipso taliter, vt idem sit principium effectiuum, & receptiuum, vt *quod*, & secundum eandem partem integram eliciens effectum? quod non aufertur ab anima in elicitione actuum voluntatis, qui versantur circa media, per hoc, quòd ad illos eliciendos finaliter, & metaphoricè attrahatur ab intentione finis; sicuti neque aufertur ex eo, quòd finaliter, & metaphoricè in omni actu voluntatis voluntas moueatur, & attrahatur ab obiecto. Cum igitur tot instantijs manifestum appareat, actione æquiuoca idem realiter pati, & moueri à se ipso, conuincitur manifestè posterior pars nostræ sententiæ.

20 Ad primam auctoritatem Arist. quæ desumpta est ex primo capite huius libri, (vbi nõ solum affirmat, nihil diuisibile, & habens partes integrales moueri posse à se ipso primo, sed etiam probauit per rationem à nobis adductam in recopilatione textus)

tus) vt respondeat Scotus, optimè animaduertit locis citatis, præsertim in 2. d. 2. q. 10. §. *Sed ad probationem n. 13. ly primò dupliciter posse accipi.* Vno modo prout moueri primò idem est, ac moueri secundum se totum, & opponitur ei, quod est secundum partem: qua ratione sumpsit Aristot. (ait Scotus) *moueri primò* 5. libro huius operis, dum id, quod mouetur, diuisit in id, quod mouetur secundum accidens; & in id, quod mouetur secundum partem; & in id, quod mouetur primò: & etiam libro 6. vbi dicit, quod quidquid mouetur in aliquo tempore, primò mouetur in aliqua parte illius temporis. Alio modo prout ly *primò* dicit causalitatem præcisam, id est, pro eo, quod conuenit alicui ratione sui, & non ratione alterius: qua ratione sumpsit Arist. ly *primò* 1. Post. in definitione vniuersalis, cum dicit, quod passio conuenit primò suo subiecto.

2.1 His prænotatis respondet Scotus, Aristotelem ibi solum intendisse, nihil diuisibile, & habens partes integrales posse moueri à se ipso primò ista duplici primitate simul: & hoc optimè probasse per rationem relata in recopilatione textus. Probat enim prædicta ratio, implicationem inuoluere, quod aliquid diuisibile, & habens partes integrales moueatur à se primò ista duplici pri-

mitate simul. Quod sic demonstrat Scotus. Si aliquid diuisibile, & habens partes moueretur à se primò primitate totalitatis: ergo motus inest cuilibet parti eius: consequentia patet; nam totum in quantum mouens est homogeneum, & moueri est passio homogenea: passio autem homogenea non inest toti primò primitate totalitatis, nisi insit cuilibet parti eius. Ex quo sequitur, in totis, quæ mouentur primò primitate totalitatis hæc esse inuitabilem consequentiam; *pars quiescit: ergo totum quiescit*; id est, desinit moueri primò hoc genere primitatis. E contrario contingit in eo, quod mouetur primò primitate causalitatis; nam in hoc non debet remoueri ab ipso prædicatum hoc (*moueri à se*) ex eo quod remoueatur non solum ab aliquo extrinseco, sed neque ex eo, quod remoueatur ab aliqua ipsius parte: sicut enim habere tres angulos (quod est prædicatum conueniens primò triangulo primitate causalitatis) non remouetur à triangulo, ex eo quod remoueatur non solum à quadrangulo, sed etiam à quacumque trianguli parte, scilicet, ab hoc, vel ab illo angulo: ita *moueri* non potest remoueri à toto, quod à se primò mouetur primitate causalitatis, ex eo, quod remoueatur non solum ab aliquo ei extrinseco, sed etiam si remoueatur ab aliqua ipsius parte. Unde si totum moueatur à se primò primitate cau-

cau-

causalitatis, non debet quiescere ad quietem partis; sicut probatum est debere quiescere ad quietem partis id, quod mouetur à se primò primitate totalitatis: ergo implicat, aliquod totum moueri à se primò vtraque ista primitate simul; non secus, ac implicat, quod de aliquo simul verificetur, quod quiescat ad quietem partis, & quod non quiescat ad quietem partis. Optimè ergo concludit Arist. ratio, quod ipse intendebat in 1. cap. huius libri, scilicet, contradictionem inuoluere, quod aliquod totum diuisibile, & habens partes moueatur à se primò vtroque genere primitatis simul; & consequenter contingere non posse.

2.2 Tamen totum hoc non est contra nos; nam, cum asserimus, in agentibus æquiocis posse idem moueri à se ipso primò, non loquimur de vtroque genere primitatis simul; nam inter Catholicos indubitatum est, nihil creatum posse moueri à se ipso primò primitate causalitatis; siquidem de fide certum est, omne mouens creatum in hoc, quod est mouere dependere ab aliquo extrinseco, scilicet, à Deo, tanquam à causa superiori, & vniuersaliori, tam in sua virtute mouendi, quam in sua actuali motione. Imò addo in mouentibus, & motis diuisibilibus homogeneis (vt sunt graua, & leuia) cum mobilitas totius pendeat in genere causæ materia-

lis à mobilitatibus partium (non secus, ac esse totius pendet in genere causæ materialis ab esse partium integralium) non posse totum moueri à se ipso primò primitate causalitatis: aliàs, vt quiete partium non posset inferri quiete totius; cuius oppositum contingit. Solum ergo nos intendimus in nostro asserto, in agentibus æquiocis, etiam quando sunt diuisibilia (vt contingit in grauib, & leuib) posse idem moueri à se ipso primò primitate totalitatis: quæ primitas solum consistit in hoc, quod totum secundum quamlibet eius partem, & moueat, & moueatur; nec necessarium requiri (vt aduersarij contendunt) distinctionem realem, adhuc partialem inter mouens, & motum, ita vt vna pars moueat, & altera moueatur. Cui asserto in nullo contradicit, aut axioma Aristot. (*nihil mouetur à se ipso primò, sed omne quod mouetur primò, ab alio moueri, necesse est*) neq; ratio, qua prædictum axioma demonstrauit. cum ipse loquatur (vt probatum est) de vtroque genere primitatis simul: nos verò solum loquimur de vno tantum genere primitatis, scilicet, de primitate totalitatis; non verò de primitate causalitatis, & dependentiæ ab alio.

2.3 Ad aliam auctoritatem Arist. desumptam ex his, quæ docet 8. lib. huius operis referretur ex his, quæ ibi docet

Phi-

Philosophus tria posse præcipuè ponderari ab aduersarijs ad suum intētum. Primum est, Arist. in viuētib; quæ dicuntur à se moueri, distinxisse partem mouentem à parte mota: quod non faceret, si putaret, idē posse moueri à se ipso primò primitate totalitatis, id est, ita vt quælibet eius pars, & moueat, & moueatur. Sed ad hoc optimè respondet Scotus loco secūdo citato lit. H. vers. *Ad secundum argumentum.* Arist. ita distinxisse, quia virtus mouendi in viuētib; est organica, & sic requirit partē corporis mouentem distinctam à parte mota: quod non est requisitum in mouentibus se nō organice; ( vt sunt grauiā, & leuiā ) quia in histotū est vni forme quantum ad actum primum; & totum in potentia quantum ad actum secūdam. Secundum est, Aristot. ibi sæpè affirmare, nihil moueri à se ipso primò. Sed iam dictum est, hoc esse intelligēdum de moueri à se primò vtroque genere primitatis simul: quod non tollit, quòd aliquid moueatur à se primò vno tantum genere primitatis, scilicet, primitate totalitatis; nam benè stat, quòd aliquid moueatur à se primò primitate totalitatis, id est, quòd secundum quælibet eius partem, & moueat, & moueatur: & tamen quòd non moueatur à se primò primitate causalitatis; sed potius de pen-

denter ab aliquo extrinsecò, scilicet, à Deo, tanquam à causa prima, tam in sua virtute mouendi, quam in sua actuali motione. Tertium est aliud pronuntiatum Arist. *omne, quod mouetur, ab alio moueri, necesse est:* quod non solum statuit Arist. in prædicto libro 8. sed etiam probauit tex. 40. inductione facta ferè per omnes species motus. Sed respondetur loqui solum in agentibus vniuocis, non in æquiuocis, vt ipsemet testatur in fine illius textus: dicit enim id, quod ipse dixerat, & multis exemplis declarauerat, scilicet, nihil se mouere posse secundum totū; sed omne, quod mouetur, necessariò moueri ab alio; solum esse verum in agētibus vniuocis: verba Arist. sunt, *similiter autem & aliorum vnumquodque (intellige mouetur ab alio) quorum mouens necesse est habere vniuocum.*

24 Dices: mouens localiter est agens æquiuocum: sed in prædicto textu, affirmat, quòd nihil potest mouere se ipsum localiter; nam inter alia incōuenientia, quæ ibi assignat ex eo quòd idem se ipsum moueret, ponit hoc, quòd idem ferret, & ferretur: ergo falsò asserimus Aristot. in illo textu 40. solum fuisse locutum de agētibus, seu mouentibus vniuocis, & non de æquiuocis. Respondet optimè noster Faber theoremate 61. cap. 4. quòd mouens localiter ad duo potest

test comparari, scilicet, & ad *vbi*, quod est terminus motus localis; ( & hoc pacto est mouens æquiuocum ) & ad aliam similem formam ei, per quam mouet localiter, quam si produceret in aliquo subiecto, nō esset agens æquiuocū, sed vniuocum. Quando ergo Aristot. docet, nihil mouere posse se ipsum totum, quia inde ferret, & ferretur, loquitur, nō de motione ad *vbi*, quæ motio est æquiuoca; sed de motione ad similem formam ei, qua mouetur, quæ motio est vniuoca. Et quòd hæc sit mens Aristot. patet nō solum ex ratione, qua id probat, nimirum; quia sequeretur, quòd tunc haberet formam, per quam mouet, & quòd non haberet: quod non verificatur in motione, quæ est ad *vbi*, sed verificaretur in motione, quæ esset ad similem formam ei, per quam mouet localiter: sed etiam, quia aliàs mentiretur Arist. dum in calce textus dicit, doctrinam à se traditam in illo textu solum esse veram in agentibus, seu mouentibus vniuocis: quibus verbis ostendit se locutum fuisse de mouente localiter, non vt est agens æquiuocum, sed vt agens vniuocum.

25. In loco adducto ex 1. de generatione tex. 48. solum intendit Arist. nihil posse agere in se ipso actione corruptiua. Retulerat enim quorundam sententiam, qui dicebāt, vnum

simile posse pati, seu corrumpi ab alio simili: & hoc refutat; quia si simile posset agere in simile actione corruptiua; etiam idem simili actione posset agere in se ipsum, quod reputat absurdum; quia tunc nullum posset dari incorruptibile. Libro autem 9. Metaph. tex. 2. definit *potentiam actiuam esse principium transmutationis in alio; vt aliud est;* & similiter definit *potentiam passiuam esse principium mutationis passiuæ ab alio, in quantum aliud est.* Tamen ex his definitionibus non rectè inferitur, non posse idem agere in se ipsum: sed quod debet inferri est, etsi idem agat in se ipsum, sed non secundum eandem rationes formales, esse agens, & patiens, sed secundum diuersas, v. gr. voluntas, etsi sit agens, & patiens respectu sui actus, sed non secundum eandem rationem formalem, sed secundum aliam, & aliam: est enim agēs, quatenus actiua est, & patiens, quatenus passiuā. Et quòd hæc expositio quadret menti Arist. colligitur ex 5. Metaph. vbi hoc magis declarans dicit, *potentiam actiuā esse mutationis principium in alio, aut quatenus aliud est; id est, quatenus subit aliam formalitatem ab illa, sub qua patitur.*

26. Ad primam rationem optime respondet Scotus locis citatis, præsertim in 1. d. 3. q. 7. §. *Ad argumenta pro secunda.* prædictam rationem concludere.

dere manifestè, nihil posse agere in se ipsum actione vniuocæ (quod & erat Aristotelis intentum, & nos num. 7. statuimus) nam, cum agens vniuocū dicatur illud, quod producit in subiecto formam eiusdem speciei cum illa, per quam agit, si idem actione vniuocæ ageret in se ipsum, idem esset simul in actu formali, & in potētia formali respectu eiusdem; seu (quod idem est) idem simul haberet formam eiusdem rationis cum illa, ad quam moueretur, & careret prædicta forma, quod est implicatio. Non tamen habet aliquam vim contra id, quod nos statuimus in secunda parte nostræ sententiæ, scilicet, actione æquiuocæ posse aliquid agere, seu mouere se ipsum; nam, cum agens æquiuocū dicatur illud, quod producit in subiecto formam diuersæ speciei ab illa, per quam agit, si idem actione æquiuocæ, seu moueret se ipsum, quod infertur solum est, quod idem esset simul respectu eiusdem in actu virtuali, & in potētia formali; seu (quod idem est) quod idem simul haberet actu virtutem producendi aliquam formam, & quod careret formaliter tali forma: quod nulla est implicatio; nam Sol habet actu virtutem producendi calorem, & simul caret formaliter forma caloris & leue, dum detinetur deorsum, habet actu virtutem producendi in se *vbi*

fursum, & simul caret formaliter *vbi* fursum.

27 Sed contra hanc solutionem insurgunt aliqui innitentes, nō minus implicare, quod aliquid sit simul in actu virtuali, & in potētia formali, quā quod aliquid sit simul in actu formali, & in potētia formali. Primò, actus virtualis perfectior est actu formali, qui in virtute eius continetur: ergo perficit magis subiectū, & consequenter tollit à subiecto potentiam, quam habet ad actum formalem, magis perfectè, quā ipse actus formalis. Secundò, quia subiectum habens actum virtuale frustra produceret in se actum formale; siquidem per illum non fieret magis perfectum, ac prius erat per actum virtuale. Tertiò, quia etiam si Sol possit producere calorem in alio; tamen non potest, illum in se producere; & non alia ratione, nisi quia habet in se calorem virtualiter, & consequenter perfectiori modo, quā si haberet illum formaliter. Quartò, si habens aliquam formam virtualiter posset illam in se producere formaliter, statim illam produceret, cuius oppositum in multis experimur.

28 Sed ad hæc, & ad alia similia optimè respondet Scotus 9. Metaph. q. 14. citata negando assumptum. Et ad primam probationem admittit libenter, actum virtuale esse per-

perfectiorem actu formali, qui in virtute eius continetur: & similiter perficere magis subiectum: sed negat, inde inferri, quod tollat à subiecto potentiam, quam habet ad actum formalem; quia iste licet imperfectior sit actu virtuali, aliquam tamen perfectionem dicit, in quantum distinguitur à virtuali: & sic secundum illum gradum perfectionis eius non perficeretur subiectum, si solum haberet virtuale limitatæ perfectionis. Ad secundam dicit, minorem perfectionem non esse superfluum in aliquo habente maiorem, nisi hæc maior sit illimitata; vt est perfectio Dei: nam omnis perfectio limitata minor est se ipsa cum alia. Quod confirmat instantia substantiæ, quæ præcisè sumpta perfectior est quocumque accidenti præcisè sumpto; & tamen actus substantiæ non tollit potentiam ad accidens, nec superfluit accidens; quia substantia cum accidenti perfectior est se ipsa sola. Ad tertiam respondet ex ratione actus virtualis, & ex ratione actus formalis nunquam oriri repugnantiam essendi simul in eodem subiecto actum virtuale, & formalem: aliàs numquam possent esse simul. Quod si in aliquibus casibus experimur repugnantiam cohærendi simul actus istos, hoc non prouenit (inquit Scotus) ex ratio-

ne actus virtualis, & formalis, sed ex alio capite; nimirum in exemplo Solis adducto repugnantia essendi simul virtualiter, & formaliter calidum prouenit ex eo, quod calor est propria qualitas corporis corruptibilis, ac per consequens Sol est subiectum incapax prædictæ qualitatis. Quod probat instantia Saturni, qui non est virtualiter calidus, sed potius est virtualiter frigidus; & tamen non minus illi repugnat esse formaliter calidum, quam repugnat soli. Ad quartam ineptè inferri ex eo, quod aliquid habens formam virtualiter sit potens illam formaliter in se producere, quod statim illam producat; nam licet ratione distantiæ non possit impediri, ne illam statim producat, vt contingere solet in his, quæ agunt in externum subiectum; tamen ex pluribus alijs capitibus potest prouenire, ne statim illam in se producat; quorum aliqua assignat Scotus in calce quæstione 14. citatæ. Primum est, si adsit virtus contraria efficacior; vt contingit, quando graue ab aliquo extrinseco detinetur, ne moueatur deorsum: & etiam quando aqua calefit ab igne præsentis; impeditur enim, ne se ipsam frige faciat. Secundum, si non sit causa totalis illius formæ, quam virtualiter cōtinet, sed aliud cum ipso, si illud aliud non adsit, nō agit;

agit; vt contingit in pipere, & alijs similibus, quæ etiam habeant virtutem producendi calorē, sed non nisi, quando ab animalibus sumuntur, & eorum virtuti alligantur; & similiter contingit in intellectu, & alijs potentius cognoscitiuis, quæ non agunt, seu producant in se cognitionem, nisi adsint obiecta, vel eorum species, quæ simul cum illis concurrunt ad cognitionem. Tertium, si qualitas producenda sit operatiua, & consequenter indigens, quod per actionem præuiam alterius potentie proponatur obiectum, circa quod debet operari: si enim non adsit prædicta actio præuia proponens obiectum, non agit; vt contingit in operationibus voluntatis, quæ non eliciuntur à voluntate, nisi præcedat cognitio proponens obiectum, circa quod operetur, ipsi voluntati; quia nihil volitum, quin præcognitum. Quartum, & vltimum caput est, si produccens sit agēs liberum poterit, etiam altantibus omnibus ad agendum requisitis in se non agere; vt contingit in voluntate nostra, quæ adhuc proposito sibi obiecto per intellectum potest non elicere volitionem circa illud.

29 Ad secundam rationem principalem fatemur, quod, si idem accidentaliter ageret, seu moueret se ipsum, idem esset efficiens, & materia se-

cunda, seu subiectum: neque hoc est contra Aristot. 2. Physic. tex. 7. citato; quia, vt optimè vidit Scotus in 1. d. 3. citata lit. S.) cum Aristot. ibi affirmat, efficiens, & materiam non coincidere, neque in specie, neque in numero, loquitur de materia prima; nam, cum hæc sit pura potentia, nequit esse actiua, & consequenter, neque efficiens alicuius effectus; non vero loquitur de materia secunda, id est, de composito substantiali, vt est subiectum accidentium; nam, cum materia secunda non sit pura potentia, potest optimè esse simul subiectum aliquorum accidentium, atque similiter principium efficiens, seu productiuum ipsorum.

30 Ad tertiam rationem desumptam ex oppositione relationum, quæ essent in eodem in casu, quo moueretur à se ipso, mirificè respondet Scotus ibi littera T. aliquas esse relationes oppositas impossibiles in eadem natura, & supposito, vt sunt relationes causæ, & causati: cæ enim non possunt esse simul in eadem natura, & supposito; quia aliàs idem dependeret essentialiter à se ipso: aliquas vero esse relationes oppositas impossibiles in eodem supposito, sed non in eadem natura; vt sunt relationes producentis ad productum, quæ reperiuntur inter diuinas personas: cū enim

Pa-

Pater æternus producat Filiū communicando illi eandem numero naturam; & Pater, & Filius producant Spiritū sanctum communicando etiam illi eandem numero naturā, hinc fit, vt relationes oppositæ producentis, & producti, quæ ibi interueniunt, etsi sint impossibiles in eodē numero supposito, non tamen in eadem numero natura. Aliquas demum esse relationes oppositas, quæ non sunt impossibiles, neque in eodem supposito, neque in eadem natura; sed potius possunt reperi in eodem supposito, & in eadem natura: & huiusmodi esse relationes mouentis, & moti, seu agentis, & patientis. Cuius ratio est, (inquit Scotus) quia hæ relationes non ponunt inter relationem dependentiam essentialem; vt ponunt relationes causæ, & causati: nec prioritatem originis; vt ponunt relationes producentis, & producti: sed solum ponunt, quod idem pendeat à se ipso; quantum ad aliquem actum accidentalem: in quo nulla est repugnantia. Cū ergo Aristot. docet, relationes oppositas esse impossibiles in eodem supposito, seu natura, loquitur solum de relationibus priorum generū, scilicet, de relationibus causæ, & causati; atque de relatione producentis ad productum.

31 Ad quartam respondet Scotus in 2. d. 2. quæst. 10. §. Ad primum argumentum. admittendo, quod ea, quæ diuidunt aliquod ens, non possunt simul in aliquo contento sub illo reperi. Tamen ex hoc solum sequitur, (inquit Scotus) quod actus, & potentia (sumpta pro modis entis, id est, prout ens, in potentia idem est, ac ens, antequam fiat; & ens in actu idem est, ac ens, quando actu est) non possunt eidem enti conuenire; quia hoc pacto actus, & potentia immediatè diuidunt omne ens; nec possibile est, quod de eodem ente simul verificetur, quod nondum sit, & quod actu sit. Non verò sequitur, quod actus, & potentia (sumpta pro principio actiuo, & pro principio passiuo) nequeant eidem enti conuenire; quia actus, & potentia in ista acceptione non diuidunt immediatè omne ens; & sic non mirum, quod in eodem ente simul reperiatur; vt tot instantijs probatum est reperi.

32 Ad quintam, & vltimam rationem responderetur, quod, si nos affirmaremus, actionem æquiuocam idem moueri posse à se ipso primò non solum primitate totalitatis; (quæ in hoc consistit, vt secundum quamlibet partem eius, & moueat, & moueatur) sed etiam primitate causalitatis, (quæ in hoc consistit, vt in moueri à se ipso

nullo

nullo modo pendeat ab aliquo, quod non est ipsum.) reuera opponeremur illi principio Aristotelico; (*nihil mouetur à se primo, sed omne, quod mouetur, ab alio moueri, necesse est*) & consequenter cogereur affirmare, discursum Aristot. ad probandum dari vnum primū motorem immobilem nō solum esse inanem, sed falsō inniti principio: (quod nō pauci ausi sunt affirmare; sed allucinati quidem in illa particula *primo*) tamen cum solum affirmemus, (vt ex num. 22. constat) aliquid posse actione æquiuoca moueri primō à se ipso primitate totalitatis; potius asserimus, nihil moueri à se ipso primō; nā omnia creata, quæ actione æquiuoca se ipsa mouent, depēdent ab aliquo superiori, & vniuersaliori motore, non solum in sua virtute mouendi, sed etiam in sua actuali motione. Vnde fit, vt non solum non opponamur prædicto Aristot. principio, *nihil mouetur à se ipso primo, &c.* quia Philosophus (vt ex numero 21. constat) in ipso loquitur de vtroque genere primitatis simul: sed neque cogimur fateri, discursum Aristot. fuisse inanem: imō potius cogimur fateri prædictum discursum fuisse efficacissimum; nā si adhuc in his, quæ actione æquiuoca mouent se ipsa verum est, non moueri à se ipsis primō primitate causali-

tatis; sed in tali motione depēdere ab aliquo motore superiori, & vniuersaliori, dicendum necessariō erit, in his motoribus, & motis (quæ essentialiter subordinantur, cum vnus actualiter moueri nequeat, nisi alter etiam actualiter moueat) vel dandum fore processum in infinitum, quod est impossibile; vel deueniendum esse ad aliquem primum motorem, qui neque in sua virtute mouendi, neque in sua actuali motione ab alio dependeat, & consequenter sit immobilis; qui est discursus Aristot. sed de his plura dicemus libro sequenti disputat. vltima.

## QVÆSTIO II.

*An graua, & leuia moueantur à se ipsis?*

**I** EX dictis in quæstione præcedēti cōstat, actione æquiuoca posse aliquid moueri à se ipso primō, sumptoly primō, non pro primitate causalitatis, & independentiæ ab aliquo, quod non sit ipsum, sed pro primitate totalitatis, ita vt si diuisibile sit secundum quamlibet partē eius; & moueat, & moueatur: restat examinandum, an grauibus, & leuibus hic modus mouendi se conueniat? & rationes dubitandi sunt aliquæ auctoritates Aristot. quæ videntur affir-

firmare, graua, & leuia non moueri à se ipsis adhuc in sensu à nobis intento; sed potius hoc, quod est mouere graua, & leuia semper attribuendum esse alicui motori extrinseco, non verò ipsis grauibus, & leuibus, adhuc cum depēdentiā tam in sua virtute mouendi, quam in sua actuali motione ab aliqua causa extrinseca excellentiori, & vniuersaliori.

**2** Prima auctoritas Aristot. est, quam adducit Scotus in 2. d. 2. quæst. 10. §. *Et si dicatur*, desumptam ex 8. Physicor. text. 29. & sequentibus; vbi Aristot. non solum docet, graua, & leuia, non moueri à se ipsis, sed etiam id probat aliquibus rationibus. Prima est; quia solum animalia, & quæ habent vitam, mouentur à se ipsis. Et idem docet 2. de Cælo, text 9. & 1. de Anima, text. 19. & 2. de Anima, text. 13. sed graua, & leuia non sunt animalia, nec habent vitam: ergo non mouentur à se ipsis. Secunda, quia ea, quæ mouentur à se ipsis, possunt etiam à se ipsis in medio motus sistere, & similiter motibus contrarijs se mouere: sed hoc non competit grauibus, & leuibus: ergo neque moueri à se ipsis. Tertia, quia nullum continuum, id est, eiusdem dispositionis in parte, & in toto, potest se ipsum mouere: sed graua, & leuia

sunt continua hoc modo: ergo non possunt mouere se ipsa.

**3** Secunda auctoritas (& quam adducit Scotus) est desumpta ex eodem 8. text. 32. vbi in calce illius soluens Aristot. quamdam tacitam obiectionem videtur apertè confirmare, quòd graua, & leuia, non habeant internū principium sui motus: dicere enim aliquis poterat, si graua, & leuia, non mouerentur à principio interno, quomodo potest motus, quo leue ascendit sursum, & similiter motus, quo graue descendit deorsum, appellari motus naturalis; cum solum ille motus dicatur naturalis, qui est à principio interno? Et huic tacite obiectioni respondens Aristot. dicit, quòd etiam si graua, & leuia non habeant principium actiuum internum suorum motuum; tamen prædictos motus esse illis naturales, quia sunt secundum inclinationem passiuam internam, quam habent ad recipiendum tales motus.

**4** Tertia auctoritas desumpta est ex illo Aristotelico proloquio, *Qui dat formam dat consequentia ad formam*: nam, cum generans det graui, vel leui formam per generationem, dabit etiam illis consequentia ad illam formam: sed perfectio, quæ naturaliter consequitur ad formam grauis, & le-



uis, est esse in suo loco naturali: ergo motus, quo acquiritur talis locus, attribuendus erit ipsi generanti, & non ipsis graui- bus, & leuibus.

6 Propter has auctoritates, & rationes Aristot. plures Auctores affirmant, grauia, & leuia, non moueri à se ipsis, sed ab aliquo extrinseco motore; quamvis in assignando hunc motorem, & similiter modum, quotali motori prædicti motus attribuuntur, non parum discriminantur. Nam quidam (qui existimant, grauia, & leuia ad suos motus merè passiuè se habere; & ex alia parte vident, illa actualiter moueri ad sua loca naturalia tempore, quo non existit efficiens) dicunt, hunc extrinsecum motorem, non esse generans: quia impossibile est, quòd aliquis actualiter moueat, seu operetur tempore, quo actualiter non existit: sed esse aliquod aliud extrinsecum distinctum à generante. Quòdnam autem sit hoc aliud extrinsecum? adhuc dissidium est inter ipsos: nam quidam ponunt esse Cælum; alij loca naturalia grauium, & leuium, quæ per virtutem attractiuam in ipsis residentem ipsa ad se attrahunt; non secus ac magnes attrahit ferrum. Et demum alij dicunt, esse agens illud, quod remouet impedimenta, à quibus detinebantur extra locum naturalem. Harum opinionum me-

minit Scotus loco citato; & etiam ipsas referunt Ricardus in 2. d. 14. artic. 2. quæst. 4. Gregorius d. 6. q. 1. art. 3. & plures alij.

6 Quidam verò sustinent hunc extrinsecum motorem esse generans grauia, & leuia. Ita D. Thom. super 8. Physicor. & 1. part. quæst. 18. artic. 1. & 1. contra gentes cap. 97. & ibidem Caietan. & Ferrara, & Capreolus in 2. d. 6. artic. 3. Sotus 8. Physicor. quæst. 3. Iabellus quæst. 9. Soncinas 9. Metaphyl. Cursus Carmelitanus disput. 28. quæst. 2. §. 2. & est cõmunis modus loquendi Thomistarum, qui adhuc inter se dissident: nam aliqui etiam libenter admittant, in graui- bus, & leuibus esse principium efficiens proximum suorum motuum (nimirum intrinsecam grauitatem, & leuitatem) dicunt tamen grauitatem, & leuitatem, non esse principium principale horum motuum, sed instrumentale; principale autem esse ipsum generans, quod sicut dedit esse graui- bus, & leuibus, ita & leuitatem, atque grauitatem, quæ ad ipsum esse consequuntur, vt per illa, tamquam per instrumenta ipsius generantis, ad loca ipsius connaturaliter debita mouerentur. In hoc sensu defendit Suarez 1. tom. Metaph. disput. 18. sect. 7. à numer. 23. istam sententiam, & citat pro se D. Th. 1. 2. quæst. 36. art. 2. &

& 3. contra gentes cap. 23. ratione 4. Nec obstant (inquit Suar.) loca supra citata, in quibus negare videtur D. Th. grauia, & leuia habere in se principium actiuum motus: nam intelligenda sunt (inquit) de principio actiuo principali, nõ de instrumentali.

7 Tamen Sotus cum Iabello, Soncinate, & multis alijs negat, in graui- bus, & leuibus esse aliquam virtutem actiuam suorum motuum, sed solum illis inesse naturalem potentiam passiuam ad recipiendum ipsos ab ipso generante. Quæ expositio etiam arduam Prouinciam assumat, necessario amplectenda est ab omnibus Thomistis, qui (vt quæstione præcedente vidimus) vniuersaliter defendunt, nihil posse se ipsum mouere: nam semel admissio, quòd in graui- bus, & leuibus sit principium intrinsecum sui motus, negari nequit, quòd se ipsa moueant primò primitate totalitatis, ita ut quælibet pars eorum, & moueat, & moueatur: nam, cum sint homogeneæ, non est assignabilis ratio, cur vni attribuamus mouere, & alteri moueri; sicuti contingit in viuientibus, quorum partes sunt eterogeneæ. Nec satisfacit distinctio mouentis principalis, & instrumentalis. Tum, quia (vt infra ostendam) semel admissio, quòd in graui- bus, & leuibus sit virtus intrinseca ad

se mouendum, fateri cogimur, quòd ipsa grauia, & leuia sint causæ per se principales suorum motuum; generans verò solum sint causa per accidens; non secus ac contingit in omnibus alijs generantibus respectu motuum, seu operationum suorum genitorum. Tum etiam, & præcipuè, quia inconuenientia, quibus quæst. præcedenti nitebantur probare illud assertum: *Nihil mouetur à se primò*, videlicet, quia alias idem esset simul in actu, & in potentia respectu eiusdem; & similiter, quia in eodem essent relationes oppositæ, &c. Non minus procedunt in agentibus instrumentalibus, quàm in principalibus: aut ergo Thomistæ negent, prædictum assertum esse vniuersaliter verum; aut cū Soto, Iabello, & alijs fateantur, in graui- bus, & leuibus nullum esse principium efficiens sui motus, neque principale, neque instrumentale, sed solum potentiam passiuam naturalem ad recipiendum ipsorum motus naturales ab ipso generante.

8 Demum aliqui ex antiquis Philosophis, non negabant absolutè grauia, & leuia moueri à se ipsis, sed moueri à se ipsis per se, dicebant tamen moueri per accidens: affirmabant enim, in graui- bus, & leuibus esse internam virtutem mouendi localiter, non se ipsa, sed aërem, aut aliquod aliud

medium ipsis contiguum, ad cuius motum ipsa per accidens mouebantur. Quod declarabant exemplo remi, qui mouendo triremem mouet per accidens se ipsum: & exemplo nauæ, qui mouendo nauim mouet etiam se ipsum per accidens, & ad motum nauis. Huius sententiæ (vt annotauit Scotus ibi litter. M.) videtur esse Auerroes 3. de Cælo com. 18. & 8. Phisycorum com. 32. & ipsi Aueroi eandem sententiam tribuunt Zimarra, Piccolominæus, & plures alij.

9 Sed his non obstantibus tenendum est, graua, & leua, & habere in se virtutem intrinsecam effectiuam suorum motuum, & à se ipsis per se, tamquam à causis principalibus moueri. Hæc est sententia Scoti in 2. d. 2. quæst. 10 quem omnes discipuli secuntur, Maiorinus ibidem d. 14. quæst. 6. Antonius Andreas 9. Metaph. q. 1. Faber Theoremate 61. Gregorius in 2. d. 6. q. 1. art. 3. Baruius, Iandunus, Niphus, Saxxon 8. Phisic. & ex recentioribus, Hurtado disp. 9. Phisica sect. 8. Auersa q. 14. de causa effectiua sect. 5. Pererius lib. 6. cap. 16. Vallesius 2. Phisycor. cap. 1. & controu. 11. Plaza 2. Phisic. disp. 5. q. 7. ibidē Murcia disput. 1. q. 6. Corbeus in hoc 7. disput. vnica dub. 3. & quam plures alij; estque expressa Auerois 3. de Cælo com.

28. quamuis in auctoritate Auerois, non sit multum nitendum (vt aduertit Scotus) quia varia loquitur alibi; vt in quæstion. præcedenti num. 2. & in hac quæstione num. præcedenti perspicuum est.

10 Et in primis graua, & leua habere in se virtutem effectiuam suorum motuum, & consequenter à se ipsis, & non ab aliquo extrinsecò per se moueri, probat Scotus expressiste Simonij Arist. Primum desumitur ex 8. Phisic. tex. 3. 2. vbi soluens dubitationem de grauibus, & leuibus dicit, quòd, quia potentia dicitur multipliciter, idè non est manifestum, à quo graue moueatur: distinguit autem duplicem potentiam; vnã essentialem ad actum primum; & alteram accidentalem, & ad actum secundum: & applicando ad propositum dicit, quòd sicut aqua est in potentia essentiali, vt fiat ignis; cum autem genitus fuerit ignis, adhuc manet in potentia accidentali, id est, ad calefaciendum; & statim calefacit, nisi impediatur; ita contingere in graui, & leui: leue enim fit ex graui, tamquam ex potètia essentiali; vt ex aqua aër: cum autem est iam leue, mox operabitur, nisi impediatur. Verba Aristot. sunt: *Frigidum potestate calidum est; cum autem mutatum est, ignis est; comburitur verò, nisi quidquam prohibeat, & obstet.* Et addit. *Non secus se res habet in graui, & leui:*

*namque ex graui fit leue, vt ex aqua aër, hoc enim potestate erat primum, & iam est leue, protinusque aget, nisi aliquid impediatur.* Et infra. *Sed frigidum, quod impedit, amotum fuerit, aget.*

11 Secundum testimonium desumitur ex libro 4. de Cælo text. 2. vbi ait, graua, & leua habere in se *fomenta*, seu *incitamenta motus*. Et clarius text. 25. comparat enim ibi graue, & leue ad corpus sanabile dicens, sicut hoc ad sanitatem, ita illa ad sua loca proficisci; subdit verò discrimen his verbis: *Excipitur tamen hoc; hæc enim (graue, scilicet, & leue) in se ipsis mutationis principium habere videntur; illa vero (scilicet sanabile, & accrescibile) non in se ipsis, sed foris: vbi necessario loquitur de principio actiuo; passiuum enim, etiam est in subiecto sanabili.* Vndè de illo, & de subiecto accrescibili subdit, *Quamquam & hæc interdum ex se ipsis mutantur, & paruo facto in externis motu, alterum in sanitatem, alterum in incrementum accedunt.*

12 Tertium testimonium desumitur ex 4. Phisycor. cap. de Vacuo, text. 85. vbi dicit Aristotel. idè committantur densum, & rarum duæ contrarietates, videlicet graue, & leue; durum, & mole: & loquens de contrarietate grauis, & leuis dicit, rarum, & densum secundum istam contrarietatem esse actiua suorum motuum;

quatenus verò subeunt aliam contrarietatem, scilicet, durum, & molis, non habere principium mouendi, sed vel resistendi, vel patiendi alterationem. Nec obstat (inquit Scotus) quod idem Aristotel. 2. de Generatione, text. 8. enumerans qualitates actiuas excludit graue, & leue à qualitibus actiuis: nam non solum ab actiuis, sed etiam à passiuis qualitibus excludit Philosophus graue, & leue in prædicto loco: & tamen per aduersarios graue, & leue habet principium passiuum suorum motuum: ergo omnes affirmare cogimur (ne Aristoteles sibi contrarius in his duobus locis existat) de diuerso motu locutum fuisse in vno loco, ac in alio: nam 8. Phisycor. (cum dicit, in grauibus, & leuibus esse principium tam actiuum, quam passiuum suorum motuum) loquitur respectu motus localis, quo in loca sua naturalia tendunt. At in 2. de Generatione (cum à qualitibus tam actiuis, quam passiuis leuitatem, & grauitatem excludit) loquitur respectu actionis, & passionis, quæ ad generationem, vel corruptionem tendunt: de hac enim actione, & passione ibi loquebatur.

13 Deinde probat Scotus eandem sententiam rationibus. Prima est: omnis affectus, quando in actu causa-

tur habet causam actualiter illum causantem. Hæc propositio (inquit Scotus) est Aristotel. 2. Phisic. text. 37. & 5. Metaph. cap. de causa; ubi dicit: *Efficiens in actu, & causatum in actu simul sunt, & non sunt: & dato, quod non esset auctoritas, est manifesta per rationem; quia, quod non est, quando non est, non producit aliquid ad esse.* Hæc veritate supposita, arguit Scotus. Cum graue mouetur deorsum actu, necesse est, quod adsit aliqua causa per se actu producens talem motum: sed hæc causa non est remouens prohibens. Tum, quia remouens prohibens postquam remouit impedimentum, nihil amplius efficit. Tum etiam, quia remouens prohibens secundum Philosophum 8. Phisycorum, text. 32. non est causa per se, sed per accidens. Nec etiam est centrum; quia, si per impossibile nullum graue esset in centro, sed tota terra amoueretur ab eo, & solum remaneret centrum in ratione centri, sicut antea, adhuc graue tenderet ad centrum. Quid ergo in tali casu attraheret graue? numquid *ubi* mathematicum? Constat, quod non; quia non est forma actiua. Nec etiam est influentia Cæli, quia hoc videtur esse fuga recurrere ad agens vniuersale; quia est negare, effectus particulares habere causas particula-

res. Item influentia Cæli, quantum est ex se vniformis est in toto medio: quare ergo vnam partem in toto medio moueret sursum, & aliam deorsum, nisi poneretur agens particulare determinans vnam partem ad motum sursum, & aliam ad motum deorsum? Nec potest dici, quod sit generans; quia potest contingere, vt, quando graue actualiter mouetur, non existat in rerum natura, vel saltem in debita approximatione generans ipsum graue. Nec demum dici potest, quod sit aër, aut aliquod aliud medium ipsi graui contiguum (vt Auerroes, & alij Philosophi antiqui affirmabant) quia prædictis Philosophis consentientibus, quando graue mouetur deorsum, aër, aut aliud medium contiguum solum est causa per accidens motus grauis, nunc autem quærimus causam per se istius motus. Imò, cum (eisdem consentientibus) aër, aut quodcumque aliud medium contiguum per se moueatur à graui; & insuper graue non possit aërem, aut quodcumque aliud medium contiguum per se mouere ipsa impellendo, quin prius tempore, vel natura ab aliquo per se moueatur (vt exempla remi, & naturæ, quibus utebantur, satis clarè confirmat) assignanda necessariò erit aliqua causa, à qua per se graue deorsum mo-

moueatur: quæ cum esse non possit remouens prohibens, nec centrum, nec Cælum, nec generans (vt probatum est) concluditur à sufficienti partium enumeratione, causam per se motus grauis esse ipsum met graue per virtutem sibi intrinsecam. Et idem erit iudicium de motibus quibus leuia ferantur sursum.

14 Secunda ratio; illud, quod non mouet aliud, nisi prius natura motum, ab eodem habet, quod moueat, & quod sit motum: sed graue, cui alligatum est leue (cuius leuitas grauitatem eius non exuperat) mouet illud leue trahendo illud secum ad centrū, & non mouet, nisi quia prius natura est motum: ergo ab eodem mouetur, à quo habet, quod moueat illud leue sibi alligatum: sed mouet illud leue sibi alligatum ratione suæ grauitatis: (vt omnes fatentur) ergo, & se ipsum. Confirmatur hæc ratio; nam quoties aliquid habet potentiam actiuam respectu alicuius formæ, potest illam causare in quocumque passo proportionato, & appropinquato: sed graue habet potentiam actiuam respectu, *ubi* deorsum; vt patet respectu leuis, quod secum trahit deorsum: ergo quando ipsum graue est extra locum deorsum (cum sit receptiuum, *ubi* deorsum) poterit causare istam formam, *ubi* deorsum in

se ipso; quia est patiens proportionatum, & appropinquatum sibi. Alias plures rationes adducit Scotus, quas omitto, quia apud ipsum videri possunt.

15 Ad has auctoritates, & rationes, quibus Scotus suam corroborauit sententiam, respondent Suarez, Rubius, & alij, probare manifestè, grauia, & leuia habere in se virtutem, seu principium actiuum suorum motuum: & consequenter euidenter conuincere, falsam esse sententiam asserentium, grauia, & leuia respectu suorum motuum merè passiuè se habere: (vt supra vidimus) non tamen concludere, grauia, & leuia moueri à se ipsis: (vt Scotus, & nos contendimus) nam, vt aliquid dicatur moueri à se ipso (dicunt hi) non sufficit, quod moueatur a virtute actiua in ipso existente; sed etiam requiritur, quod hæc virtus actiua sit virtus principalis motus: nam, si solum sit instrumentalis, non dicetur moueri à se ipso, sed à generante, seu tribuente illi talem virtutem. Vndè, cum ipsi existiment, virtutem actiuam, quæ est in grauibus, & leuibus respectu suorum motuum, nimirum grauitatem, & leuitatem solum esse virtutem instrumentalem; hinc colligunt, non esse affirmandum, grauia, & leuia moueri à se ipsis, sed potiùs agenerante,

seu tribuente illis talem virtutem, vt per illam, tamquam per instrumentum ipsius generantis moueantur ad sua loca naturalia.

16 Fateor, solutionem istam (si verum esset id, quod vltro supponunt hi Authores, scilicet, virtutem actiuam, quæ est in grauibus, & leuibus respectu suorum motuum naturalium, non esse principalem, sed solum instrumentalem) non solum esse sufficientem, sed etiam conuinci posse esse veram instantia projectorum, de quibus nullus affirmat, quod moueantur a se ipsis; sed potius omnes fatentur, quod moueantur, proiciente, non obstante, quod in ipsis proiectis, dum actualiter mouentur, sit virtus actiua illius motus, ipse nimirum impulsus, quem a proiciente recipiunt; & similiter non obstante, quod tempore, quo proiectum mouetur, non existat ipsum proiciens; vt contingeret in casu, quo immediatè post projectionem ipsum proiciens corrumperetur. Cuius nulla alia ratio potest assignari, nisi quia proiecta, etsi dum actualiter mouentur, habeant in se virtutem actiuam suorum motuum, scilicet, impulsam; tamen hæc virtus, non est principalis ipsorum motuum, sed solum instrumentalis: aliàs competeret proiectis in esse quieto, & non solum in ipsa

actuali motione: vt experimur conuenire. Tamen, quia id, quod authores hi supponunt (scilicet, virtutem actiuam, quæ est in grauibus, & leuibus respectu suorum motuum naturalium, non esse virtutem actiuam principalem, sed solum instrumentalem) non solum est falsum, sed absque fundamento dictum (vt statim non solum ex Aristotel. sed etiam per rationes ostendam) ideò prædictam solutionem inanem iudico, & solum fictam ad fugiendum difficultatem.

17 Porro virtutem actiuam, quæ est in grauibus, & leuibus respectu suorum motuum naturalium, non esse actiuam instrumentalem, sed potius principalem; non secus, ac est virtus principalis, quæ est in igne respectu calefactionis; probari potest. Primo ex Aristotel. qui 8. Phisycor. text. 32. (cuius verba retuli numer. 10) expressè affirmat, non aliter esse philosophandum de graui, & leui, tam respectu potentia essentialis, & quæ præsupponitur ad eorum esse, quam respectu potentia accidentalis, & quæ conuenit illis, quando habent esse respectu suorum motuum naturalium, ac philosophamur de igne, tam respectu potentia essentialis, & quæ præsupponitur ad ipsius esse, quam respectu potentia accidental-

lis,

lis; & quæ conuenit illi, quando habet esse respectu calefactionis. Ex hac enim doctrina Aristotel. vnum ex tribus necessariò fatendum est; vel Aristotelem ineptè grauiam, & leuiam cum igne tam in potentia essentiali, quam in potentia accidentali paria fecisse: quod absque Philosophi iniuria nullus proferet; vel quod potentia accidentalis, quæ est in igne respectu calefactionis, & quæ ei competit postquam ex potentia essentiali, in qua erat in aqua transiit ad esse ignis non sit virtus actiua calefactionis principalis, sed potius instrumentalis: quod nullus audet affirmare; aliàs calefactio non esset attribueda igni, sed generanti ignem; quod esset absurdum. Vel, quod potentia accidentalis, quæ est in leui respectu motus sursum (& idem dico de graui respectu motus deorsum) & quæ conuenit ei postquam ex potentia essentiali, in qua erat in graui, transiit ad esse leuis; non sit virtus actiua motus sursum instrumentalis, sed potius principalis; non secus ac est virtus calefactiua in igne; quod est intentum.

18 Secundò probari potest (& est ratio à priori) causa principalis actiua, & causa instrumentalis actiua propriè sumptæ penes hoc discrim-

inantur (vt ex dictis 2. libro disput. 4. quæst. 3. numer. 5. latius constat) quod causa principalis actiua dicitur illa, quæ in esse quieto habet formam, quæ sit principium agendi in suo ordine; vt videri est in igne respectu productionis alterius ignis, & in calido respectu productionis alterius calidi: causa verò instrumentalis actiua dicitur illa, quæ in esse quieto non habet formam, quæ sit principium agendi in suo ordine, sed potius illam accipit in ipsa actuali motione principalis agentis; vt videri est in proiectis, quæ etsi habeant formam, quæ sit principium effectiuum prædicti motus productionis, scilicet, impulsam: tamen cum hanc formam non habeant in esse quieto, sed in ipsa actuali motione principalis agentis, ideò non dicuntur moueri ab impulsu principaliter, sed potius instrumentaliter; principaliter verò ab ipso proiciente. Sed grauiam, & leuiam respectu suorum motuum naturalium habent formas effectiuas prædictorum motuum in esse quieto (vt omnibus perspicuum est) ergo solum potuerunt asserere, grauiam, & leuiam, non esse causas principales suorum motuum naturalium, sed potius instrumentales, qui discrimē inter causam principalem, &

in-

instrumentalem penitus ignorarunt.

19 Tertio probari potest (& est ratio à posteriori) inquirendo ab his Auctoribus de qua virtute loquantur, cum dicunt, etsi graua, & leuia habeant in se virtutem actiuam suorum motuum, prædictam virtutem, non esse principalem, sed instrumentalem: nam (vt Suarez, cum communi, & veriori sententia fatetur) duplex virtus effectiua respectu suorum motuum in grauib, & leuib, assignari debet: alia proxima, & formalis (nimirum grauitas in grauib, & leuitas in leuib) & alia remota, & radicalis, nimirum ipsæ formæ substantiales ipsorum grauium, & leuium. Si loquuntur de virtute actiua proxima, & formali, cum hæc non producat immediatè a generante graua, & leuia, sed potius immediatè dimanet ab ipsorum substantijs (quæ emanatio diuersa actio est ab ea, qua generans generauit ipsa graua, & leuia; vt in simili de emanatione, qua frigiditas dimanet à substantia aquæ, latè probatum est lib. 2. disp. 4. q. 6.) profectò causæ principales per se, & immediatæ harum instrumentalium virtutum erunt ipsæ substantiæ grauium, & leuium, à quibus per se, & immediatè profluunt: generans verò solùm erit causa per accidens, & mediata. Si verò loquantur de virtute actiua remota, & ra-

dicali ergo omnes formæ substantiales genitæ erunt virtutes instrumentales respectu generantis; cum non sit maior ratio de formis substantialibus grauium, & leuium, quam cuiuscunque alterius geniti substantialis: & consequenter omnis operatio geniti substantialis, non erit ipsi attribuenda, vt causæ per se principali, sed potius ipsius generanti; quo nihil absurdius posset excogitari.

20 Cum ergo ex omnibus dictis constet, in grauib, & leuib, non solùm esse virtutes effectiuas suorum motuum naturalium, tam proximas, & formales (vt sunt grauitas, & leuitas) quam remotas, & radicales (vt sunt formæ substantiales ipsorum) sed etiam huiusmodi virtutes effectiuas prædictorum motuum esse virtutes principales, & ipsis grauib, & leuib, in esse quieto conuenientes; manet inconcussa nostra, & Scoti sententia, scilicet graua, & leuia moueri per se, & primo primitate totalitatis a se ipsis; à generante verò solùm per accidens, & remotè. Restat ergo solùm, vt auctoritatibus, & rationibus in contrarium adductis satisfaciamus.

21 Ad primam auctoritatem ex 8. Physic. optimè respondet Scotus, solùm negare Aristot. principium spontaneum, & gubernatiuum suorum motuum in esse grauib, & leuib; & hoc

hoc euidenter demonstrasse illis tribus rationibus; nimirum quia solùm animalia, & habentia vitam sunt capacia huiusmodi principij: spontanei, & gubernatiui suorum motuum. Item quia, quæ habet in se huiusmodi principium, possunt persistere in medio suorum motuum, & similiter motibus contrarijs se mouere. Item, nõ debent esse continua, sumpto continuo, non pro quantitate, sed pro eo, quod est eiusdem dispositionis in omni parte (vt optimè annotauit Scotus) nõ, cum principium spontaneum, & gubernatiuum motus nõ resideat in omnibus partibus, sed in aliqua determinata; hæc pars debet esse diuersæ dispositionis ab omnibus alijs. Vnde, quia talis spontanea gubernatio, qua carent graua, & leuia, residet in primo factore grauium, & leuium, & in eo, qui per remotionem impedimentorum ipsorum motus moderatur; ideo loquendo (vt loquebatur) de motione spontanea, & gubernatiua motuum grauium, & leuium, meritò addidit Aristot. graua, & leuia moueri à generante, vel remouente prohibens; id est, à generante, & remouente, prohibens gubernari, & moderari in suis motibus. Et ex hoc satis sequitur (inquit Scotus) propositum Philo-sophi, scilicet, quod graua, & leuia non sint primo se mouentia primitate causalitatis;

quia primum mouens hæc primitate, mouet per cognitionem: nam sapientis est dirigere, & gubernare; vt probat ipsemet Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. & docuit Aristot. in proem. Metaph.

22 Ad secundam auctoritatem ex eodem 8. text. 32. respondet idem Scotus, ex solutione illius citatæ obiectionis, quam in calce illius textus ponit Aristot. solùm haberi id, quod ex professo docuimus lib. 2. disp. 1. quæst. 4. scilicet de ratione naturæ solùm esse, quod sit principium passiuum motus, & quietis eius, in quo est, &c. & consequenter motus grauium, & leuium esse illis naturales; non quia habeant innatum principium actiuum ad illos eliciendos; sed quia habent innatum principium passiuum ad illos recipiendos. In quo sensu dicit ibi Aristot. (inquit Scotus) quod graua, & leuia habent principium tantum patiendi, & non faciendi, scilicet, respectu motus, in quantum illis naturalis est.

23 Ad tertiam dicimus, illud commune proloquuntur (qui dat formam, dat & consequentia ad formam) optimè verificari, etiam si dicamus, graua, & leuia moueri a se ipsis; quia non est intelligendum de datione immediata, sed mediata: qui enim dat formam immediatè, dat consequenter, & mediatè omnes operationes, quas recipiunt illi.

illam formam, virtute illius elicit; siquidem sine tali forma illas non eliceret: quod non impedit, quod illæ operationes per se, & immediatè fiant ab ipso recipiente formam. Aliàs calefactio, quæ est operatio consequens ad formam caloris, non esset attribuenda, vt principio effectiuo, ipsi calido, sed potius generanti calidum; nam hoc est, quod dat calido formam caloris.

### QVÆSTIO III.

*Quæsi multas inter mouens, & motum requiratur?*

**I** Quæstio procedit de mouente, seu agente immediatè immediatione virtutis, & suppositi, id est, quod mouet, seu agit per virtutem propriam in ipso existente, & non per virtutem derivatam ab ipso in aliud suppositum, quod inter ipsum mouens, & subiectum, quod mouetur, intercedat: nam hoc pacto nulli dubium est, quod aliquid possit agere, seu mouere subiectum ab ipso distans localiter; dummodò suppositum, in quod virtus derivatur, prædicto subiecto, quod mouetur, sit contiguum. Et similiter quæstio procedit de similitate in loco; nã de similitate in duratione non est dubium, quin simpliciter sit necessarium, quod agens, & passum simul sint existentia tempore, quo vnum mouet, & al-

terum mouetur: & consequenter, quod sint simul duratione. **2** De similitate ergo in loco duo sunt certa apud Authores, & vnum in dubium reuocatur. Primum certum est, quod vt aliquod agens agat, seu moueat passum; non est conditio simpliciter necessaria, vt sint loco penetrata: aliàs nullum agens corporeum posset naturaliter agere, seu mouere corporeum passum: cum nequeat naturaliter duo corpora penetrata reperiri. Quod si hæc conditio in agente, seu mouente corporeo, non est necessaria, multò minus necessaria erit in agente, seu mouente spirituali; non obstante, quod agens spirituale possit naturaliter cum passio corporeo penetrari: nam ad maiorem perfectionem agentis spectare videtur, quod minus indigeat propinquitate loci ad operandum; vt docuit Scotus num. 3. citandus.

**3** Secundum certum est, agens creatum (siue corporale, siue spirituale sit) non posse agere in passum ab ipso separatum localiter in quacumque distantia; sed habere vnum quodque sphaeram suæ actiuitatis determinatam; maiorem, vel minorem perfectionem formæ per quam agit; intra quam potest agere, non verò extra illam. Hoc enim demonstrat experientia, qua experimur, agens creatum eò remissius agere in pas-

### SECTIO PRIMA.

*Explicatur, an inter mouens, & motum, seu inter agens, & passum contiguitas localis requiratur ex communi ratione agentis?*

passum, quò passum longius distat ab agente: quod & docuit Scotus in 1. d. 37. dicens: *Quantò perfectior est forma in creaturis; tantò videtur esse ratio agendi in remotius.* Et in 2. d. 9. q. 2. §. *Ad quæstionem*, atque in Reportatis ibidem, cum docuisset posse vnum Angelum loqui alteri Angelo distanti causando in intellectu illius immediatè conceptum illius obiecti, de quo loquitur, addidit, dummodò distantia sit moderata; & intra sphaeram suæ actiuitatis existat Angelus, cui loquitur.

**4** Quod ergo in dubium reuocatur est, an ad hoc, vt agens agat in passum, seu moueat ipsum, sufficiat, quod prædictum passum sit intra sphaeram actiuitatis agentis? quæ dici solet contiguitas virtutis. An verò hæc contiguitas non sufficiat, sed etiam sit simpliciter necessarium; quod inter agens, & passum nulla sit distantia localis; sed potius adinuicem se tangent? quæ dici solet contiguitas mathematica. Potest autem hæc difficultas in duplici sensu exagitari. Primò inquirendo, an prædicta similitas, seu contiguitas localis requiratur inter agens, & passum ex communi ratione agentis? Secundò, an saltem hæc similitas, seu contiguitas localis requiratur inter agens creatum, & eius passum, ob suam limitationem in agendo; quod duobus sectionibus aperiam.

**5** Quàm plurimi auctores tenent partem affirmatiuam, scilicet, in agentibus immediatione virtutis, & suppositi causam effectiuam ex communi sua ratione, & ex suo genere, & modo causandi simpliciter indigere, quod passum sit ei contiguum localiter; nec villo modo posse agere in subiectum localiter distans. Ita D. Th. 1. p. q. 1. art. 1. & super hunc septimum Physicorum; quem omnes eius interpretes secuntur; Caiet. Bañez, Zumel, Molina Nazarius circa eum locum primæ partis, Ferrara eo loco contra gentes. Idem tenent ex antiquis Theologis Alex. Alensis 1. p. q. 9. memb. 2. ad primum, D. Bonau. in 1. d. 37. p. 1. distinction. art. 1. q. 1. ibid. Durand. Albert. Ricard. & Aurcolus, atque omnes alij, qui probant, Deum esse vbiq; ex eo, quod operatur vbiq; nã hæc ratio manifestè supponit, agens debere esse præsens, vbi operatur; idque esse de communi ratione agentis, etiam comprehendendo Deum. Ex recentioribus hanc sententiam tuctur Suarez disp. 13. Metaph. sect. 8. & disp. 30. sect. 7. Toletus 7. Physic. q. 2. Conimbricenses c. 2. q. 1. Rub. ibidem, & 8. de Generatione cap.

cap. 6. q. 1. Murcia 2. Physic. disp. 4. q. 6. & alij.

6 Probari solet hæc sententia. Primò auctoritate plurimorū Patrum, qui videntur esse huius sententiæ, dum ex eo, quòd Deus vbique operatur, colligunt præsentiam Dei in omni loco; quòd non rectè inferrent, si præsentia localis, non esset conditio essentialiter requisita ad agendum, seu operandum in omni agenti. Imò ad hoc ipsum intentum adduci solent aliquæ auctoritates scripturæ, in quibus ad demonstrandum, Deum esse immensum, seu vbique præsentem, nō alia causa, seu ratio assignatur, nisi quia vbique relucet ipsius Dei operatio. Psalm. 138. *Si ascendero in Calum, tu illic es; si descendero in infernum, ades,* & subditur pro ratione: *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Et Actorum 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum:* & ponitur pro ratione: *in ipso enim vivimus, mouemur, & sumus.* Adduci etiam solent ad hoc intētum aliquæ auctoritates Arist. quas consultò omitto, vsque ad sectionem sequentē, quia Arist. non est locutus de agentibus in abstractione, qua modo loquimur, sed de agentibus creatis: imò de corporeis tantummodo.

7 Secundò probari solet rationibus. Prima, actiuum, & passiuum se habent, vt actus, & potentia: sed actus, & po-

tentia non causant sine aliqua coniunctione (vt in actu formali, & potētia subiectiua apparet) ergo neque actiuum, & passiuum: hæc autem coniunctio inter actiuum, & passiuum necessaria nulla alia excogitari potest, quàm presentia, seu contiguitas localis: ergo hæc inter agens, & passum erit conditio ad agendum ex communi ratione agentis per se, & essentialiter requisita.

8 Secunda nullum agens potest operari in aliquod passum, nisi agens, & passum sint simul duratione; & hoc ex communi ratione agentis, & passi, ita ut non sufficiat in agente ante fuisse, aut postea fore: ergo similiter nullum agens poterit operari in passum; nisi agens, & passum sint simul loco præsentia Probo consequentiam; nam sicut esse, vt sic, habet se ad operari, vt sic; ita esse *hic* se habet ad operari *hic*

9 Tertia desumitur ex inductione aliarum causarum: nam causa materialis, & formalis omnino indigent ad causandum effectum locali presentia; vt perspicuum est: causa etiam finalis habet esse præsens, si non realiter, saltem intentionaliter, & hoc illi sufficit, quia solum influit in effectum intentionaliter, seu methaphoricè: ergo etiam causa efficiens debet esse ad causandum præsens passò; præsens (inquam) realiter; siquidem realiter influit in effe-

effectum. Confirmatur à simili de mobili, quòd non potest transire de vno loco in alium, nisi transeundo per loca, quæ sunt in medio: ergo similiter agens nō poterit agere in passum distans, nisi diffundendo virtutem agendi in passa intermedia.

10 Quarta, vt aliquod agens immediatè agat in passum, necessarium est, vt actio, qua mediante agit, sit coniuncta ipsi agenti; sed etiam requiritur, quòd sit coniuncta ipsi passò; siquidem recipitur in ipso (loquor de actione sumpta, non formaliter, & pro respectu, sed materialiter, & pro re acta in fieri) ergo necessarium etiā erit ex communi ratione agentis, quòd agens, & passum sint inter se coniuncta: nā quomodo fieri poterit, quòd sint coniuncta cuidam tertio (scilicet actioni) & quòd non sint coniuncta inter se? confirmatur, quia si agēs non esset coniunctum passò, sed potius inter agens, & passum mediarent aliqua alia supposita, iam agens non diceretur agere in passum immediatione suppositi, difficultas autem præsens (vt in principio quæstionis aduertit) solum procedit de agentibus immediatè, tam immediatione virtutis, quàm suppositi.

11 Dicendum nihilominus est, ex communi ratione agentis non esse simpliciter requisitum, quòd agens, & passum

sint localiter contigua; sed posse optimè agens, quantum est ex ratione formali agentis, producere effectum in passò ab ipso loco distante, dummodò sit iatra spheram actiuitatis illius. Hæc est sententia Scoti in 1. dist. 37. vbi ex hoc principio deducit, quòd, etsi Deus sit immensus, & vbique per essentiam suam præsens, non tamen potest hoc demonstrari ex eo, quòd vbique immediatè immediatione tam virtutis, quàm suppositi operetur: quia, si per impossibile Deus nō esset vbique per essentiam suam præsens, posset tamen vbique immediatè tam immediatione virtutis, quàm suppositi operari. Et eadem doctrina nixus in 2. d. 9. q. 2. §. *Ad quæstionem*, probat posse vnum Angelū loqui alteri Angelo ab ipso loco distante, non obstat, quòd locutio ista consistat (vt ibidem ipse Scotus tenet) in causatione speciei expressæ obiecti, de quo loquitur, facta immediatè ab Angelo, qui loquitur, in intellectu Angeli cui loquitur. Scotum secūtur omnes discipuli super illam dist. 37. Lichetus, Maironis, Basolius, Bargius, Rubion, & Rada 1. t. contr. 28. art. 2. Smising *de Deo vno* tract. 2. disp. 5. num. 31. Est etiam sententia Nominalium eadē d. 37. Ochani, & Gabrielis. Et ex alijs tenent hanc sententiā Auicena Fen. 4. cap. 4. qui pro ea citat Hypocratem:

eandem etiam amplexantur nonnulli ex recentioribus Theologis super 1. p. D. Th. q. 8. art. 1. Valencia punct. 1. Vazq. disput. 28. & quam plures alij ex Philosophis, quos citat, & sequitur Auerſa q. 14. de causa effectiua sect. 7.

12 Probari potest hæc nostra sententia. Primò auctoritate Arist. nam, cum ex vna parte (etsi errando) teneat, Deum non esse præsentem omnibus rebus, sed in peculiari loco (scilicet, in supremo Cælo) residere (hoc docuit 8. huius operis text. 84. & 1. de Cælo text. 22. & magis ex professo in libro de Mûdo ad Alexandrum cap. 7.) & ex alia doceat, Deum operari in omnibus rebus. (Id affirmat loco de Cælo citato, & 1. Metaph. cap. 2. & saltem de reliquis intelligentijs habere esse immediatè à Deo in doctrina Arist. perspicuum est.) Conuincitur manifestè in sententia Arist. præsentiam localem inter efficiens, & passum non esse conditionem ad agendum ex cõmuni ratione agentis per se, & essentialiter requisitam.

13 Secundò probari potest rationibus, quibus vsus est Scotus ad probandum immensitatem Dei (ratione cuius per suam essentiam est præsens omnibus rebus) non esse conditionem per se, & essentialiter requisitam ad hoc, vt operetur vbique, & consequenter nõ rectè à posteriori demonstra-

ri, Deum esse vbique ex eo, quòd vbique operetur. Et omiffa (ex tribus rationibus ad hoc intentum à Scoto adductis) prima ratione, quam sectione sequenti commodius expendemus, secunda rationalis est. Deus operatur ad extra nutu suæ voluntatis: sed voluntas Dei circa abiens, & distans versari potest: ergo & eius operatio ad extra: ac per consequens, si omnipotens Deus per impossibile non esset immensus, sed solum esset præsens in aliquo determinato loco, nihil obstaret, quominus in loco ab ipso distante posset velle aliquid esse, & consequenter illud operari. Tertiam rationem sic efformat. Vt Deus crearet vniuersum, quod creauit initio nostri temporis, non fuit opus, vt præfuerit præsens per suam essentiam illi interuallo, seu spatio imaginatio, quo mundum creatum esse imaginamur; nam tale spatium est quedam chimæra; ac per consequens affirmare, Deum fuisse præsentem per suam essentiam huic interuallo, erit affirmare, Deum fuisse præsentem cuidam chimæra: ergo conuincitur manifestè, præsentiam localem, quã habet Deus ratione suæ immensitatis in omnibus rebus, non esse conditionem præuiè requisitam ad hoc, vt operetur; & consequenter, nullum agens illam exposcere ex cõmuni ratione agētis.

14 Tertio probari potest ad hominem; nam plures Theologi ex adductis pro opposita sententia tenent, de facto causas aliquas eleuari à Deo, tanquam instrumenta, ad producendum effectus supra suam virtutem in subiecto loco distante: sicque ignem inferni actione physica torquere Dæmones in hoc aere commorantes: & humanitatè Christi Domini actione etiam physica effecisse miracula in locis distantibus. Qui autem hoc de facto negant, saltem fatentur posse à Deo fieri, vt illum effectum, quem causa creata potest producere in subiecto præsentem, possit etiam in distante, sicut potest Deus facere, vt aliquid transeat de loco ad locum distantem non transeundo per medium: ergo inconsequenter affirmant, præsentiam localem agentis ad passum esse conditionem ex cõmuni ratione agentis per se, & essentialiter ad agendum requisitam.

15 Nec refert, quod respõdet Suarez. 1. 1. super 3. p. disput. 31. sect. 7. scilicet, Deum posse id præstare; quia ipse assumens, & eleuans causam creatam pro instrumento, est per se vbique præsens, & simul immediatè concurrat; nam, si propinquitas esset conditio ex cõmuni ratione agentis per se, & essentialiter ad agendum requisita, omne profus agens, à quo immediatè exercetur actio, siue

instrumentale, siue principale, deberet esse propinquum; nec sufficeret, quod aliud agens simul cum illo concurrens esset præsens. Et quidem planè ipse Suarez ibi tandem dicit, propinquitatem non esse conditionem per se, & essentialiter requisitam ex vltimo omnis principij actiui; sed requiri inter alia iuxta proportionem virtutis actiuæ; quia agentia naturalia habent finitam virtutem, & imperfectam, ac determinatum agendi modum. Similiter dicit, Deum non ex indigentia virtutis agendi, sed ex immensitate sua, & infinita perfectione habere, vt non operetur, nisi vbi est. Quæ doctrina profus euertere videtur, quæ in Metaph. docet disp. 18. sect. 8. num. 12. & 20. & disp. 30. sect. 7. num. 7. 12. 13. & 18.

16 Quarto probari potest ratione à priori: optimè potest intelligi totum exercitium actionis effectiuæ, & modus causalitatis causæ efficientis, etiam ipsa causa efficiens non intelligitur localiter præsens, & contigua passo, sed solum habes passum intra spheram actiuitatis suæ: ergo signum est, quòd præsentia, seu cõtiguitas localis agentis cõ passo non est conditio per se, & essentialiter ex cõmuni ratione agētis ad agendum requisita. Antecedens probabo; nam causa efficiens nõ operatur cõmunicado formaliter suammet entitatem, sed tan-



tum producendo, seu efficiendo alium effectum distinctum à se: quod totum intelligi, & exerceri potest, etiamsi ipsum agens non sit localiter præsens, seu contiguum ipsi passio, dummodo passio sit intra sphaeram actiuitatis suae. Imò de facto agentia creata operantur per subiectum latè expansum, v. g. ignis calefacit aërem per magnum spatium; & sol illuminat è caelo ad terram; & ipsa agentia per virtutem in ipsis existentem immediatè operantur in toto illo spatio; etsi aliquod agens inueniat iam effectum in medio, operatur per se in extremo, etiamsi non operetur in medio, vbi inuenit iam effectum quem operari posset: ergo verè agens operatur vbi non est præsens per contiguitatem; & ita optimè saluari posset dependentia effectus ab agente, & exercitium actionis, etiamsi operatio non fieret in medio; si videlicet, ignis produceret illum calorem, quem de facto producit in aëre distante, existente tamen intra sphaeram suae actiuitatis; etiamsi non produceret alium calorem in medio: dici ergo non debet, præsentiam, seu contiguitatem localem agentis cum passio esse conditionem per se, & essentialiter requisitam ad agendum ex communi ratione agentis. Quae ratio multò magis confirmata manebit sectione sequenti, vbi ostendemus,

neque etiam de ratione agētis creati, & limitati esse præsentiam, seu contiguitatem localem cum passio.

17 Quintò demum probari potest soluendo ea, quae in contrariū sunt adducta. Quae probatio efficax est in hac materia, quia ad ponendum aliquam conditionem ad causandum ex communi ratione agentis per se, & essentialiter requisitam, necessarium erat, vt adduceretur sufficiens ratio à priori, vel à posteriori talis conditionis: ad negandum verò talem conditionem sufficit ostendere, fundamenta affirmandi nulla esse; quia natura est dignificanda, quantum permittit ratio; & tãtò magis dignificatur natura causae efficientis, quanto paucioribus adstringitur conditionibus causandi, quibus quodammodò limitatur. Quare si ostenderimus, fundamenta contrariae sententiae nulla esse, hoc solum sufficiet (etsi nulla adesset ratio) ad sustinendum, præsentiam, seu contiguitatē localem inter agēs, & passum non esse conditionē per se, & essentialiter requisitam ad agendum ex communi ratione agētis; quae est sola difficultas, quam in hac sectione examinamus.

18 Ad auctoritates Sanctorū, & Scripturæ, in quibus ex eo, quòd Deus vbique operetur, inferitur, Deū vbique esse præsentem, variè responderi solet. Quidam dicunt, ex eo quòd Deus

Deus vbique operetur, Scripturam, & Patres solum inferre, Deum vbique esse præsentem per cognitionem, & prouidentiam. Quam expositionem, negari non potest, esse genuinam auctoritati ex Ps. 138. vbi infinitas diuinæ cognitionis, quae omnia attingit, & quam nullus potest effugere, optimè declaratur à Psalmista illis verbis: *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; nam per spiritum, & faciem, scientiam designari in phrasi scripturarum, docuit Greg. 3. in Ezechielem. Et infinitas diuinæ prouidentiae, quae omnia gubernat, & conseruat, optimè declaratur verbis subsequētib: *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.**

19 Alij affirmant, ex eo quòd Deus vbique operetur, Scripturam, & Patres solum inferre, Deum vbique esse præsentem quoad nostram cognitionem, id est, ex eo, quòd Deus vbique operetur tribuens nobis viuere, moueri, & esse, posse nos vbique cognoscere, quod sit Deus, & quis sit verus Deus. Quae expositio germana est auctoritati adductae D. Pauli Act. 17. vbi ex eo quòd Dei virtute viuimus, mouemur, & sumus, & quòd fecit mundum, & omnia, quae in eo sunt, ostēdit Deū à nobis facili cognitione atre,

ctari, seu attingi posse; nec ita esse lōgè, seu remotum à capacitate nostri intellectus, vt debeat dici ignotus Deus; vt Athenienses predicabant sacantes aram ignoto Deo. Et quòd D. Paulus loquatur de propinquitate Dei, non per essentiam, sed in ratione cognoscibilis, inde apertè colligitur; nam dicit, Deum non esse ita lōgè ab vnoquoque nostrum, quin facile atrectemus ipsum; & manifestum est, nos non posse atrectare Deum secundum substantiam, sed secundum cognitionem, & amorem.

20 Quòd si, his expositionibus non obstantibus, velimus dare aduersarijs, Patres, & Scripturam inferre, seu probare, Deū vbique esse præsentē localiter, ex eo quòd vbique operetur. Respōdemus, hanc consequentiā non fundare Patres, & Scripturam in eo, quòd præsentia in loco sit cōditio per se, & essentialiter ad operandū requisita; (vt aduersarij contendunt) sed in paritate rationis; ita vt haec sit vis rationis, Deus habet potentiam illimitatam (vt ex eius in omnibus operatione cōstat) ergo & præsentiam illimitatā; quā immensitatem vocamus; quia non est maior ratio vnus, quam alterius; cum tam omnipotentia, quam immensitas sint attributa Dei.

21 Est autè aduertendum, D. Th. & aliquos Thomistas, qui affirmant, res spirituales (vt sunt

Deus, & Angeli) non esse in loco per essentiam, sed per operationem, etsi admittant ex operatione Dei in omnibus rebus optimè inferri presentiam realem Dei in omnibus rebus, non tamen affirmant, hanc illationem esse à posteriori, & quia presentia realis Dei sit conditio praeuiè requisita ad operandum; sed potius esse à priori, & quia ipsa operatio Dei est fundamentum presentiae realis Dei in rebus. Quod annoravi, non quia approbem fundamentum huius doctrinae; (verius enim iudico, quod cum Scoto non solum discipuli, sed quam plures alij sustinent, scilicet, res spirituales non esse in loco ratione operationis, sed ratione suae essentiae) sed ut advertatur in praefata doctrina D. Thom. & non paucos ex Thomistis adductis pro prima sententia multum favere nostrae; cum fateatur, res spirituales prius natura operari in aliquo loco, quam praesentes fiant praedicto loco; & consequenter presentiam in loco in rebus spiritualibus non esse conditionem praeuiè requisitam ad operandum, quod modò intendimus.

22 Ad primam rationem fateamur, actuum, & passivum se habere, ut actum, & potentiam; & similiter indigere aliqua conditione, ut unum agat in aliud; sed negamus, hanc necessariò debere esse presentiam, seu contiguitatem localem; nam, quae sufficit, & necessariò requiritur ex comuni

ratione agentis, & patientis, est quod passum sit intra sphaeram activitatis agentis, etiam si loco distent. Et instantia ibi adducta de actu formali, & potentia subiectiva non est ad rem; alias convinceret, non solum inter agens, & passum requiri contiguitatem localem, sed etiam penetrationem in eodem loco; imò & quod agens per se ipsum informaret passum; nam haec sunt requisita inter actum formalem, & potentiam subiectivam ad hoc, ut actus formalis exerceat suam causalitatem. Et ratio disparitatis est; quia actus formalis non causat nisi communicando se ipsum subiecto; at causa efficiens causat, non communicando se ipsam subiecto, sed potius producendo in subiecto formam à se ipso distinctam.

23 Ad secundam concessio antecedente negamus consequentiam: & ratio disparitatis est manifesta; quia res, quae non est in aliqua duratione, prorsus non est; & quod non est, utique operari non potest. At, quod non est praesens huic loco, verè, & simpliciter est, licet alteri loco praesens. Et ad probationem negamus, quòd sicut esse, ut sic, se habet ad operari, ut sic, ita esse hic se habeat ad operari hic; nam esse, ut sic, se habet ad operari, ut sic, tanquam actus primus ad actum secundum; & implicat, dari actum secundum.

dum sine primo: at esse hic non se habet ad operari hic, tanquam actus primus ad actum secundum; quia esse hic solum est modus praesentialitatis, qui nec est actius (ut patet) neque ab auctoribus contrariae sententiae ostenditur esse conditionem necessariò praerequisitam ad operandum, seu ad exercitium virtutis activae; sed supponitur, quòd erat probandum.

24 Tertia autem ratio, quae desumpta est ex inductione aliarum causarum, tantum abest, ut concludat intentum, ut possit potius in adversarios retorqueri; nam si causa materialis, & formalis requirunt praesentiam, imò penetrationem in eodem loco; hoc provenit, quia sunt causae intrinsecae, & causant per intimam sui unionem: ergo cum causa efficiens sit extrinseca, & habeat diversum causandi modum, non indigebit ex communi ratione causae efficientis praedicta praesentia locali, sicuti neque indiget in omnium sententia penetratione cum passò in eodem loco. Item causa finalis, si comparatur ad agentia merè naturalia, non est illis praesens, nec realiter, nec intentionaliter: respectu verò appetitus, etsi sit praesens intentionaliter, hoc provenit; quia appetitus moveri non potest ab obiecto, seu sine, nisi praeuia cognitione; quod non habet locum

in communi ratione causae efficientis.

25 Simile autem de mobili localiter (quod in confirmationem tertiae rationis adductum est) & supponit falsum, & non est simile; imò ex dissimilitudine, quae versatur inter mobile localiter, & efficiens, quòd operatur in passum, potest non leuiter roborari nostra sententia. Supponit falsum; nam falsum est, non posse mobile localiter ex ratione sua formali moveri ex vno loco in aliud sine transitu per medium; nam si Christus non maneret praesens in caelo, cum per consecrationem sit praesens in hostia consecrata, verè diceretur localiter moveri; nam transiret de vno loco in alium; & tamen non per medium; sicuti nec modò per medium transit. Non est simile; nam in motu locali illa eadem res, quae prius erat in vno loco, constituitur in alio: at in operatione agentis, neque ipsa agens, neque illa actio, aut illa forma, quae producitur in prima parte spatij, transit ad aliam partem spatij magis remotam. Imò cum effectus, qui producitur in parte remota spatij, & actio, quae immediate producitur, non fuerint secundum se formaliter, neque in agente, neque in parte propinquiori, cur quaeso, quantum est ex vi actionis, non posset immediate

produci in illa parte spatij, in qua productus est, etiam si nihil aliud produceretur in medio? 26. Quinta, & vltima ratio in contrarium adducta æquiuocatione laborat. Cùm enim dicitur in ea, *ut aliquod agens immediate agit in passum, necessarium est, ut actio, qua immediate agit, sit coniuncta ipsi agenti*, aut *ly coniuncta* excludit distantiam localem inter agēs, & actionem, qua immediate agit in passum; aut non excludit talem distantiam localem, sed solum mediationem alterius agentis, à quo illa actio profluat, seu dependeat? Si primum, planè assumitur in ipsa ratione id, quod probandum erat, & de quo est tota controuersia, scilicet, non posse aliquod agens ex communi ratione agentis exercere suam causalitatem, seu actionem in subiecto loco distantia. Si secundum, verum est, quod assumitur in prædicta ratione; imò in hoc consistit ratio immediate agentis: sed non contra nos; nam optimè compatitur, quòd aliqua actio immediate, & absque interuentione alterius causæ mediæ proueniat ab aliquo agente, & quòd subiectum, in quo exercetur, sit loco distans ab ipso agente, à quo immediate prouenit. Ad confirmationem dicimus, quòd, cùm agere immediate suppositi, nihil aliud sit, quàm agere per virtutem in ipso existentem, & non

per virtutem ab ipso derivatam in alio, supposito, nihil obest ad agendum immediate suppositi, quòd agens agat in subiectum distans localiter; & inter quod, & ipsum agēs mediant alia supposita; quia cum his optimè compatitur, quòd agens in subiectum loco distans agat per virtutem existentem in ipso, & nō per virtutem in supposita intermedia derivatam; & consequenter immediate suppositi, & virtutis.

## SECTIO II.

*Explicatur, an saltem in mouente, seu agente creato contiguitas ad passum simpliciter requiratur ob eius limitationem in mouendo, seu agendo?*

27. **E**X auctoribus, qui sententia præcedere nobiscum sustinebant, in agente, seu mouente contiguitatem localem ad passum, seu mobile non esse conditionem per se, & essentialiter requisitam ad agendum, seu mouendum ex communi ratione agentis, seu mouentis, Valencia, & Vazquez sustinent, saltem in agentibus creatis corporeis ratione suæ limitationis in agendo hæc conditionem esse per se, & essentialiter requisitam. Et pro eadem sententia adduci possunt omnes auctores ibi adducti pro prima sententia; nam præ-

prædicti auctores in agentibus corporeis hanc conditionem non solum esse requisitam ex communi ratione agentis, sed etiam ob suam limitationem in agendo fatentur. Excipio Suarez; nam in Metaph. disp. 18. sect. 8. num. 12. ex professo probat, hanc conditionem in agendo solum esse requisitam ex communi ratione agentis, non verò ex limitatione in agendo, quamuis alibi, præfestim super 3. p. t. 1. disp. 31. sect. 7. oppositum videatur asserere.

28. Probari solet hæc sententia. Primò auctoritatibus Aristot. nam capite 21. huius libri loquens de mouētibus corporeis nō solum docet; sed etiam inductione probat, requirere ad mouendum præfatam conditionem: verba Arist. tex. 10. sunt: *Primum autem mouens, non ut id cuius causa, sed unde primum motus est, simul cū eo est, quod mouetur. Simul autem dico, quia nihil inter ipsa est; hoc autem commune est omni, quod mouetur.* Quæ locum explicans D. Tho. sic loquitur: *Intelligit autem de immediate mouente; & ideo dixit primum mouens; ut per primum significetur immediatum mouens, non autem id, quod est primum in ordine mouentium. Et dictum est commune, quòd mouens; & motus sunt simul, & non specialiter de motu locali; quia hoc est commune in omni specie motus; quòd mouens, & motus sunt simul modo exposto. Et 1.*

Meteororum capite 2. dicit: *Est autem ex necessitate continuo quodammodo mundus iste superioribus latioribus, ut omnis ipsius virtus inde gubernetur: quòd non rectè diceret, si putaret, superiora, seu cælestia agentia posse operari in hæc inferiora distantia immediate. Et 2. de anima tex. 74. docet contra Democritum, quòd, si medieret vacuum inter cælū, & terram, nihil omninò cerneremus in cælo: cuius rationē assignat, quia ad videndum aliquod obiectū necessarium est, quòd potentia visiva patiatur ab obiecto recipiendo (inquam) ab illo speciem visibilem; quòd in dicto casu contingere non posset; sicuti nec pati, seu recipere speciem visibilem à medio: verba Arist. sunt: *Non bene dixit Democritus, si fieret vacuum, quòd medium est, perspicere utique exquisitè etiam si formica esset in cælo; hoc enim impossibile est: patiente enim aliquid sensitivo, sit ipsum videre: ab ipso igitur, qui videtur colore impossibile est: relinquitur igitur, quòd à medio; quare necesse est, aliquid esse medium.**

29. Secundò probari solet rationibus. Prima, quia si agens per se, & immediate, & nulla derivata virtute ageret in passum remotum, sequeretur, nullum determinato spatio eius actiuitatem concludi, & actiuitatis eius sphaeram in infinitum protendi contra manifestam experientiam: si enim in

medio nihil producendum à generante foret, nulla esset ratio, cur maior distantia impediret effectum, quem non impedit minor. Item sequeretur, nullum naturale agens in extensione sui effectus operari vni-formiter difformiter; nulla enim ratio foret, propter quã in remotiori parte non produceret effectum æqualem effectui, quem aliàs produceret in parte proximiori; siquidem vtrumque immediatè produceret independenter à virtute deriuata per medium.

30 Secunda, quia dispositio mediij niro modo variat, & quandoque totaliter impedit actionem in passum remotum: ergo signum manifestum est, quod agens non agit in remotum immediatè, sed per virtutem ab ipso in medio diffusam, & deriuatam. Antecedens patet; nam, cum medium est crassum, vel instabile, vel aliquo colore imbutum, per illud ita mouetur visus ab obiecto distante, vt crassius appareat obiectum, vel instabile, vel alio, quàm proprio colore imbutum. Item, cum medium est opacum, per illud non potest moueri visus ab obiecto, nec passum illuminari à luminoso distantibus.

31 Dicendum tamen nobis est, neque etiam in mouente, seu agente creato ob suam limitationem in mouendo, seu

sum esse conditionem simpliciter requisitam, sed posse optimè mouens, seu agens creatum, & limitatæ virtutis (tam immediatione virtutis, quàm suppositi) mouere, seu agere in passum ab ipso localiter remotum, dummodò existat intra spheram suæ actiuitatis. Ita expressè Scotus, & alij auctores sect. 1. citati. Et probari potest. Primò, quia semel admissio, (vt sectione præcedenti ostensum est) ex communi ratione agentis non esse requisitam ad agendum hanc contiguitatem localem inter agens; & passum, non appareat ratio, cur ex ratione agentis creati, & limitati necessaria sit; nam ex limitatione virtutis in agente solum oriri potest limitata spheræ. Et hoc est, quod experimur, scilicet, agens maioris virtutis producere effectum in longiori distantia, quàm agens virtutis minoris.

32 Secundo probari potest, quàm pluribus experiētis: Sol enim (& fortè quædam alia astra) per suam formã substantialem (& consequenter immediatione, tam virtutis, quàm suppositi) producit formas substantiales (vt sunt forma auri, & aliorum metallorum) in visceribus terre, quæ sunt ab illo loco dissita; & similiter ignis comburit stupam ab ipso separatã sine combustione aëris intermedij: naphtha quoque (bituminis genus) ab igne ali-

quantulum distante flammam concipit: ergo contiguitas localis inter agens, & passum nõ est conditio ad agendum simpliciter requisita, adhuc in agētibz creatis, & limitatæ virtutis. Quod autem ad has experientias communiter responderi solet, (scilicet, huiusmodi effectus substantiales immediatè non produci à forma substantiali solis, & ignis; sed potius ab accidentibus per medium à sole, vel igne diffusis; quia accidens potest in virtute substantiæ, cuius est instrumentum, substantiam producere) infirmum est; nam accidens non posse effectiue attingere substantiam, nec vt causam principalem, neque vt instrumentalem, latè ostendimus libro 2. disp. 4. q. 7.

quantulum distante flammam concipit: ergo contiguitas localis inter agens, & passum nõ est conditio ad agendum simpliciter requisita, adhuc in agētibz creatis, & limitatæ virtutis. Quod autem ad has experientias communiter responderi solet, (scilicet, huiusmodi effectus substantiales immediatè non produci à forma substantiali solis, & ignis; sed potius ab accidentibus per medium à sole, vel igne diffusis; quia accidens potest in virtute substantiæ, cuius est instrumentum, substantiam producere) infirmum est; nam accidens non posse effectiue attingere substantiam, nec vt causam principalem, neque vt instrumentalem, latè ostendimus libro 2. disp. 4. q. 7.

33 Tertiò probari potest alijs experiētis desumptis ex causis agentibus actione accidentalibus; nam magnes mouet, & attrahit ferrum, distans; succinum attrahit paleas; piscis echeneis (alio nomine remora) transeuntem detinet nauim; torpedo manum piscatoris mortificat, si hamum pendentem ex corda arundinis attigerit; basiliscus à longè solo visu interficit homines; & astra produciunt in his interioribus primas quatuor qualitates; & in viuētibz morbos, ac sanitates; & quàm plures alios effectus producunt, etiam in intimis terre partibus, & in corpo-

ribus vbique clausis, etiã si parietes, & alia quæuis obstacula interponantur, per quæ transire nõ possunt actiones, quæ ab alijs causis inferioribus exercētur. Item vnus Angelus potest alteri imprimere aliquem effectum spiritualem, etiam si distent ad inuicem (vt loquentes de locutione Angelorū docent D. Th. 1. p. q. 107. art. 1. ad iuncta solutione ad 3. & art. 4. & Scotus in 2. d. 9. q. 2. §. Ad questionem istam, & in reportatis eadem distinctione q. 3.) Item idem D. Th. q. vnica de anima art. 5. docet, Angelos influere sciētiam in animas separatas; & hoc influendo species intelligibiles in illas; vt explicat ad 15. quod repetit art. 20. ad 1. addens, quod, cum hæc actio non sit sensualis, non oportet hic querere medium deferens: quam rationem etiam assignat quodlib. 6. art. 10. Cum ergo tot experiētis constet, agens creatum, & limitatū posse mouere, seu agere in subiectum ab ipso loco distans, non est, cur asseramus, contiguitatem localem agētis ad passum esse conditionem simpliciter requisitã in agentibus creatis ob suam limitationem in agendo.

34 Ad omnes has experiētias solum respondent aduersarij, omnes istos effectus nõ produci immediatè ab agentibus remotis, quibus attribuuntur; sed huiusmodi agentia producere immediatè, & per mediū diffusere.

dere aliquam qualitatem, seu virtutem nobis ignotam, à qua immediatè prædicti effectus producantur. Sed contra primò; quia si hæc qualitas est nobis ignota, quomodò aduersarij ab experientia vniuersali volunt probare, quod intendunt? Secundò inquiri ab his auctoribus, quomodò hæc agentia qualitatem istam, seu virtutem per medium extensum, & diuisibile diffundant; an producendo illam immediatione virtutis, & suppositi, non solum in parte spatij propinqua, sed etiam in remotis? an solù producendo illam immediatione virtutis, & suppositi in parte ipsis contigua; quæ pars iterum producat aliam similem qualitatem in parte sequenti; & hæc in alia; & sic deinceps per totum spatium? Hoc vltimum dici non potest; nã virtus, qua magnes attrahit ferrum, & aliæ similes qualitates, quæ sunt quedam potentia naturales, non sunt aliarum similium potentiarum, sed tantum suorum actuù productiua. Et idem est iudicium de qualitatibus, quæ dicuntur habitus, seu dispositiones; imò in vniuersum de omnibus qualitatibus secundis. Ergo dicendum est p̄sumum; & consequenter fatendum, hæc agentia in productione, & diffusione istius qualitatis, seu virtutis per medium extensum; & diuisibile, nõ solum agere immediatione virtutis, & suppositi-

ti in parte spatij ipsis proxima; & contigua; sed etiam in partibus remotis, & loco dislitis. Quod si admittere coguntur, agentia ista producere istas qualitates in partibus spatij, nõ contiguas, sed loco dislitis, admittere etiam poterunt, supra dictos effectus produci ab his agentibus immediatè immediatione, tam virtutis, quã suppositi, non obitante, quod eorum subiecta sint ab ipsis loco dislita; (nam nõ est maior implicatio in vno, quã in alio) & sic è medio tollent istas qualitates, quas agnoscunt ignotas. Tertio instantia effectus spiritualis, quæ vnus Angelus producit in alio loco distante; & similiter scientia, quam Angeli in animas separatas influunt, prædictam responsionem non admittunt; quia nulla spiritualis qualitas potest fingi ab Angelo diffusa per medium, à qua immediatè effectus spiritualis in Angelo, & scientia in animalibus separatis producatur; cum mediũ non sit capax talis qualitatis spiritualis. Quæ instantia ad eò viget aduersarios, vt aliqui cogantur dicere duos spiritus, vt in se agant, siue loquantur, debere esse omnino immediatos, ita vt, nec atomus aeris intersit, vt significat Suarez in Metaph. disp. 18. sect. 8. in 46. quod ridiculum videtur, & nõ solum contra Scorum, sed etiam contra D. Tho. num. 33. et alios.

35. Quarto demum ad eandem veritatem comprobandã adduci possunt aliæ frequẽtiores experientia; nam Sol, tam immediatione virtutis, quã suppositi, producit lumen non solum in parte spatij sibi contigua, sed etiam in partibus ab ipso loco dislitis; vt sunt ista inferiora, quæ à Sole illuminantur. Et similiter ignis immediatione, tam virtutis, quã suppositi producit calorem nõ solum in partibus aeris sibi contiguas, sed etiam in corporibus ab ipso loco dislitis, dummodò existant intra sphaeram suæ actiuitatis.

36. Neque audiendi sunt aliqui auctores, qui vt has experientias effugiant, affirmant, neque solem, lumen, neque ignem calorem in partibus ab ipsis dislitis producere immediatione suppositi, seu (quod idem est) per virtutes in ipsis existentes, sed potius per virtutes ab ipsis derivatas, v. gr. solem immediatione suppositi, & per virtutem in ipso existentem illuminare tantum partem spatij sibi contiguam; & postea illam partem per lumen in se receptum illuminare aliam partem immediatè sequentem; & istam aliam; & sic deinceps vsque in finem spatij: & idem dicunt contingere in calefactione ignis.

37. Auctores (inquam) isti nõ sunt audiendi. Tum, quia, si quis directè se radijs solis ex-

ponit, intensius illuminatur, quã si in alio situ prope aerem directè percussus à sole se collocet: quod signum euidentius est, eum tunc immediatè illuminari à virtute illuminatiua existente in sole, & nõ solum à virtute luminis existente in aere. Similiter, si quis directè se collocet ante os fornacis ardentis, sentit maximũ calorem, quem non sentit, si se collocet ad latus oris fornacis, etiam si magis prope ad os fornacis se collocet, vbi debet esse calidior: ergo etiã est euidentius signum, eum tunc immediatè calefieri à virtute calefactiua existente in ipso igne; & non solum à virtute calefactiua existente in aere. Tum etiam, quia inquiram ab his auctoribus, an, quando dicunt, solem, vel ignem immediatione suppositi, & virtute in ipso existente solum illuminare, vel calefacere partem spatij ipsi contiguam, loquantur de parte diuisibili, an de indiuisibili, qualis est vltima superficies? si de parte diuisibili, cum in ea sint assignabiles partes proximiores, & remotiores ipsis agentibus, sequitur, quod agentia ista agant immediatione, tam virtutis, quã suppositi in partes ab ipsis remotas; & idem consequenter dici debet de omnibus alijs partibus remotioribus. Si autem nomine partis contiguae intelligant vltimam superficiem, quæ est indiuisibilis.

lis secundum profunditatem; tunc inquirendum superest, an hæc ultima superficies per virtutem illuminandi, vel calefaciendi in se receptam immediatione virtutis, & suppositi agat in aliam superficiem, quæ sit ipsi coniuncta? an in partem diuisibilem? & cum non possit dici primum; quia duæ superficies non sunt immediatè coniunctæ, dicendum erit secundum: & sic redibit idem argumentum supra factum.

38 Sed esto, quòd contiguitas inter agens, & passum, seu inter mouens, & motum non sit conditio per se, & essentialiter requisita ad agendum, seu mouendum (vt probatum est) neque ex ratione communi agentis, neque ex ratione agentis creati, & limitati; inquiret, & non incongruè, aliquis, an saltem necessarium sit ex ratione agentis creati, & limitati, vt ad agendum immediatione virtutis, & suppositi in subiectum ab ipso loco dissitum, prius agat in subiecta propinqua, & intermedia aliquo genere actionis? & dico notanter aliquo genere actionis; nam non esse necessarium, quòd in illa agat eodem genere actionis, quò agit in subiectum remotum, omnes ex peritiæ adductæ num. 32. & 33. manifestè ostendunt. Quam dubitationem cogimur hic inferere. Tum, quia aliqui auctores ex adductis pro opposita sententia

(inter quos est Suar.) si ea, quæ docent, rectè perpendantur, nõ tam contendunt, agens creatum non posse agere in subiectum ab ipso loco dissitum immediatione virtutis, & suppositi, quàm non posse agere in prædictum subiectum, quin prius aliquo genere actionis agat in propinquum. Tum etiã, quia loca Arist. in contrarium adducta, si aliquam vim habent, non tam militant contra eos, qui dicunt, agens corpus immediatè immediatione, tã virtutis, quàm suppositi posse agere in remotum, quàm contra eos, qui dicunt ita posse agere in remotum, vt nullo modo agat in proximum, & in subiecta intermedia.

39 Ad hanc dubitationem optimè respondet Scotus in l. d. 37. citata, §. Respondeo. etsi communiter oporteat, quòd agens creatum nõ agat in subiectum remotum, quin prius agat aliquo genere actionis in subiectum propinquum, & in alia intermedia; tamen hoc non esse simpliciter necessarium ex communi ratione agentis creati, sed ob aliquas speciales causas, quæ in aliquibus agentibus creatis reperiuntur; ac per consequens dari posse aliquod agens creatum, quod immediatione, tam virtutis, quàm suppositi agat in subiectum remotum, quin aliquam operationem exercent in propinquum, vel intermedium. Quæ doctrina

ma-

manifestè conuinci potest instantijs de locutione Angelorũ, & illuminationis, qua Angelus illuminat animam separatam influendo in ea scientiam num. 33. adductis; nam (vt ibi non solum ex Scoto, sed etiam ex D. Tho. referebamus) Angelus loquitur Angelo separato, & similiter illuminat, seu infundit scientiam in animas separatas producendo in eis aliquem effectum spirituales, scilicet, spem impressam, (vt tenet Angelicus Præceptor) vel expressam (vt defendit subtilis Doctor.) illius, quod loquitur, vel cuius illuminationem, seu scientiam recipiunt animæ: & tamen Angeli ad producendum hos effectus nihil in subiecta propinqua, vel intermedia operantur.

40 Etsi quæras, quæ causæ speciales interueniant in aliquibus agentibus creatis ad hoc, vt communiter oporteat, prius agere in propinquum, quàm in remotum? Duas assignat Scotus. Prima est coniunctio plurium potentiarum in eodem supposito, quarum vtraque est actiua, sed vna habet passum proportionatum propinquum, & altera habet passum proportionatum remotum, verbi gratia, quia in magnete, & est alia potentia attrahendi ferrum, & similiter est color, qui potens est imprimere speciem, hæc virtus im-

primendi speciem visoriam habet subiectum proportionatum (scilicet, diaphanum) propinquum; & illa virtus attrahendi ferrum habet subiectum proportionatum remotum; hinc est, vt magnes non agat in remotum, quin etiam agat alia actione in propinquum: tamen hoc est per accidens, & propter coniunctionem itarum potentiarum in eodem supposito; nam, si in magnete solum esset virtus attrahendi ferrum, ageret in remotum nihil operando in propinquum.

41 Secunda est illuminatio specialis aliquorum agentium; quæ non possunt per formam actiuam in remotum agere, nisi per formam actiuam in propinquum, prius disponant passum remotum; vt Sol, qui non potest producere formam mixti in materia sublunari, nisi per lucem actiuam in propinquum, & intermedium, prius disponat materiam remotam. Et ob hanc causam optimè dixit Aristotel. loco Meteororum numero 28. citato, debere esse hunc mundum contiguum lationibus superioribus, vt omnis eius virtus inde gubernetur: non enim hoc dixit, quia putaret, astra non posse in immediatione virtutis, & suppositi producere in hæc inferiora formas mixtorum; sed quia ad producendum has formas, in materiam

hanc

hanc sublunarem ab ipsis remotam necessarium est, ut per lucem actiuam in materiam propinquam, & intermediam, disponatur prius materia hac sublunaris remota ad receptionem formarum mistorum: quod non posset contingere, si hic mundus non esset contiguus latioribus superioribus. 42. Et ad hanc causam reducitur id, quod videmus contingere in agentibus actione uniformi accidentali per spatium extensum, v. gr. cum ignis producit calorem; & Sol, aut quodcumque aliud luminosum producit lumen per spatium extensum; & obiectum visibile producit speciem intentionalem per diaphanum extensum; & similiter impellens corpus mediante impulsu producit in corpore remoto presentiam localem per spatium extensum. Videmus enim in his, atque similibus agentibus in diffusionem sui effectus per spatium extensum, ita coartari, ut non possint producere illum in parte remotiori, quin prius, saltem natura, illum producant in parte ipsis proximiori; nam dicendum est, hanc subordinationem, & continuitatem effectus ad effectum; quam ista, atque similia agentia, naturaliter semper obseruant, oriri ex eo, quod productio effectus in parte anteriori spatij est quasi praeuia dispositio naturaliter requisita ad hoc, ut similem effectum

producant in parte spatij immediate subsequenti. Unde prouenit, quod, si quando haec agentia diffundant suos effectus in spatio extenso per lineam rectam, interponatur in medio sphaerae suae actiuitatis aliquod subiectum incapax recipiendi tales effectus, praedicta agentia desinant diffundere suos effectus per lineam rectam; eo quod per praedictam lineam non possunt diffusionem suorum effectuum continuare; & diffundant illos per lineam reflexam, per quam possunt diffusionem suorum effectuum continuare, ut oculata experientia compertum est.

43. Ex quibus colliges, quam efficax fuerit ratio prima, qua usus est Scotus d. 37. citata ad probandum, quod si Deus per impossibile non esset immensus, sed potius esset in aliquo determinato loco, posset tamen producere effectum non solum in loco distante, & remoto, sed etiam hoc praestare posset nihil operando in proximum, seu intermedium; nam, si in agentibus creatis, quae non operantur in remotum, nisi prius operando in proximum, hoc accidit, vel ex concomitantia plurium potentiarum in eodem supposito, vel ex speciali limitatione aliquorum agentium, in quibus agere in propinquum est dispositio praeuia requisita ad agendum in remotum: cum in Deo solum sit vnica potentia

tia respectu effectuum, quos producit ad extra; (scilicet, eius diuina voluntas) & aliam ad operandum, quod voluerit, nulla praeuia dispositione indigeat, manifeste infertur, quod si per impossibile non esset immensus, sed in aliquo determinato loco, posset nihilominus non solum in loco distante, sed etiam nihil operando in propinquo, quem vellet, effectum producere, & operari.

44. Restat obiectis in contrarium satisfacere. Ad auctoritatem Arist. desumptam ex capite 2. huius libri respondetur, non contendere Philosophum, agens corporeum non posse agere immediate in remotione virtutis, & suppositi in remotum; sed non posse agere in remotum, quin agat in proximum: & hanc esse contiguitatem, quam tamen ibi, quam 1. de Generatione tex. 78. postulat, & requirit inter agens corporeum, & passum ad agendum. Imo (ut optime responderet Scotus loco citato) solum ibi loquitur Aristot. de agentibus naturalibus corporeis, quae agunt per qualitates, vel formas actiuas, quae non sunt principia agendi in remotum, nisi sint aliae formae concurrentes, quae sint principia agendi in propinquum; ut exempla, quae ponit in inductione ibi facta ad probandum hoc, manifeste ostendunt. Ad aliam ex 1. Meteororum patet ex dictis n. 41.

Ad auctoritatem ex 2. de anima respondetur, quod, cum species visoriae, quae producuntur ab obiecto visibili sint ex illis effectibus, qui non possunt ab agente produci in remotiori parte spatij, per quod diffunduntur, quin prius producantur in parte proximiori, (ut ex dictis n. 42. constat) optime docuit Arist. contra Democritum, quod si medieret vacuum inter caelum, & terram, nihil omnino cerneremus in caelo; eo quod visio non potest fieri absque eo, quod potentia visiva patiatur ab obiecto visibili recipiens speciem ab ipso productam; quam in dicto casu non posset obiectum existens in caelo producere, seu diffundere usque ad potentiam visiuam existentem in terra; quia neque per vacuum, quod tunc medieret inter caelum & terram. 45. Ad primam rationem respondetur, ex eo quod agens in remotione virtutis, & suppositi ageret in remotum nihil agendo in propinquum, in praesentis inferri, quod nullo determinato spatio, seu sphaera eius actiuitas concluderetur. Et similiter, quod in diffusionem sui effectus non ageret uniformiter difformiter; nam ratio, ob quam agens limitatum habet sphaeram limitatam, & similiter producit effectum intensiorem, & perfectiorem in parte spatij propinquiori, quam in remotiori, & consequenter diffundit effectum uniformiter difformiter, non est; quia.

quia agat in remotum non per virtutem in ipso existentē, sed per virtutem ab ipso infubiecta intermedia deriuatam; aut quia agat prius per virtutem in ipso existentem in partem proximam, quā in remotam; sed quia maioris virtutis in agēdo est vincere rem distantem, quā propinquam, & consequenter agere in aërem distantem, quā propinquum. Vnde si actiuitas agentis finita, & limitata sit, quod. etiā sphaera, in qua producere possit effectum, finita, & limitata sit, necessarium est; sicuti & quod perfectior, & intensior sit effectus, quem producit in parte proximiori illius sphaeræ, quā effectus, quē producit in parte remotiori: non enim agens ita defatigatur, aut debilitatur producendo suum effectum in parte propinquiori, vt huic priori productioni tribuendum sit, non posse illum producere in parte remotiori; sed potius attribuendum est distantiae, quam non potest eius virtus limitata in agendo superare. Cuius signū euidentius est, quod potest agens finitum, & limitatū producere alium, & alium æqualem effectum in subiecto posito in eadem mensura, & ultra illam nullū. Vnde optimè dixit Scotus d. 37. citata: *Quāto perfectior est forma in creaturis, tanto videtur esse ratio agendi in remotius.* Quæ verba non sunt intelligenda de perfectione essentiali; (nā for-

mæ viuētium essentialiter perfectiores sunt, quā formæ corporum caelestium; & tamē formæ calorum in remotius agere possunt, quā formæ viuētium) sed de perfectione in modo agendi, quæ perfectio potest esse maior in his, quæ essentialiter sunt imperfectiora. Neque hoc vllum est incōueniens; possunt enim optimè, quæ essentialiter sunt perfectiora in modo operandi, excedi ab his, quæ sunt essentialiter imperfectiora: potentia enim visua in homine essentialiter perfectior est quacumque potentia visua aliorum animalium; & tamen plura animalia exuperant hominem in modo videndi; nam perspicacius, & à maiori distantia prospiciunt obiecta; & idem est iudicium de alijs sensationibus.

46 Ad secundā concessō antecedenti negamus consequentiam: licet enim, quando medium est crassum, vel instabile, vel aliquo colore imbutū, per illud ita moueatur visus ab obiecto distante, vt crassius appareat obiectum, vel instabile, vel alio, quā proprio colore imbutum; tamen hoc nō prouenit ex eo, quod species intentionalis, qua mediante visus prospicit obiectū, non sit producta ab ipso obiecto immediatione virtutis, & suppositi in ipsa potentia visua; sed quia in potentia visua, non so-

lolum recipitur species intentionalis obiecti, sed etiam recipiuntur species intentionales ipsius medij; & omnes istæ species simul concurrunt ad diuisionem tam medij, quā obiecti: neque enim videri potest obiectum, quin etiam videatur medium. Et hæc occurrentia specierum ad visionē, est, quæ causat, quod obiectum appareat crassum, instabilem, & alio quā proprio colore imbutum iuxta qualitatem medij. Et cum additur, quod, quando medium est opacum, per illud non potest moueri visus ab obiecto, nec passum illuminari à luminoso distantibus, respondetur ita esse: tamen hoc contingere, non quia obiectum, & similiter luminosum, quando diffundunt suos

effectus, non operentur illos immediatione virtutis, & suppositi in partem remotiorem, sicut illos operantur in parte proximiori: sed quia (vt ex nu. 42. constat) huiusmodi agētia sunt ex genere illorum, quæ vt operantur effectum immediatione virtutis, & suppositi in parte remotiori, indigent, vt dispositione præuia, quod prius illos operentur in parte proximiori: quod non potest contingere quoties inter obiectū, & potentiam visiuam, aut inter luminosum, & rem illuminandam est medium opacum: nam medium opacum non est capax recipiendi speciem intentionalem, neque lumen, quæ sunt effectus obiecti, & corporis luminosi.

## LIBER OCTAVVS DE PHYSICO AUDITV, SEV auscultatione.

TEXTVS. *Vtrum autem factus est aliquando motus, cum non esset prius, &c.*

### SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

**I**N hoc octauo libro (qui decem continet capita) intentum Philosophi est, agere de duratione motus, & de primo omnium motore. Diuiditur autē in quatuor præcipuas partes. In prima per duo priora capita agit de perpetuitate motus. In secunda à capite tertio, vsque ad sextum ostendit dari vnum



primum motorem immobilem. In tertia à capite septimo, vsque ad nonum ostendit, quissam motus sit perpetuus. In quarta de qualitate primi motoris per vltimum caput sermonem instituit.

Accedendo ad primam partem, in ipsa primi capituli fronte hanc proponit quæstionem. Vtrum aliquando factus fuerit motus, ita quod antea nullus alius motus erat? Et vtrum aliquando corrumpetur motus, ita ut post illum motum non erit alius motus? An verò antea, retroque motus æternus sit, & vt vita rebus viuentibus, sic ipse omnibus natura constantibus perpetuo conueniat? Et primò narrat, in quo antiqui Philosophi conueniant, & in quo discrepauerint circa propositam quæstionem, dicens, omnes Philosophos naturaliter loquentes motum concessisse: quod ex duobus colligit. Primò, quia omnes probant, mundum generari, & corrumpi: quod non posset esse sine motu præeunte. Secundò, quia omnes de generatione, & corruptione disputarunt, ad quas necessariò motus alterationis prærequiritur. Discrepasse tamen; nam quidam ponebant mundos infinitos (vt Leucipius, Democritus, & Epicurus) non simul, sed vnum ex alio generari in infinitum; & ita constituebant motum sempiternum, cum omnè generationem præcedat aliquis motus. Alii autem vnum tantum constituebāt mundum semper genitum, & in æternum duraturum. Qui adhuc dissidebant circa motum, nā quidam (vt Anaxagoras) posuerunt à principio omnia entia quiescere in quodam chaos confusè, & postea superveniente diuina mente segregata fuisse adinvicem; & tunc incepisse motum. Quidam verò (vt Empedocles) dicebant, res per finita temporum spatia, nunc moueri, nunc quiescere perpetua vicissitudine, nunc videlicet cogente amicitia, nunc lite distrahente. Et subdit Philosophus, quod diligenter querendum est de ista quæstione, cum sit difficilis, & de ea plures sint opiniones. Vt autem ipsam determinet, supponit, ad motum debere præcedere mobile, & consequenter mouens: quod probat. Tum ex definitione motus: nam motus est actus mobilis, in quantum mobile: ergo motus non potest esse, quin præexistat mobile. Tum etiam, quia vbi est alteratio, oportet, vt alterabile præcedat; & vbi est combustio, oportet, quod combustibile præcedat; & sic de alijs motibus. Hoc supposito statuit, motum esse perpetuum, neque assignabilem esse motum, ante quem alius non præcesserit in infinitum: quod probat duabus rationibus. Prima, quia, si non semper fuit motus, detur ergo primus motus, ante quem non fuit alius: ergo cum ex suppositione facta mobile, & mouens præcesserit

ferit ad illum motum, inquiri, an mouens, & mobile fuerint genita, vel æterna? Si genita; cum omnem generationem præcedat motus alterationis, ante primum motum assignatum dabitur alius motus; & sic in infinitum. Si æterna, & motus non est æternus, sequitur mouens, & mobile æterno tempore quiescisse: quod apparet irrationabile, & quasi ab inscientibus dictum: quia, si æterno tempore quiescebant, non apparet aliqua ratio, quare mobile, & mouens, nunc incipient mouere, & moueri; & antea non. Et confirmatur, quia ex quo tempore quiescebant, aliqua erat causa illius quietis, quam oportuit remouere, vt mobile, & mouens moueret, & moueretur. Sed illa causa quietis non potest remoueri, nisi per motum: ergo ante primum motum assignatum erat aliquis motus. Sed quia alia sunt agentia naturaliter, & cum determinatione ad vnum, quæ eo ipso non possunt in contrarios effectus: alia verò sunt agentia liberè, quæ possunt diuersos effectus agere: & dicere, quis poterat ad rationem factam, primum motorem (scilicet Deum) esse causam liberam, ac per consequens non esse opus remouere causam illius infinitæ quietis; quia primus motor idem omnino existens primò fuit causa quietis, & postea causa motus, soluit obiectionem istam dicens, quod agentia libera, & naturalia quodammodo conueniunt, & quodammodo differunt. Primò conueniunt, quia vtrumque potest agere contrarios effectus: sed differunt, quia agens liberum potest esse per se causa contrariorum; at agens naturale non: licet enim agens naturale sit per se causa vnius contrarij, tamen alterius contrarij solum potest esse causa per accidens; vt contingit in antiparitas. Secundò conueniunt (& magis ad rem) quia sicut agens naturale non potest producere contrarios effectus, nisi propter diuersitatem dispositionum, quibus mediantibus agit; ita similiter agens liberum non potest elicere actus contrarios, vel diuersos, nisi per mutationem in voluntate, ita ut aliter velit prius, & posterius: ergo si primus motor voluit prius, illud mobile quiescere, & modo vult moueri, sequitur, quod ibi est mutatio, ac per consequens ante primam mutationem erat alia mutatio prior. Secundam rationem sic efformat. Semper fuit tempus: ergo semper fuit motus. Consequentia tenet; quia tempus, vel est motus; vel non est sine motu. Antecedens probat auctoritate omnium Philosophorum, si vnicus excipiat Plato. Secundò, quia si tempus fuisset factum, ita ut non prius fuerit tempus, tunc præfuit factor ipsius temporis, & illud, ex quo factum est tempus; sed prius est differentia temporis: ergo ante primum tempus fuit aliud tempus;

quod implicat. Tertiò, quia, si aliquod tempus erat primò factum, illud erat factum in *nunc*: sed hoc est impossibile (quia nunc est continuatiuum temporis) ergo ante primum tempus fuisset aliud tempus. Probat deinde, motum esse etiam perpetuū à parte *post* ex eodem inconuenienti, quia, si non semper erit motus, sequeretur, quod post vltimum motum daretur motus vlterior; quod implicat. Sequelam probat; quia vel post illum vltimum motum motor, & mobile perpetuò mouerent sine motu, vel alterum illorum corrumpereetur? Non primum, quia non apparet ratio, cur motor, & mobile desinerent mouere, & moueri magis in vna mensura, quàm in alia. Si secundum, sequitur intentum, siquidem post vltimum motum daretur vlterior motus, scilicet, corruptio motoris, vel mobilis. Hinc concludit, motum & ante, & retro esse perpetuum.

In secundo capite reprehendit Empedoclem, qui, cum diceret, *litem*, & *amicitiam* necessariò res mouere, ac per quædam temporum interualla motionem, quietemque interijci; huius nullam assignabat causam, quàm quòd ita oportebat fieri natura rerum id postulante: atque hoc ipsum ait, fortasse dicturum Anaxagoram, si quis ab eo sciscitaretur, cur diuina mens nihil operis ab æternitate mollita est, nec chaos, nisi certo tempore mouit? Reprehendit (in quam istos) eo quòd in suis assertis in rerum naturam confugerint, tamquam in causam; quasi natura, quæ maximè est ordinis studiosa, sine ordine, & ratione quidquam aggrediatur. Alienum autem esse ab ordine, quem natura amat, vt res infinito tempore immotæ iacuerint, & postea moueri cæperint (vt assererat Anaxagoras) ex eo probat, quia ibi dumtaxat ordo reperitur, vbi inuenitur proportio; infiniti autem ad finitum nulla est proportio. Item non esse opus naturæ, quòd res modò moueantur, modò non moueantur, sed potius quiescant, nulla assignata ratione huius variationis in operando (vt ponebat Empedocles) inde suadet, quia, quæ à natura fiunt, aut semper eodem modo se habent (vt ignis, qui semper fertur sursum) aut si aliquando diuerso modo se habent (vt viuientia, quæ non semper increfcunt, sed interdum imminuuntur) id non prouenit sine causa, & instituto naturæ. Vnde infert, rectius philosophatum fuisse Empedoclem, quàm Anaxagoram; nam iste, ponendo ante omnem motum infinitam quietem, naturæ ordinem demollitus est. At Empedocles, dum vices illas mouendi, quiescendique statuit, aliquem ordinem adhibuit; quâuis in hoc etiã peccauit, quòd nullam tam insignis alterationis causam reddidit: cum

cum minimè deceat, indagatorem naturæ quidquam abique experientia, seu inductione, vel demonstratione, rationeue aliqua pronuntiare. Et quia dicere quis poterat. Empedoclem vicissitudinis illius causam assignasse, scilicet, *litem*, & *amicitiam*, occurrit Aristotel. dicens, huiusmodi causam veram, & idoneam non esse: licet enim experiamur, quòd in nobis amicitia sit causa congregationis, & *lis* sit causa disgregationis; tamen Empedocles non assignauit cur *lis* moueat isto tempore, & non illo; & idem omisit de amicitia. Rursus, quia Empedocles suam positionem æternitatis nomine tuebatur nullam aliam reddens causam perpetuæ illius vicissitudinis, quàm quòd ita ab æterno fuisset, proindeque rata lege ita conuenire oportere, quia æterna causam non habent; hoc, vt parum philosophicè dictum; incusat; simulque reprehendit Democritum, qui etiam naturalium rerum causam æternitati adscribebat: nam etiam si quædam sempiternæ veritatis sint (vt principia simpliciter prima) quorum nulla est quærenda alia causa: verum nonnulla æterna inueniri dicit, quæ causam habent; vt triangulum constare tribus angulis æqualibus duobus rectis; huius enim veritatis causa est ipsa trianguli definitio. Proponit deinde Arist. tres rationes, quibus motum non semper fuisse probari posset ab aduersarijs. Prima, nulla mutatio clausa terminis perpetua est, sicuti neque infinita: sed omnis motus clauditur terminis (quia versatur inter extrema contraria) ergo nullus motus perpetuus erit. Secunda, quia videmus in corporibus inanimatis, quòd aliquod quiescens postea mouetur per motum alterius, & ab extrinseco (vt patet in lapide quiescente) ergo multò fortius possibile est, quòd mundus primò quiescat, & postea moueatur: nam, si motus inchoari in aliquo non posset, sequeretur, ea, quæ mouentur, semper agitari; & quæ quiescunt, perpetuò quiescere: quod experientia repugnat. Tertia, quòd in animantibus fieri conspiciamus (præsertim in homine, qui quamdam totius vniuersi imaginem in se continet; & ideo paruus mundus appellatur) id ipsum videtur fieri potuisse in mundo magno, & in natura vniuersa: sed animantia nonnumquam absque villo auctore, nulloque alio motu, quo incitentur, præcunte moueri incipiunt: ergo & in tota natura ante eius motum potuit infinita quies præcedere. Respondet ad has rationes. Ad primam fatetur ex motibus, qui fiunt inter contraria, non posse vnū, & eundem esse perpetuū, quia si fiat motus de vno contrario in aliud, & postea fiat reuersio, oportet, quòd inter hos motus in puncto reflexionis cadat quies. media: ta-

mē hoc nō tollit, quōd ante quālibet motū præcesserit alius motus. Itē, non omnē motū esse ex contrario in cōtrariū, sed aliquē esse ex eodē in idē; vt motus circularis qui potest reuerti, vnde venit, absque quiete media; vt latius dicetur infra. Ad secūdā cōcedit, aliquid moueri, quod antea non mouebatur, si habeat extrinsecum motorem, quo præsentē moueatur, & quo absente quiescat: itaque vult, quoties res inanimata de nouo moueri incipit, cum motum antecedere alium, quo mouens afficiatur, & hunc alium, sicque in infinitum absque termino. Ad tertiam (quæ videbatur habere maiorem dubitationem, quā præcedentes; nam, vt apparet in animantibus, quiescens prius postea mouetur localiter nullo exteriorum mouente) respondet in primis conspicuum esse quosdam motus animantibus extrinsecus euenire, nimirum alterationes, quæ à circumfuso, vel aliūde inferuntur, vt refrigeratio, humectatio, &c. Deinde dicit, ipsum etiā motum localem externam causam plerumque habere, qua videlicet mens, vel appetitus ad eum motum localem ad eundem impellitur. Imò etsi nullam externorum sensuum functionem obeant, haud quaquam ante motum localem vacare monet; cum sine respirandi, aut nutriendi actu non viuant. Quod si nullo antecedente motu à somno excitari videantur, re tamen vera excitationem aliquis motus antevertit, nimirum consumptio, aut depressio vaporum, qui cerebrum occupabant, vel concoctionis absolutio, aut aliud quid, vnde vigilia sequitur. Vnde absolutè falsum affirmat id, quod predicta ratio assuebat.

Accedendo ad secundam partem, in tertio capite occasione sumpta ex rationibus dubitandi contra perpetuitatem motus capite præcedenti allatas, explicat, & determinat, quo pacto se habeant entia naturalia respectu motus, & quietis, dicens, tribus modis hoc posse imaginari. Primò ita ut omnia quiescant, & nulla moueantur. Secundò ita ut omnia moueantur, & nulla quiescant. Tertio ita ut aliqua quiescant, & aliqua moueantur. Et hoc vltimum adhuc imaginari posse dupliciter. Primò ita ut illa, quæ mouentur, semper moueantur, & illa, quæ quiescunt, semper quiescant. Secundò ita ut illa, quæ mouentur, aliquando moueantur, & aliquando quiescant; & illa, quæ quiescunt, aliquando quiescant, & aliquando moueantur. Deinde, vt hunc quintum modum statuatur, reijcit omnes priores: & primò docet, non posse dici (vt Zeno, & Parmenides asseriebant) omnia quiescere, & nulla moueri. Primò, quia qui hoc dicunt, negant sensum quærentes rationem; & infirmitas intellectus est quærare rationem, vbi adest experientia sensus. Secun-

cundò, quia negans motum non solum contradicit scientiæ naturali, sed etiam cuilibet alij scientiæ: nam quælibet alia scientia exercendo actum suum vitatur motu. Tertio, quia esse motum est primum principium in scientia naturali; nam, qui tollit motum, tollit naturam, quæ est principium motus: ad naturalem autem non spectat probare sua principia. Secundò docet, non posse dici (vt dixerunt Heraclitus & Cratylus) omnia moueri, & nulla quiescere. Primò, quia, qui affirmat, nihil quiescere, contradicit etiam sensibus, & tollit naturam, quæ sicuti est principium motus, ita & quietis. Secundò probat inductione: nam id, quod augetur, & diminuitur, non est necesse, quod continuè augeatur, vel minuatur; vt si aliquod augeatur secundum quantitatem digitalem in vno anno, non oportet, quod in qualibet parte illius anni augeatur: & probat per simile; nam licet omnes guttæ cadent super lapidem, non tamen omnes concuant lapidem. Item, in alteratione; nam non oportet, quod si partibilia sit in infinitum, id, quod alteratur, ob id etiam alteratio partibilis sit in infinitum, id est, vt prius tempore alteretur vna pars, & postea alia in infinitum, cum oppositum videre liceat in eo, quod congelatur, quod totum simul congelatur; & similiter in sanitate; nam, cum infirmus sanatur, iam mutatur ad sanitatem, & illa habita quiescit: nam, si moueretur, vel moueretur ad sanitatem; & hoc non, quia iam habet sanitatem; vel in aliud; & illud non oportet ponere. Imò, cum omnis alteratio à contrario soluat, & in contrarium desinat, palam veritati contradicit, qui res perpetuò alterari autumat, atque lapis, neque durior fit, aut molior. Item in motu locali, quia videmus lapidem velociter descendentem in termino motus quiescere; & corpora naturalia non remoueri à suis locis, nisi per violentiam, & magno conatu respectu mouentis; quod non eueniret, nisi in suis locis quiescerent. Tertio docet, non posse dici, quod omnia, quæ mouentur, semper moueantur; nec similiter, quod omnia, quæ quiescunt, semper quiescant. Probat primò experimento: ex perimur enim, nonnulla esse, quæ per vices ex quiete ad motum, & ex motu ad quietem transeunt. Secundò, quia dantur motus violenti, qui esse nequeunt, nisi eadem res, nunc moueantur, quæ antea in suo loco naturali quiescebant. Tertio, quia tolleretur ortus, & interitus; nam, quod oritur, antea in non esse quiescebat; & quod interijt, ante quiescebat in esse: imò tollerentur omnes motus, quia omnis motus est ortus vnius extremi, & interitus alterius. Vtrum autem ex his, quæ quiescunt, aliquod semper quiescat; vt pri-

mus motor; & ex his, quæ mouentur, aliquod semper moueatur, vt primum mobile? Remittit ad inferius discutienda. Denique recopilat omnia dicta, & docet, quod ad probandum conclusiones supra positas sufficit fides, quam habemus per sensus; quia querere rationem de illo, vbi habetur dignius ratione, scilicet, experientia sensus, est opus malè iudicantis.

In quarto capite, vt ostendat, nihil moueri à se ipso primò (primitate causalitatis, vt ex lib. 7. quæst. 1. constat) sed potius omne, quod mouetur, ab alio moueri, præmittit quasdam diuisiones. Prima est, mouentium, & eorum, quæ mouentur, alia quidem per accidens mouent, & mouentur; alia verò per se: vbi per ly *per accidens* dicit se intelligere, non solum, quod ratione alterius, & mouet, & mouetur, sed etiam, quod mouet, & mouetur non secundum se totum, sed ratione partis. Secunda diuisio; eorum, quæ per se mouentur, alia mouentur à se ipsis, alia verò ab alio; & alia quidem naturaliter, & alia violenter: ea verò, quæ à se ipsis mouentur, secundum naturam moueri dicuntur, quando quidem principium sui motus in se habent, vt animalia. Aduertit tamen, et si animalia se ipsa naturaliter moueant, corpus autem ipsorum contingere, vt naturaliter, & violenter moueatur: naturaliter, si moueatur quò elementum in ipso prædominans inclinatur; violenter, si in contrariam partem deducatur. Tertia diuisio, eorum, quæ ab alio mouentur; quædam mouentur naturaliter, quædam violenter: naturaliter, vt cum terra mouetur deorsum, & ignis sursum; violenter verò, vt cum terra mouetur sursum, & ignis deorsum. ~~His~~ diuisionibus suppositis accedit ad probandum, nihil moueri à se ipso primò, sed potius omne, quod mouetur, ab alio moueri: ac primum conspiciunt esse dicit, omne, quod violenter mouetur, moueri ab alio; nam à principio extrinseco, & consequenter distincto ab ipso, quod mouetur. Sed idem quoque notum esse dicit in his, quæ interno principio secundum naturam aguntur, hoc est, in viuentibus: hæc enim ab alio moueri constat; licet quoniam modo ab eo, quod mouet, distinguantur, non satis manifestum sit; videri tamen animal eo pacto se habere, quo nauis, quæ moueri à se dicitur propterea, quod à naua, quem in se continet, mouetur: atque ita id, quod in animalibus motionem affert, & quod eandem recipit, diuersa esse, vt nauim, & nautam. Totam ergo dubitationem esse dicit circa membrum tertie diuisionis, in quo continentur ea, quæ ab alio naturaliter moueri dicuntur, vt graua, & leua, cum naturalia loca petunt: etenim quod graua, & leua ab interno principio, non moueantur,

tur, cum naturalia loca petunt, tribus rationibus demonstrat. Prima est, quia ab intrinseco principio moueri vitæ, & animantium proprium est, graua autem, & lenia, qua talia sunt, non participant vitam. Secunda, quia, quæ à principio intrinseco, & more animantium mouentur, in sua potestate habent quiescere, & in contrarias partes ferri; quod grauibus, & leuibus, non conuenit. Tertia, quia, quæ sunt continua, id est, quæ constant partibus homogeneis, & eiusdem rationis, vt graua, & leua, non possunt secari in partes integrantes, quarum vna sit mouens, & alia mota: quod in his, quæ ab intrinseco mouentur, necessarium est. Vt autem explicet, à quo graua, & leua moueantur, partitur mouentia in ea, quæ vi, & in ea, quæ natura mouent; & similiter mouentia in ea, quæ naturalia sunt, id est, quæ motionis suæ principium in se habent, non ex accidenti, sed per se; & in ea, quæ natura non sunt talia, id est, quæ principium motionis non habent per se, sed ex accidenti; vt album Socratis, prout in maiorem fedit quantitatem; accidit enim ei, quod augefcit, album esse. Et hac diuisione supposita statuit, graua, & leua ab alio agi (id est, dirigi, & gubernari) in suis motibus, vt ex lib. 7. q. 2. constat) vti quidem, cum præter naturam mouentur; natura verò, cum ob potestatem, qua prædita sunt, in actiones suas feruntur. Vnde inferit, difficultatem agnoscendi, à quonam graua, & leua naturaliter moueantur, ortam esse ex ignorantia modorum, quibus aliquid in potestate esse dicitur: quam vt auferat, docet, bifariam dici quidpiam esse in potentia; vno modo ad actum primum; altero ad actum secundum: exempli gratia, in scientibus actus primus dicitur ipse habitus scientificus, à quo contemplatio scientifica oritur; actus verò scientificus, contemplatio ipsa scientifica; quæ ab habitu scientifico proficiscitur: cum ergo aliquis caret habitu scientifico, dicitur esse in potentia ad actum primum; cum verò habet habitum scientificum; non tamen contemplationem scientificam, dicitur esse in potentia ad actum secundum. Docet, deinde, aliter se habere id, quod est in potentia ad actum primum scientificum; & id, quod solum est in potentia ad actum scientificum secundum: nam, quod est in potentia ad actum primum scientificum, non potest in actualem contemplationem scientificam prodire: at, quod est in potentia ad actum secundum scientificum, potest statim in actualement contemplationem scientificam prodire, nisi ab aliquo impediatur. Eodem modo, res se habere in physicis affirmat; nam, quod frigidum est, vt g. aqua, est in potentia ad actum primum, scilicet, ad esse calidi, seu ad esse ignis;

post-

postquam autem frigidum, seu aqua, mutatum est ex hac potentia, & factum est calidum, seu ignis, est in potentia ad actum secundum, scilicet ad combustionem, & statim comburit, nisi impediatur. Idem prorsus affirmat contingere in leuibus, & graui-  
 bus: nam quod graue est, v. g. aqua, est in potentia ad actum primum, scilicet ad esse leue, seu ad esse aeris; postquam autem graue, seu aqua, mutatum est ex hac potentia, & factum est leue, seu aer, est in potentia ad actum secundum, scilicet ad motum sursum, qui est actus secundus leuis, & statim mouebitur sursum, nisi ab aliquo impediatur. Et idem contingere dicit in quanto, & in quali; id est, in motu augmentationis, & in motu alterationis. Quærit deinde causam, ob quam grauia, & leuia in sua loca naturalia ferantur, & dicit, causam esse virtutem ingenitam, quæ est in leuibus, ascendendi sursum, & in grauibus, tendendi deorsum. Inculcat rursus geminam illam potestatem, quam grauibus, & leuibus inesse dixit; nam cum aliquid (inquit) est graue, seu aqua est in potentia leue, seu aer, & cum factum est leue, seu aer, adhuc in potentia est, vt tendat sursum; contingit autem impediri, & non sursum tendere, sed si auferatur impediens, agit, & semper superius tendit. Et insuper docet, id, quod remouet impedimentum, quo grauia, & leuia impediuntur, ne suos motus exerceant, partim mouere illa, & partim non mouere: nam non mouet illa per se, sed per accidens; vt, qui columnam subtrahit, aut ab vtre, qui est in aqua, lapidem dimouit, ex accidente mouet; & quemadmodum pila reflexa non à pariete mota est, sed ab eo, qui proiecit. Et quia obijcere quis poterat, quomodo hæc moueantur à natura, si non habeat in se principium mouendi, respondet huic tacitæ obiectioni, hæc à natura moueri; quia habent in se principium passiuum naturaliter inclinans ad istos motus. Demum recopilans dicta, concludit intentum: nam, si omnia, quæ mouentur violenter, mouentur ab alio; & ex his, quæ mouentur naturaliter, ea, quæ à seipsis mouentur, vt viuentia, ab alio mouentur; & inanimata, quæ mouentur naturaliter, vt grauia, & leuia, non mouentur à se ipsis (aut enim ab eo, quod genuit, & leue fecit, aut graue, aut ab eo, quod prohibentia, atque impediencia dimouit) omnia sanè, quæ motu cientur, ab aliquo mouentur.

In quinto capite, vt probet, in mouentibus, & motis subordinatis deueniendum esse ad vnum primum motorem, quod non moueatur ab alio extrinseco motore, supponit, duo esse mouentium genera; alterum, quod ideo mouet, quia ab alio externo moueatur, vt baculus, qui lapidem mouet, quia ipse mouetur à  
 ma-

manu; alterum, quod ex se motionem efficit, non motum ab alio externo; vt animal, cum mouet lapidem. Rursus supponit, mouens primum aliquando mouere per plura mouentia intermedia, vt homo mouet manum, manus baculum, baculus lapidem, lapis aerem, aliquando verò per vnum tantum mouens intermedium, vt homo mouet manum, & manus aerem. Deinde docet, primum mouens, & mouentia intermedia partim inter se conuenire, & partim differre; conuenire, quia omnia simul mouent; differre, quia primum mouens magis mouet, quam intermedia. Quod dupliciter probat. Primò, quia primum mouens mouet intermedia, & non è contra. Secundò, quia primum mouens potest mouere, sine intermedijs, & non è contra. His suppositis, probat intentum. Primò, quia, quidquid mouetur, ab alio mouetur; vel igitur id, à quo mouetur, mouetur ab alio, vel nõ? Si non mouetur ab alio, habetur intentum, scilicet dari vnum primum motorem, quod non moueatur ab alio extrinseco motore: Si verò dicatur, quod id, à quo mouetur, mouetur ab alio, & illud rursus ab alio, vsque in infinitum, probat, hoc esse impossibile; quia in mouentibus infinitis nullum est primum mouens: si autem non est primum, neque postremum esse poterit; quia hoc pendet ab illo, vt dictum est. Si autem primum, & extremum mouens non sint, nullus erit motus quod est absurdum. Secundò probat, non esse necessarium, vt id, quod mouet, moueatur: ergo deueniendum est ad vnum primum motorem, quod non moueatur ab alio extrinseco motore. Antecedens sic probat. Si nullum mouens posset mouere, nisi moueretur, vel ergo moueretur per accidens, vel per se. Non per accidens, quia si per accidens moueretur, posset non moueri, & tunc nihil moueretur; quia, primo motore non mouente, nullum mouens mouet (ex dictis); & sic omnia quiescerent, quod superius est improbatum. Antequam probet secundam partem, interferit aliam rationem ad demonstrandum præcipuum intentum, quæ talis est. In vno quoque motu hæc tria reperiuntur necessario; scilicet, mouens; id, quod mouetur; & instrumentum mouendi. Id, quod mouetur, ita mouetur, vt non necessario moueat: instrumentum mouendi ita mouet, vt simul necessario moueatur: ergo primum mouens ita mouet, vt non ab alio necessario moueatur. Confirmat auctoritate Anaxagoræ, qui mentem, quam dixit primò mouere, & segregare omnia, mixtionis, motusque expertem fecit. Regreditur ad probandum secundam partem probationis antecedentis secundæ rationis, scilicet non esse necessarium ad hoc, vt mouens moueat, quod ipsum moueatur per se; quia, si esset nec-

cessarium ad mouendum, quòd mouens moueatur per se, vel eadem specie motus, qua mouet, vel diuersa? Non eadem, aliàs sequeretur, quòd modicus, dum sanat, necessariò deberet ab alio sanari; & qui voluit saxum, necessariò deberet ab alio volui; quæ sunt ridicula. Non diuersa, quia species motus finitæ sunt; atque ita dandus est status, veniendumque ad aliquod mouens, quod iam non alia specie motus moueatur. Quia verò dicere quis poterat, non oportere dari infinitas species motus; sed eandem transpositas, ita ut quòd localiter mouet aliud, alteretur ab alio, & quòd alterat, augeatur ab alio, & quòd auget, rursus ab alio moueatur localiter, sicque in infinitum transponendo; occurrit Arist. sequi ex ista transpositione motuum, rem moueri eadem specie motus, qua mouet: quod refutatum iam est. Sequelam vt probet, supponit, vnum quodque magis moueri à primo, quàm ab intermedio motore, v. g. si A moueatur à B, & hoc à C, & hoc à D, magis A mouetur à D, quàm ab alijs. Hoc supposito sic probat sequelam. Si mouens localiter moueretur ab alterante, & alterans ab eo, quòd augmentat, & augmentans ab eo, quòd localiter mouet, sequitur à primo ad vltimum, vt mouens localiter deberet localiter moueri. Probauit huiusque Arist. in mouentibus, & motis subordinatis deueniendum esse ad vnum primum motorem, quòd non moueatur ab alio extrinseco motore; nam hæc autem, vt probet primum motorem, nec etiã moueri à se sed esse prorsus immobilem, explicat, quibus modis passit aliquid dici moueri à se, dicens quatuor modis hoc posse contingere. Primò, ita ut totum moueat se ipsum: Secundò, ita ut totum moueat partem: Tertiò, ita ut pars moueat totum: Quarto, ita ut pars moueat partem. His positis docet, totum non posse mouere se ipsum (Loquitur de motu vniuerso, vt aduertit libr. 7. q. 1.) Probat primò, quia idem simul ferret, & ferretur secundum eandem lationem; alterabit, & alterabitur; quare docebit, & docebitur simul; & sanabit, & sanabitur secundum eandem sanitatem. Secundò probat, quia, cum id, quòd mouetur, sit in potentia (Motus enim est actus entis in potentia) & quòd mouet, sit in actu; si idem (motu vniuerso) simul esset motum, & mouens, idem respectu eiusdem simul esset in potentia, & actus; quòd est implicatio. Ex eisdem inconuenientijs docet, neque totum mouere partem, neque partem mouere totum; & sic colligit, id, quòd se ipsum mouet, mouere se quarto modo, ita ut vna pars alteram moueat. Quòd adhuc trifariam docet posse imaginari. Primò, ita ut vtraque pars vicissim moueat, & moueatur. Secundò, ita ut vna pars moueat, & moueatur, altera verò otiosa

maneat. Tertiò, vt vna pars moueat, & non moueatur; altera verò moueatur, & non moueat. Et excludit primum modum. Tum, quia non daretur primum mouens; nam primum mouens non mouetur ab alio extrinseco motore. Tum, quia idem simul moueret, & moueretur respectu eiusdem; quòd etiam vt falsum est refutatum. Excludit secundum modum. Tum, quia, si vna pars sola moueret, & moueretur, & alia esset otiosa, iam totum non moueretur per se, sed per aliud, scilicet, per partem. Tum etiam, quia sequerentur absurda superius posita. Amplectitur vltimum modum, scilicet, aliquid moueri à se, quia vna pars illius mouet, & non mouetur, & altera pars mouetur, & non mouet: & sic necessarium est (ait) vt id, quòd se ipsum mouet, debeat constare duplici parte, vna mota non mouente, & alia mouente non mota, ni fortè per accidens. Vnde concludens docet, primum motorem non solum esse immobilem ab alio, sed etiam à se ipso: quòd probat hac ratione. In his, quæ mouentur à se, vna pars debet esse mouens, ita ut non moueatur per se, & altera debet esse mota, quæ non mouet; sed pars illa, quæ mouet, & non mouetur, appellatur primum mouens: ergo primum mouens, etiam in his, quæ mouentur à se, debet esse immobile per se; sicuti in animali anima, quæ est primum mouens, est immobilis per se: solum enim moueri potest ex accidenti ad motum corporis.

In sexto capite ex perpetua motuum serie ostendit esse in motu vniuerso motorem, perpetuum, & immobilem. Quatuor igitur probat in hoc capite Aristoteles. Primum, *mouens primum esse æternum*: secundum, *esse vnum*: tertium, *esse omnis motus expers*: quartum, *aliquid esse mobile, quòd semper, & perpetuò mouetur*. Primum probat duabus rationibus. Prima, motus est æternus (ex supra dictis) ergo & primum mouens: nam impossibile est, dari motum, sine mouente, siue hoc mouens primum vnum sit, siue plura, siue alia mouentia æterna habeantur, siue non. Vt conficiat secundam rationem, duo supponit. Primum, omne illud, quòd aliquando est, & aliquando non est, habet causam, quare aliquando est, & aliquando non est. Secundum, quòd licet omne mouens se ipsum sit diuisibile in partem per se motam, & partem per se mouentem; non tamen oportet, quòd omne mouens sit diuisibile; sed posse esse aliquod mouens indiuisibile. His suppositis sic conficit rationem: generationes, & corruptiones sunt perpetuæ, & absque intermissione: ergo ponendum est vnum primum mouens supremum, & per-

& perpetuum. Patet consequentia: quia huius incessabilis successione mutationum assignanda est aliqua causa, quæ hanc feriem mutationum continuam, & indefatigabilem faciat: hæc non potest esse aliquod mouens ex particularibus; neque omnia particularia simul; quia modo sunt, & modo non sunt: ergo aliquod mouens superius immobile, & perpetuum: secundum probat alijs duabus rationibus. Prima, si essent plures motores primo, vel essent infiniti, vel finiti: non infiniti, quia natura abhorret infinitum; si autem sunt finiti, vnus tantum erit; nam frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: vnus autem primus motor, cum sit virtutis infinitæ, efficere valet, quidquid plures primi motores præstare possunt; præsertim cum plura prima esse non possint. Secunda ratio, primus motus, qualis est cælestis, est vnus & continuus: sed vnus motus continuus non potest esse ab alio, & alio motore: ergo sicuti vnus est primus motus, vnus erit etiam primus motor. Tertium probat duabus rationibus. Prima, si primus motor non esset immobilis, vel moueretur à se ipso per se, vel per accidens; nam ab alio moueri non potest; nam eo ipso non esset primus motor: sed neque per se, neque per accidens à se mouetur: ergo est omnino immobilis. Minor probatur: nam ea, quæ per se, & ex accidenti se mouent, non habent motum æternum; vt patet in animalibus, quæ se ipsa mouent per animam per se, & etiam ex accidenti, in quantum anima mouetur ad motum corporis: sed primus motor efficit motum æternum: ergo carere debet omni motu, tam per se, quam ex accidenti. Sed obijcit contra hæc; orbis planetarum mouentur ex accidenti motu violento, & tamen perpetuò mouentur: ergo falsò dictum est, ea, quæ ex accidenti mouentur, non posse perpetuò, & ab æterno moueri. Respondet, bifariam posse aliqua moueri ex accidenti; vel quia mouentur ab aliquo externo, vt orbis planetarum in motu violento: & huiusmodi possunt ab æterno moueri: vel quia mouentur ab aliquo interno; vt in animalibus anima, quæ ex accidenti mouetur ad motum corporis: & huiusmodi non possunt motu æterno moueri. Secunda ratio; totum vniuersum semper est in eodem statu: neque enim oritur; aut interit; aut mutat locum, nisi secundum partes: sed si primus motor esset mobilis, totum vniuersum mutaretur: ergo primus motor est immobilis. Quartum denique, scilicet, id, quod primo mouetur à primo motore, esse quoque vnum, & æternum, duplici ratione probat. Prima, quia aliquod est mouens perpetuum, & immobile: ergo aliquod est semper motum; quia mo-

bi-

bile debet proportionari suo motori in duratione. Secunda, generationes, & corruptiones fiunt perpetuò in istis inferioribus; & hoc diuersimodè: sed hoc non potest esse à motore immobili: ergo præter motorem immobilem necesse est esse mobile semper motum, virtute cuius agentia, vt sunt astra, applicentur diuersis temporibus ad faciendos diuersos effectus. Et quod hoc non possit prouenire à motore immobili, patet; quia semper mouens immobile natum est eodè modo agere; ideo ab ipso non possunt immediatè prouenire diuersi, & oppositi effectus. Demum in fine capitis colligit ex dictis, in tota rerum vniuersitate dari aliqua, quæ semper mouentur; vt corpora cælestia; & aliquid, quod nunquam mouetur, licet semper moueat; vt primus motor, & aliqua, quæ interdum mouentur, & interdum quiescunt: vt hæc inferiora, quæ à primo motore mediantibus corporibus cælestibus mouentur.

Accedendo ad tertiam partem, vt explicet Aristoteles, quoniam motus sit perpetuus, & consequenter primus, in septimo capite proponit tres species motus, scilicet, motum ad quantitatem, qui dicitur augmentatio; & motum ad qualitatem, qui dicitur alteratio; & motum ad *ubi*, qui dicitur latio, seu motus localis. Deinde docet, impossibile esse, augmentationem esse primum, & consequenter perpetuum motum: quod probat, quia ille motus non est primus, quem necessariò præcedit alius motus: sed augmentationem necessariò præcedit alius motus: ergo, &c. Minor probatur, nam impossibile est, augmentationem esse, quin præcedat alteratio, per quam alimentum quod in principio est dissimile, & contrarium, in fine efficiatur simile. Idem demonstrat de alteratione: nam ad alterationem præcedit motus localis, quo passum approximatur agenti; quod ipsum debet alterare. Hinc infert, lationem esse omnium primum motum; & consequenter perpetuum, cum semper detur. Quod probat ex sententia antiquorum Philosophorum, qui raritatem, & densitatem omnium qualitatum principia faciebant; & densitatem per congregationem, raritatem verò per disgregationem partium fieri arbitrabantur; eisdemque generationem rerum, & interitum consistere aiebant: nam, cum congregatio, & disgregatio partium absque latatione non detur, patet, eos motui locali primum locum dedisse. Vt autem aperiat, qua ratione motus localis omnium motuum primus sit, proponit tres modos prioris, videlicet prius natura, tempore, & dignitate. Dicitur prius natura id, sine quo aliud esse non potest, ipsum verò sine eo esse potest. Prius tempore, quod tempore præexistit. Prius dignitate, quod excellentiore cõtinet naturam.

Sta:

Statuit motum localem tribus his modis priorem esse alijs motibus. Quod natura prior sit, inde probat, quia latio esse potest absque alijs motibus, non tamen è contra. Assumptum probat, quia latio potest perpetuò continuari: quod nulli ex alijs motibus convenire potest: quod sic ostendit, ex supradictis constat oportere dare semper in rerum natura vnum quendam motum, is autem, vel continuus erit, aut deinceps: cumque magis conveniat esse continuum (siquidem hic est magis vnus, & natura semper fecit optimum, quod potest) & præterea sola latio possit perpetuè continuari (vt ex dicendis patebit) sit, vt istantum motus re ipsa perennem continuitatem obseruet; & consequenter semper detur: atque adeo, vt prior natura sit reliquis motibus. Quod latio cæteros motus tempore antecedit, ex eo suadet; quia æternū prius tempore est, quàm non æternum: sola verò latio, quæ cælestibus sphaeris conuenit, æterna est; cæteri vero motus, vt qui rebus caducis insint, æterni esse nequeunt. Sed quia quis opponere posset in rebus, quæ oriūtur, generationē omniū mutationū primā esse, motumque localē postremū, maximè si id, quod gignitur animal sit; id enim priusquàm localiter moueatur, generari, alterari, & accrescere necessariū est: occurrit Aristot. etsi motus localis comparatus ad aliquā rē sit posterior, quàm generatio illius rei; tamē simpliciter, & absolutè esse priorem reliquis motibus; propterea quod necesse sit existere in rerū natura, causam quandā vniuersalem, quæ loco moueatur, & ad rerū omnium generationes concurrat, nēpe cœlū. Itē quia ipsam rem genitā antecedit generās, quod iam antea locales mutationes subierat. Probat insuper generationem non posse esse omnium motuum primū, quia oporteret, vt omne quod mouetur, esset corruptibile: quod quàm falsum sit, apparet in cælestibus sphaeris. Assumptum probat; nam oporteret, omne mobile antequàm moueretur localiter, gigni: quidquid autē gignitur, corruptibile est. Demū lationē cæteros motus dignitate antecedere, conuincit. Primò, quia natura progreditur ab imperfectioribus ad perfectiora: ergo id, quod generationis ordine postremū est, perfectione, & dignitate primū erit: constat autem rebus, quæ gignuntur, motus ad locum vltimò conuenire: & exemplificat in animalibus. Secūdò, quia inter motus sola latio est, quæ minimè subiectū dimouet à naturæ suæ statu, etenim neque quātitatem mutat, vt accretio, neque qualitatem, vt alteratio; neque substantiam, vt generatio, & corruptio. Tertio, quia ille motus cæteris præcellit, quo maximè propriè res à se moueri dicitur, hoc autem est motus localis; nā accretio fit etiā ab alimēto, alteratio sæpe lationē prærequirit; latio verò absque

alterius adminiculo administratur. Inuestigaturus sequentibus capitibus, quisnam motus inter locales primus sit, ostendit, nullum motum præter localem potuisse ex æternitate continuari; nam cæteri motus versantur inter opposita; vt ortus, & interitus inter esse, & non esse; accretio, & diminutio inter minorem, & maiorem quantitatem; alteratio inter qualitates contrarias: sed inter terminos oppositos est finita distantia; & cum peruenitur ad vnum, vt regrediatur ad alterum, quies intercipitur: ergo præter motum localem nullus alius motus potest ex æternitate continuari. Tandem soluit quasdam tacitas obiectiones. Primò dicere quis poterat, ortus, & interitus non sunt inter contraria; & tamen non possunt continuari: ergo ratio, cur motus nō possunt continuari, non est, quia versantur inter contraria. Respondet, motus non ex eo præcisè non continuari; quia versantur inter contraria; sed ex eo etiam, quod fiunt inter ea, quæ simul eidem conuenire non possunt. Secūdò obijcere quis poterat, mutatio non interruptitur, nisi mobile quiescat in termino mutationis: sed generatio, si interruptitur, interrupti debet, per corruptionem; & tamen in instanti interruptionis non quiescit genitum, quia tunc non est; & quando non est, non quiescit: ergo nihil prohibet, generationem, & corruptionem perpetuari, & continuari. Respondet, quod ad interruptionem motus non oportet, mobile quiescere in termino motus; sed sufficit, quod non moueatur; quia si non mouetur, postquam mouebatur, motus nō est continuus. Tertio obijcere quis poterat vnum tantum vni contrariatur: sed motus contrariatur motui: ergo non quieti. Respondet, nihil esse incommodi, vni duo aduersari, alia tamen, & alia ratione: quomodo æquale aduersatur excellenti, & ei, quod excellitur; illi, quatenus ab eo superatur; huic, quatenus superat: sic ergo motus diuersa oppositionis specie alteri motui, & quieti repugnat, videlicet, motui contrariè, quieti priuatiuè. In fine capituli speciali quadam ratione probat, generationem, & corruptionem non posse continuari; quia, si ita esset, sequeretur, oportere, vt statim ac res gignitur, corrumpere: quod fieri non potest: alias nulla res permaneret per tempus; siquidem per generationem res producit in esse, & per corruptionem res mutatur de esse ad non esse: & consequenter, si generatio, & corruptio continuarentur, & è contra, sequeretur, quando res est, ipsam non esse, & consequenter non manere per tempus.

In octauo capite ostendit, nullū motū localē (circulari excepto) simul cōtinuū, & sempiternū esse posse, hoc discursu. Omnis motus localis, aut est rectus, aut circularis, aut ex vtroque mistus:



sed neque rectus, neque mistus potest infinitam habere cōtinuitatem: ergo soli lationi, quæ in orbem fit, id competere poterit. Minorem probat, quia nulla datur magnitudo infinita: (vt ex tertio libro constat) motus autem rectus, & consequenter mistus, vt infinitus sit, infinitam exposcit magnitudinem. Vnde fit, vt nequeat aliquis ex his motibus perpetuus esse, nisi mobile retrocedat: si autem mobile retrocedat, motus non possunt esse continui. Quod probat primò sic. Motus contrarij non sunt vnus motus continuus: sed motus reflexi sunt contrarij: ergo, &c. Probat minorem, tum, quia motus reflexi sunt ad loca contraria, vt si vnus est sursum, alius est deorsum; si vnus antrorsus, alius retrorsum. Tum etiã, quia proprietates contrariorum est, quòd sint sibi inuicem corruptiua: motus autem reflexi se inuicem corrumpunt; vt si Socrates, & Plato moueantur contra se inuicem super eandem lineam, vterque facit alterum quiescere, aut vnus repellit reliquum. Secundò sic probat: illi motus non sunt continui, inter quos necessariò cadit quies media: sed inter motus reflexos necessariò cadit quies media: ergo, &c. Ad probandum istã minorem, duas præmittit suppositiones. Prima est, quòd in motu tria sunt consideranda, scilicet, principium, medium, & finis: & licet medium sit vnum, tamen in comparatione potest dici duo; nam comparatum ad finem potest dici principium; & comparatum ad principium potest dici finis. Secunda est, quòd mobile potest dici esse in principio, medio, aut fine spatij, super quod mouetur, dupliciter, scilicet, actu, vel potentia. Tunc dicitur esse actu, quando est adæquatè per tempus diuisibile, ita quòd in illo quiescat. Tunc verò dicitur esse in potentia, quando in illo non manet per tempus; vt si aliquod mobile moueatur continuè per aliquod spatium, tunc dicitur, quòd in nullo signo illius spatij mobile sit actu, sed in potentia tantum. His præmissis probat supra allatam minorem, scilicet, inter motus reflexos necessariò cadere quietem mediam, hoc discursu. In illo signo spatij mobile quiescit, in quo ipsum est adæquatè in actu per tempus: sed in termino reflexionis mobile est adæquatè in actu per tempus: ergo in termino reflexionis mobile quiescit. Probatur minor; nam si in termino reflexionis mobile non esset adæquatè in actu per tempus, sed potius moueretur, vel moueretur motu priori, vel posteriori: non priori; quia in termino reflexionis mobile non dicitur moueri motu priori; sed mutatum esse, neque posteriori; quia nondum prædicto motu mobile dicitur moueri: & sic quies est actu principium motus posterioris, & finis prioris motus. Sed contra istam rationem ponit ali-

quas

quas obiectiones. Prima est; si mobile ad idem spatij punctum simul adesse, & abesse non posset, sequeretur, duorum mobilium æquæ velocitatis, quæ in principio duarum æqualium linearum constituta essent, alterum prius ad lineæ metam, quàm alterum peruenire posse: quòd apertè est falsum. Probatur sequela hoc discursu. Sit linea *ABC*, cuius medietas sit *BC*, designeturque alia linea *DE* æqualis medietati prioris, scilicet, *BC*; tunc moueatur mobile *F* motu continuo super totam lineam *ABC*, in instanti autem, in quo venerit ad punctum *B*, incipiat moueri mobile *G*. super lineam *DE*, quòd sit æquæ velocitatis cum mobili *F*: tunc mobile *G*. prius veniet ad punctum *E*, quàm mobile *F*. ad punctum *C*: quia, cum mobile *G*. discedat a puncto in eodem temporis puncto, in quo mobile *F*. venit ad punctum *B*, & mobile *F*. (vt ais) non possit simul inde abscedere, sequitur mobile *G*. prius discedere a puncto, quòd est principium suæ lineæ, quàm mobile *F*. discedat a puncto *B*: ac proinde citius venire ad punctum, qui est terminus suæ lineæ. Huic dubitationi respondet Aristot. non eandem esse rationem de puncto, quòd est medium lineæ supra quam mobile continuè mouetur, ac de puncto reflexionis: etenim punctum, quòd est in medio, non est actu finis, nec principium, sed potestate dumtaxat: at verò punctum reflexionis actu est finis vnus motus, & principium alterius; idèdque dicendum non est, mobile momento tantum in eo fuisse; sicut in puncto, quòd est medium lineæ, supra quam mobile continuè mouetur, sed ad illud peruenisse, deinde abcessisse; atque adèd inter eum abcessum, & accessum interiecta quiete a motu aliquando cessasse. Secunda dubitatio est desumpta ex Zenone, qui ponebat, impossibile esse aliquod spatium pertransiri, quia cum in quolibet spatio sint infinita media motu percurrenda, oporteret, infinitum finito tempore mensurari. Huic dubitationi iam responderat Aristoteles in sexto nihil mirum, si infinita dimidia spatij finito tempore conficiantur; cum in ipso etiam tempore finito inueniantur infinita dimidia dimidijs spatij se adæquantia. Tamen in hoc capite aduertit, hanc responsionem, etsi ad disputantem satis fuerit; nihilominus ad rem ipsam, & veritatem non omninò satisfacere: cum adhuc omillã magnitudine spatij, super quam fit motus, supersit explicandum, quonam pacto infinitæ partes temporis intra finitæ durationis terminos pertranscant. Vnde eam nunc adhibet responsionem, quæ ad rei naturam simpliciter accommodata sit, & quæ cum ijs, quæ

proximè dicta sunt, cohæreat. Traditum est enim puncta in media magnitudine potestate dumtaxat, non actu esse. Hoc ipsum ait de partibus magnitudinem integrantibus affirmari posse, videlicet, potestate tantum, & non actu plures, & infinitas esse; ac per consequens, querenti, num infinitæ partes temporis, seu magnitudinis pertransiri possint? respondendum esse, partim posse, & partim non posse. Si enim actu infinitæ sint, non poterunt pertransiri; quia repugnat infinitum in actu pertransiri: at si tantum sint infinitæ potestate, quomodo sunt in continuo, nihil ob stare, quominus percurrantur: percurrantur enim tunc ex accidenti, id est, ratione totius, & per modum vnus. Tertia dubitatio est, quia si instans medium inter partes esset finis partis prioris, & initium posterioris, sequeretur, quod res, quæ accipit esse post non esse, aut è contra, quæ accipit non esse post esse, in eodem instanti simul esset, & non esset, quod est cōtradiçtio. Sequela probatur accipiendo totum tempus per quod aliquid est, & totum tempus, per quod aliquid non est. Tunc enim probatur, quod in instanti medio istorum temporum res, quæ accipit esse post non esse; aut è contra, simul sit, & non sit, hoc discursu. Quod est per aliquod tempus, est per quodlibet illius temporis: sed res, quæ accipit esse post nō esse, est per tēpus, in quo accipit esse, cuius instās initiatiuum est aliquid illius temporis: ergo est in illo instanti. Et per simile argumentum probatur, quod in illo instanti non sit; nam, quod in aliquo tempore non est, non est in quolibet illius temporis: sed instans datum est aliquid illius temporis, scilicet, finis: igitur in illo instanti non est. Soluit hanc dubitationem ex mente antiquorum, qui dicebant, illud assumptum, *quod est per aliquod tempus, est per quodlibet illius temporis*, non esse verum, nisi in ultimo instanti illius temporis, quod est illius initiatiuum, aut terminatiuum. Qua non admittit soluit hanc dubitationem ex propria sententia, quæ stat in hoc, quod vltimum instans est attribuendum posteriori passioni, v. gr. si capiatur totum tempus, per quod aliqua res non fuit, & postea totum tempus, per quod aliqua res fuit, in illo instanti medio illa res habet esse, & est primum instans sui esse. Sed si contra capiatur primò tempus, per quod aliqua res est, & postea tempus, per quod ipsa res non est; tunc in illo instanti medio res illa non est; quia non est dare vltimum instans esse rei, sed primum instans sui non esse. Ex quo infert, quod tempus, per quod aliqua res fiebat, & facta est, non est maius, quam tempus, per quod fiebat tantum; quia solum per additionem instantis tempus non est maius.

Re-

Regreditur iterum Aristot. ad probandum per rationes logicas, (id est, probabiles) quod necessario inter motus reflexos cadit quies media. Primò, quia si inter motus reflexos non esset quies media, sequeretur, quod motus naturalis, & violentus essent vnus motus, quod est impossibile. Sequela probatur; quia si aliquid moueatur motu naturali sursum, & reflectatur deorsum, motus iste deorsum crit illi violentus: ergo si non datur quies media in puncto reflexionis motus naturalis, & violentus erunt continui, & consequenter vnus motus. Item sequeretur, quod aliquid moueretur ex termino, in quo non esset: quod etiam est impossibile: sequela probatur, quia à termino reflexionis incipit mobile moueri motu, & tamen in termino reflexionis (si motus reflexi essent continui) mobile non esset actu, sed potentia tantum. Secundò, quia non potest fieri vnus motus continuus ex illis motibus, cum quorum vno stat quies totius speciei alterius: sed cum vno ex motibus reflexionis stat quies totius speciei alterius: ergo, &c. Minor patet; nam, cum motu deorsum stat quies ab omni motu sursum. Tertio, quia non posset fieri reflexio eiusdem mobilis de generatione ad corruptionem; & è contra: quia, si ita esset, sequeretur, quod idem mobile simul esset, & non esset, quod est implicatio. Sequela patet; quia quando aliquid generatur, ipsum est; & quando aliquid corrumpitur, ipsum non est: ergo si continuo generatur, & corrumpitur, sequitur, quod continuo est, & non est. Et demum vltimò, quia impossibile est, quod motuum reflexorum vltima sint vnum: igitur impossibile est, quod motus reflexi ad inuicem continuentur: consequentia tenet per definitionem continuorum, *continua sunt, quorum vltima sunt vnum*: antecedens probatur; quia non est possibile, quod idem sit vltimum contrariorum, vt albedinis, & nigredinis.

In nono capite docet, posse motum circularem esse continuum, & perpetuum; nam ex infinita (inquit) continuatione motus, qui in orbem fit, ab eodem ad idem punctum redeundo, nullum existit incommodum: non enim sequeretur ex eodem contrarijs motibus simul agitari; aut motum continuum ex contrarijs, & specie differentibus componi: siquidem nō omnis motus, quo itur ad aliquē terminū, cōtrarius est ei, qui ab eodē inchoatur termino; licet in motu, qui fit super lineam rectam, qua maximā locorū distantiā metimur, ita res habeat. Subdit duas alias rationes, cur potius motus circularis, quā ceteri motus, cōtinuitatē sortiri queat. Vna est, quia, quod in orbē agitur, vnam,

& cōtinuam lineam perpetuò decurrit, neque ab vno extremo ad aliud progreditur. Vndè euenit, vt in reflexu hærere, aut moram facere non oporteat. Alia est, quia in motu circulari recursus à puncto ad idem punctum nō fit in eisdem, hoc est, per eandem lineam partem. Ex quibus colligit, in semicirculo, neque in alia circuli portione posse motum perpetuò continuari: quādoquidē in nulla parte circuli principium, & finis coeunt: ac proinde in nullo ab eodem ad idem nisi per idem spatium reditio est. Et hinc sequitur, tales motus esse cōtrarios; neque ex eis posse vnum motum coalescere. Et idem colligit, & propter eandem rationes de alijs motibus à localibus, vt de alterationibus; de augmentatione, & decretionē; de generatione, & interitu. Et ex dictis (inquit) confutatus manet error Heracliti, & Cratyli, & aliorum, qui omnia in continuo fluxu versari aiebant; nam, cū ostensum sit, nullum motum, excepto circulari, perpetuari posse, liquet non continenter res fluere, alterationemvè subire; in qua illi rerum ortum, & interitum collocabant. Secundò docet, conuersionem omnium lationum primam esse, quod hoc discursu demonstrat: omnis latio, aut circularis est, aut recta, aut ex his mista: sed hæc est posterior illis duabus; quia omne compositum est posterius simplici. Item recta est posterior circulari: ergo circularis est omnium prima. Porro lationem rectam esse posteriorem circulari, pluribus demonstrat. Primò, quia circularis est magis simplex, & perfecta, quàm recta; siquidem recta non potest esse infinita; quia nō datur linea recta infinita, super quam fiat: imò etsi daretur, adhuc non posset dari latio recta infinita; nā infinitū in actu non potest pertransiri. Vndè vt latio recta infinita sit, opus est, vt mobile retrocedat; & tunc latio recta non erit simplex, sed composita, nec vnus motus, sed plures; quòd si non retrocedat, euanescet quidem motus, ac certo limite concludetur. Constat autem perfectum imperfecto; & quod interire non potest, eo quod potest interire, prius esse natura, definitione, & tempore. Secundò demonstrat, quia latio, quæ potest in infinitum perpetuari, perfectior est, & consequenter prior illa, quæ in infinitum perpetuari nō potest: sed latio circularis in infinitum perpetuari potest; secus vero recta: ergo latio circularis prior est, quàm recta. Cur autem latio recta non possit in infinitum perpetuari, benè tamen circularis, hanc causam assignat, nimirum; quia in recta linea, super quam recta latio exercetur, distincta, & determinata sunt principium, medium, & finis; cū in ea detur actu principium, vndè motus incipit; & finis, in quem desinit: in circulo autem nequaquam id accidit; cū nullum eius punctum

finis

finis magis, quàm medijs aut principijs rationem obtineat. Vnde est, quòd sphaera moueri simul, & quodam modo quiescere dicitur: moueri, quia reuera circumagitur: quiescere, quia totum locum, siue spatium non mutat, sed voluitur circa centrum, quod fixum, immobileque est; & principijs, medijs, ac finis vicem sortitur; principijs, quatenus ab eo omnes æquales lineæ ad circumferentiam ducuntur; medijs, prout æqua distantia à peripheria disiunguntur; finis, prout omnes in eo lineæ terminantur. Tertio demonstrat, quia motus circularis est mensura omnium aliorum motuum: & in mensurabilibus illud est primum, quod est mensura aliorum: & è contra illud est mensura, quod est primum. Quarto demonstrat, quia inter omnes motus locales solus circularis est vniformis: quod maiorem perfectionem, & consequenter maiorem prioritatem arguit. Quintò idem ostendit testimonijs veterum Philosophorum; nam quicumque in constituentis rerum naturalium principijs aliquid de motu tradiderunt, Principem locum lationi assignarunt: quod probat inductione. Nam Empedocles posuit prima mouentia esse litem, & amicitiam, quorum primos motus dixit esse congregationem, & segregationem. Anaxagoras posuit, mentem esse primam mouens, quam etiam dicebat mouere congregando, & disgregando. Democritus affirmabat sua illa insectibilia corpuscula huc, illuc, concursione, & dissipatione per inane ferri, nec vllum alium motum subire præter localem: etsi quæ ex eis cōcrescebant, cæteris quoque mutationibus obnoxia forent. Thales, & alij elementa vnum, aut medium quidpiam inter elementa principium esse existimarunt: cū rerum ortus, & interitus densitati, & raritati attribuisent; & hæc fieri per intensiōem, & secretiōem affirmarent, cōstat etiam primas lationi dedisse. Quod fecit etiam Plato, dum animam se ipsam mouentem, cæteraque omnia agitantem inuexit. Et demum sextò idem confirmat ex communi modo loquendi; nam illud, quod localiter mouetur, dicimus simpliciter moueri, etiam si ab alijs motibus quiescat: & è contra illud, quod non mouetur localiter, dicimus simpliciter, & absolute quiescere, etiam si alteretur, augeat, aut minuatur: quod non contingeret, si inter motus latio primas non obtineret.

Accedendo ad quartam partem, in decimo, & vltimo capite, vt doceat Aristot. primum motorem esse incorporeum, seu magnitudinis expertem, aliqua theoremata præsupponit. Primum est, *virtus finita non potest mouere magnitudinem finitam tempore infinito*. Probat discursu, qui (omnibus litteris) sic efformari potest. Si aliqua virtus moueret, v. gr. pondus quatuor librarum tem-

pore infinito, certè quarta eius pars moueret pondus vnus libræ in parte temporis minori; atque adeò tempore finito. Itèque dimidium illius virtutis moueret medietatem prædicti ponderis tempore duplo maiori, atque adeò tota virtus in vnum collecta moueret totum pondus tempore quadruplo maiori: cum ergo tempus quadruplo maius alio tempore finito necessariò finitum sit, consequens est, vt virtus finita mouere non possit magnitudinem finitam tempore infinito. Secundum theorema est, *in magnitudine finita non potest esse virtus infinita*. Vt hoc ostendat, aliqua supponit. Primum est, maiorem virtutem minori tempore idem efficere, quod in maiori minor. Secundum est, virtutem infinitam maiorem esse quamcumque virtute finita. Tertium est, omnem motum esse in tempore, nec contingere posse, quòd aliquis motus sit in instanti. His suppositis sic probat assumptum. Si in magnitudine finita esset virtus infinita, moueret illam in instanti: consequens est impossibile, & contra tertium suppositum: ergo & antecedens: sequelam probat; quia si hæc infinita virtus ad mouendum magnitudinem finitam, in qua est, tempus exigeret, sequeretur, posse finitam, & infinitam virtutem æquali tempore mouere, quod est contra primum suppositum. Sequela patet; quia cum tam tempus, quo virtus infinita mouet, quam tempus, quo mouet virtus finita, sint finita, nihil ob stare poterit, quin per accretionem virtutis finitæ ita tempus, quo mouet virtus finita minuatur, vt adæquet in paruitate tempus, quo mouet virtus infinita. Tertium theorema est, *in magnitudine infinita non potest inesse finita virtus*. Probat primò. Virtus magnitudinis infinitæ exuperat quamcumque virtutem finitam: ergo necessariò est infinita. Assumptum probat, quia licet non semper virtus ex æquo respondeat mobili, & in parua magnitudine magnæ interdum vires insint; vt in seminibus, alijsque id genus; tamen in mole infinita, infinitas vires esse oportet. Secundò probat; aliqua pars illius infinitæ magnitudinis pollet virtute ad mouendum aliquanto tempore: maior autem pars, cum maiores vires possideat, minus consumet temporis: ergo tota moles infinita nihil temporis consumet: & ex consequenti infinitam virtutem motricem obtinebit. Tertio probat, quia si in magnitudine infinita inesset finita virtus, posset optimè metiri à virtute alia finita eiusdè rationis existente in magnitudine finita: & consequenter posset etiam magnitudo illa infinita mensurari ab ea, quæ finita est; cum non sit maior ratio de magnitudinibus, quam de virtutibus. Interferit dubitationem quamdam, scilicet, à quo proiecta moueantur post separationem à proiiciente? non enim (inquit) satisfaciunt, qui dicunt.

dicunt moueri ab aère tergum vergente, hærebit namque eadem rursus quæstio, qua ratione aër ille proximus nullo tangente moueatur? Huic dubitationi respondet, proiecta post separationem à proiiciente moueri à medio, hoc modo. Proiiciens cum pellit proiectum, simul pellit aërem, cui imprimit quamdam virtutem motiuam proiecti; & ille aër mouet alium aërem, & iste alterum; & sic consequutiue, donec grauitas naturalis proiecti sit potentior ad mouendum deorsum, quam virtus motiua aëris ad aliter mouendum. Ex quo infert, motum proiecti non esse vnum; quia ad vnitatem motus requiritur vnitatis motoris; & in motu projectorum aër mouens continuè est alius, & alius: simulque corrigit illorum sententiam, qui dicebant; proiecta post separationem à proiiciente moueri per antiparistatim, hoc est, à corpore circumstante, quod, ne detur vacuum, in locum succedit illius, quod pellitur; dicēs, etsi in motu projectorum antiparistatis interueniat; nõ solum hanc esse causam motus projectorum; sed eam etiam, quam nuper assignauerat; quia in prædicta antiparistasi cuncta simul mouent, & mouentur, hoc est, tam partes aëris, per quas sagitta defertur, quam ipsa sagitta. Deinde docet, primum mouens, vnum & idem existens mouere semper. Et probat ex eo, quòd primum motus est vnus continuus, & perpetuus: quod euenire non posset absque vnitatis, & perpetuitate primi motoris. Similiter docet, primum mouens esse immobile. Et probat, tum, quia si moueretur ab alio, potius illud aliud esset primum mouens. Tum etiam, quia si moueretur ab alio, aliter se haberet nunc, quam prius: & consequenter eius motus non esset vniformis, quod est falsum. Docet præterea, primum mouens esse in circumferentia primi mobilis; quia primum mouens oportet collocari, vbi est velocior motus: & manifestum est, in circumferentia primi mobilis motum esse velociorem. Demum ex dictis colligit præcipuum huius capituli institutum, scilicet, motorem primum omnis materiæ, & magnitudinis esse expertem. Argumētatur enim in hunc modum. Si primus motor magnitudinem haberet, vel hæc esset infinita, vel finita: non infinita, quia (vt libro 3. visum est) non datur infinita magnitudo: sed neque finita; quia primus motor, cum mouerit tempore infinito, pollet infinita virtute: in magnitudine autem finita non potest esse virtus infinita, vt superius demonstratum est: constat ergo motorem primum omnino prorsus magnitudine vacare.

## ANNOTATIONES CIRCA LITTERAM huius libri.

1 **C**IRCA ea, quæ in 4. & 5. capite huius libri docet Aristot. duo discutienda erant. Primum, *an omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse sit?* Secundum, *an grauiæ, & leuiæ moueantur à se ipsis?* Sed quæstiones istas late expendimus libro præcedenti disp. vnica, q. 1. & 2.

2 Circa ea verò, quæ docet Arist. in alijs capitibus, tria disputanda sunt. Prima disputatio erit *de inceptioe mundi.* Secunda, *de motu projectorum.* Tertia, *de primo omnium motore.*

### DISPUTATIO PRIMA.

#### De inceptioe mundi.

**N**OMINE mundi intelligimus totum quoddam quasi artificiale compositum ex diuersis corporibus, videlicet, ex cælo, & ex terra, atque ex eis naturis, quæ inter ipsa continentur. Quem Aristoteles libro de Mundo ad Alexandrum cap. 2. his verbis definit: *Est compages à cælo, terraque coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continentur.* Sunt autem quinque, quæ exagitari oportet circa ipsius inceptioem. Primum, *utrum mundus verè productus sit à Deo?* Secundum, *an productus sit à Deo liberè? an necessariò?* Tertium, *utrum de factò productus fuerit ab æterno?* Quartum, *an saltem potentia absoluta Dei produci potuerit ab æterno?* Quintum, *an sit in æternam duraturus?*

### QVÆSTIO PRIMA.

#### Utrum mundus verè productus sit à Deo?

1 **P**hilosophi antiqui putasse videntur, mundum, saltem quoad primum principium materiale, à nulla causa fuisse productum; sed se ipso naturaliter extitisse. Cum enim principium receptum apud ipsos esset, *ex nihilo nihil fieri*; consequenter inferebant, in assignatione primi subiecti ex quo mundus factus fuit, vel proceden-

dendum esse in infinitum; (quod absurdum reputabant) vel deueniendum esse ad vnum primum subiectum, seu principium materiale, quod à nulla causa fuisset productum, sed potius se ipso naturaliter extitisset. Unde qui ponebant, primum principium materiale rerum naturalium esse vnum, aut aliqua ex elementis, hæc elementa dicebant non fuisse producta ab aliqua causa efficienti, sed se ipsis naturaliter extitisse. Et idem affirmabant, de atomis, qui astruebant, atomos fuisse primum subiectum rerum naturalium. Et de Platone refert Aicinous. libro de doctrina Platonis capite 10. affirmasse mundum quidem factum fuisse, sed ex materia, quæ ante mundum inconcinne, & inordinatè extiterit. Et de quodam hæretico, nomine Hermogenes, refert D. Isidorus libro 8. ethymologiarum capite 1. posuisse materiam mundi improductam; ipsamque appellasse matricem, & Deam elementorum.

2. Quid autem de hac re senserit Aristoteles, non conuenit inter Peripateticos. Henricus quodlib. 8. q. 9. docet, in sententia Aristotelis mundum non solum esse sempiternum, & necessariò habens esse, sed etiam habere esse improductum. Et ipsius fundamentum est, quia contradiceret sibi Philosophus ponendo ex vna parte mundum necessariò habere esse; & si- mul affirmando habere esse causaliter ab alio; nam, quod est causaliter ab alio, ex se esse possibile; cui contradicit necessarium.

3. Sed (vt optimè vidit Scotus in 1. d. 8. q. 5. §. De intentione istorum Philosophorum) quamuis Aristoteles existimauerit, mundum fuisse sempiternum, & necessariò habens esse; non tamen inde inferri debet, mundum ex mente Aristot. fuisse improductum, & nullam habuisse causam; quia nulla est repugnantia in hoc, quod aliquid sit possibile obiectiuè, & quod necessariò habeat esse: (si produciens necessariò producit, vt putauit Aristot. Deum produxisse omnia, quæ omnino immediatè pendent ab eo) nam ad hoc possibile obiectiuum non requiritur, quod realiter posset esse non tale; sed quò ordine naturæ præintel ligatur non tale. Et quòd hæc sit mens Arist. probat Scotus; nam 5. Metaph. cap. de necessariò affirmat Philosophus, nihil prohibere, quorundam necessariorum esse alteras causas: si tamen de ratione causati esset possibilitas repugnans necessitati (sicut arguebat Henricus) contradictio esset alicuius necessarij esse aliquam causam.

4. Similiter Pererius libro 5. cap. 7. affirmat, Aristoteli nunquam venisse in mentem, creationem (quæ est noua rei ex-

nihilò productio) esse possibilem: & consequenter in Philosophi sententia müdum, saltem quoad primum subiectū (quod ipse materiam primam appellauit) fuisse improductū. Assumptum suadet; nam Arist. libro 1. Physic. tex. 33. & 34. commendat commune illud Philosophorum proloquium, *ex nihilo nihil fit*: & tex. 43. ait; *non quodlibet fieri ex quolibet; sed unumquodque ex suo opposito, quod est contrarium, vel priuatio*: & tex. 75. *esse impossibile ex simpliciter non ente aliquid fieri*: & 7. Metaphysic. tex. 22. *omne, quod fit, ex aliquo, & aliquid fieri*. Item, quia quoties Arist. de actione differit, semper ei aliquod subternit subiectū. Vnde 5. Metaph. cap. 12. tex. 17. potētiā actiuam definit sic, *est potentia transformandi aliud, in quantum aliud*: & de causa efficiēte, cum agit, eam definit per motum; qui indubiè subiectum præiacens requirit. Et denique quia 2. Metaph. cap. 1. tex. 4. ait, *principia eorum, quæ semper sunt* (id est, materiam, & formam corporum cælestium) *non habere causam*. Idem, ac Pererius fenserūt ex Peripateticis antiquis Eudemius, & Alexander relati à Simplicio ad initiū huius operis; & ipsemet Simplicius hoc in libro ad textum 6. in digressionē contra Philosophū; Gregorius Ariminensis in 2. d. 1. quæst. 1. Marsilius quæst. 1. art. 2. & alij.

5 Sed magis placet, quod sustinent reliqui Peripatetici: Scotus in 1. d. 8. q. 5. & in 2. d. 1. q. 2. & quodlib. 7. D. Tho. in hoc lib. ad textum 4. Aui-cena 9. Metaph. cap. 4. & alij plures, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses hic cap. 2. q. 2. nimirum Aristotelem cognouisse creationem; non eam, quam vocant cum nouitate ellendi; quæ, scilicet, Deus à primis mundi originibus res produxit; sed qua ex æternitate (vt ipse putabat) vniuersum condidit. Et omissis locis Aristotelis, quæ adducuntur à Scoto quodlib. 7. §. *Secundum, scilicet, quod Aristot.* ad probandum intelligentias ex mente Arist. non esse infinitas intensiue; & consequenter, neque habere esse à se; sed productum à Deo, non aliter, quam ex nihilo, & per creationem; adduci possunt alia loca Philosophi ad hoc suadendum. In primis 2. Reticorum cap. 23. asserit dæmones esse opus Dei: quod aliter contingere non potuit, quam per creationem: & 2. Metaph. capite 1. tex. 4. docet, primā causam esse cæteris causam, vt sint: & eodem libro capite 2. probat Aristot. non dari in causis agētibz progressum in infinitum; sed tandem perueniendum ad vnam omnium rerum effectricem causam, scilicet, Deum. Item 12. Metaph. cap. 7. tex. 38. ait, cælū, & naturam pēdere à Deo: & cap. 8. tex.

tex. 43. Deum absolutè principium, primamque causam vocat: & 2. de generatione capite 10. tex. 58. ait, Deum vniuersum omnibus suis numeris eleganter perfecisse, verā æternitatem his, quæ habere illam poterant, impartiendo. Et in libro de mundo ad Alexandrum cap. 7. sic ait: *Verus sermo est, à maioribusque proditus inter omnes homines, vniuersa, tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata, nullamque creaturam ad salutem satis in se habuisse posse, quæ circa Dei presidium suæ ipsa tutelæ permissa sit: etenim cunctorū, quæ rerum natura complectitur, cōseruator est Deus: tum verò, quæcumque in hoc mundo, quoquo modo perficiuntur; eorum enim genitor est*. Ex quibus sanè locis deduci videtur, non latuisse Aristotelem rerum creationem; Deūque mundi efficiētē causam esse. Quibus accedit, quòd, cū Aristoteles conatus fuerit totis viribus ostendere, mundum fuisse ab æterno, nullo medio efficaciori vti posset, quam assumere, mundum non potuisse produci ex nihilo, seu creari; quia si mundus non erat productus, debebat omninò esse ab æterno: & tamen nusquam hoc medio vfuscit: non ergo putauit mundum esse increatum.

6. Quæ verò pro contraria parte citantur, vnam ferè, eamdemque explicationem habent; nempe loquutum fuisse

Aristotelem de actionibus cōsuetis, & ordinarijs, quæ, scilicet, supposita prima rerum creatione, seu institutione (quæ in sententia Aristotelis fuit à solo Deo, & ab æterno) deinde per causas naturales exercentur in tempore: his enim ex nihilo nihil fit, sed omnes subiectum præexistens deponunt. Vnde Auerroes 1. de cælo capite 3. tex. 20. *Non dixit* (inquit) *Aristoteles, non esse cælum generabile absolutè, sed hoc modo, quem vulgò dicimus, scilicet, è contrario, & subiecto præexistente*. Porro consuevit Aristot. potētiā actiuæ, & causæ efficientis naturas more Philosophico explicare; non quòd nullam aliam potētiā, causamvè præter physicam esse putauerit; cum 9. Metaph. capite 1. tex. 1. concedat, dari aliam potētiā actiuam præter eam, quæ per motum agit: sed quia alia ex physicis facillè innotescunt. In illo autem loco capituli primi 2. Metaph. non loquitur de principijs incomplexis, & essendi rerum necessariorum; sed de principijs complexis, & cognoscendi conclusiones necessarias: hæc enim sunt verba illius, & non quæ adducuntur ab aduersarijs, *sempiternorum principia verissima esse, necesse est, quia alijs sunt causa veritatis*. Quòd si aliquis velit, hoc extendere ad principia incomplexa, & essendi rerum necessariorum,

seu sempiternarum; eo quòd (vt notauit Scotus in 1. d. 8. q. 5. §. *Contra istam opinionem*, lit. B.) vnumquodque sic se habet ad esse, sicut ad veritatem; dicendum est loqui Aristotelem, nò de principijs intrinsecis, vt sunt materia, & forma; sed de extrinsecis, scilicet, de causa efficiente, & finali sempiternorù, seu necessariorum: hæc enim principia cum sint ipsemet Deus, nullam habent causam. In hoc tamen sententiã tantum abest, vt faueat oppositæ sententiæ, quòd ipsam destruit; cum nihil præter Deum à passiva causalitate excipiat. Vnde ab Scoto loco citato locus iste merito adducitur ad probandum nostram sententiam.

7 Sed quidquid sit de mente Arist. & aliorum antiquorum Philosophorù, veritas catholica est, mundum etiam quoad primum subiectum, quod materiam primam appellamus, fuisse à Deo productum ex nihilo, & per verã creationem. Ita expressè habetur in Scriptura Genesis 1. *In principio creauit Deus calum, & terram*: Machabæorum secundi capite 7. *Peto nate, vt aspicias calum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intellegas, quia ex nihilo fecit illa Deus*: & Ioan. 1. *mundus per ipsum factus*: & in symbolo, *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem factorem celi, & terræ*: & cap. Firmiter de summa Trinitate dicitur, *Deum sua omnipotentia ab*

*initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam; spirituales, & corporales; Angelicam, & humanã.*

8 Nec solum in scriptura habetur hæc veritas; sed etiam ex scriptura habemus, quòd potuit, & debuit hæc veritas naturali lumine sciri. Sapientie 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*: & ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles*. Et D. Aug. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 4. sic ait, *Præter propheticas voces mundus ipse ordinatissima sua mobilitate, & visibilibus omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus se factum esse, & non nisi à Deo fieri potuisse, proclamat*. Imò Arist. fatetur, non solum Philosophos, sed etiam vulgares homines semper existimasse, mundum fuisse factum; nam in hoc libro tex. 1. sic asfatur, *Omnes de natura discentes, mundum faciunt*: & 1. de cælo tex. 102. *mundum genitum esse omnes dicunt*. Nec contradicit sibi Arist. cum in hoc libro tex. 101. dicit, *Omnes esse concordantes in affirmando, tempus esse ingentum, præter Platonem, qui docuit tempus simul cum cælo esse factum*. Nam ibi sumit *ingentum* pro æterno; & *factum* pro eo, quòd est nouum in tempore; vt patet ex alia translatione apud Auerroem; & ex expositione ipsius Auerrois.

9. Et ratio efficax huius veritatis est; quia propria, & essentialis ratio, vel saltem modus intrinsecus Dei est, vt sit ens à se existens, & à nulla causa dependens: ergo si daretur aliud quod aliud ens, quòd esset ens à se existens, & à nulla causa dependens, hoc esset alter Deus: & sic essent plures Dij: quòd lumen naturale abhorret. Præsertim quia ens, quòd aduersarij ponunt existens à se, & à nulla causa dependens, est primum subiectum, quòd materiam primam appellamus; quòd nihil magis distans à Deo potest excogitari: cum Deus sit impassibilis; immutabilis; immobilis, atque actiuus; materia verò prima è contra sit pure passibilis, mutabilis, & omnis alterationis capax.

10 Neque axioma illud, *ex nihilo nihil fit*, quo nitebantur aduersarij, alicuius est momenti; nam intelligendum est de actionibus, quæ proueniunt à causis creatis: non verò de actionibus, quæ prouenire possunt à causa increata, scilicet, à Deo; nam his actionibus aliquid fieri posse ex nihilo, & per veram creationem, negari non potest: cum in hoc nulla appareat difficultas, aut ex parte rei factibilis, aut ex parte potentie actiue. Non ex parte rei factibilis; nam sicut dantur res per se existentes independentes à subiecto; ita prorsus possunt etiam eodem modo

fieri; imò quòd aliter fiant, est implicatio. Nec vilo ex capite apparet, vt res, quæ per se existit independentes à causa subiectiua, debeat etiam a se existere independentes à causa effectiua: sed intelligitur optimè res aliqua dependens à principio effectiua: & nullo modo dependens à principio subiecto. Multò minus est difficultas ex parte causæ actiue, nempe ex parte Dei; Deus enim est infinitæ virtutis, neque ex parte sua indiget vilo adiutorio, vel subiecto ad operandum: sed optimè poterit, si velit, res extrahere ex puro nihil; & consequenter illas creare. Quinimò totus mundus, etiã si esset multò maior, non solum non affert vllam difficultatē diuinæ virtuti; sed est adhuc infinitè inferior potestate diuinæ: & ita comparatur diuinæ potentie Sap. 11. *Tanquam momentum stare; sic est ante te orbis terrarum; & tanquam gutta voris antelucani, quæ descendit in terram*.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum Deus produxerit mundum liberè? an necessario?*

1 **D**VPLICITER potest intelligi, quòd aliquis producat necessario. Primo, quia principium producendi in ipso ex ratione tua formali est determinatum ad vnum: hoc pacto producant necessario suos

suos effectus omnia agēria naturalia; sumpto naturali prout distinguitur, non à supernaturali, sed à libero. Secundò, quia etiā si principium producēdi in ipso ex ratione sua formali non sit determinatum ad vnum; sed potius indifferēs ad plura; & similiter ad producēdum, & non producēdum: tamē ratione aliquarum circumstantiarum ita necessitatur ad producendum, vt productiōnem suspendere, aut inhibere neutiquam valeat: quo pacto Pater, & Filius producant, seu spirant Spiritum Sanctum.

2 Hoc supposito nemo vquam Philosophorum, vsque adeo allucinatus est, vt putarit Deum produxisse mūdum necessariò primo ex his modis: omnes enim affirmarunt, Deū produxisse mūdum per intellectum, & voluntatem: & cōsequenter principium producendi in ipso nō esse ex ratione sua formali determinatum ad vnum, sed potius indifferēs ad plura; & etiā ad producēdum, & non producendum: cum enim modus producēdi per intellectum, & voluntatem sit omnium perfectissimus, nō sunt autē hunc modum producendi primo, & perfectissimo agenti, quale est Deus, denegare. Tum etiā, quia cum in isto mundo tanta ordinis elegantia, & pulchritudo eluceat, planē inferebant, non potuisse hunc mūdum, nisi ex præscrip-

to diuinæ sapientiæ, & diuinæ amoris affectu, atque adeo intellectu, & volūtate illius, procreari.

3 De posteriori verò modo producēdi necessariò nō parua inter eos dissensio fuit. Plures enim existimarunt, Deum produxisse mundum omninò necessariò. Quod his rationibus conati sunt suadere. Prima est; si Deus non produxit mundum necessariò: ergo produxit illū contingenter: qui modus operandi Deo tribui non potest; cum mutabilitatem, & inconstantiam dicat. Secunda; actus, quo Deus voluit producere mundum, est aliqua perfectiō in ipso: sed perfectiōnes Dei conueniunt ei necessariò: ergo, & actus, quo voluit mundum producere. Tertia; in omni differentia entis necessitas est perfectior contingentia: ergo in illa differentia entis, quæ est causa, necessitas est perfectior contingentia: perfectissima ergo causa, qualis est Deus, necessariò, & non contingenter debet causare. Quarta; si Deus causaret necessariò, posset producere possibile, & necessarium: sed causando liberè, rārum potest producere ens contingens: ergo dicendum est, Deum causare necessariò: alias esset causam perfectā; siquidem causalitas eius non se extenderet ad tot effectus, ad quos se extenderet; si causaret necessariò. Quinta; ali-

aliqua causa causat suum effectum necessariò: ergo & prima causa causat necessariò suū causatum. Antecedens patet in multis causis necessarijs, seu naturalibus. Consequentiam probo; quia in essentialiter subordinatis posterius non potest habere necessitatem, nisi prius habeat esse necessarium: connexiones autem causatorum ad suas causas sunt essentialiter subordinatæ: ergo nulla talis connexio est necessaria, nisi illa, quæ est primi causati ad suam causam, necessaria sit.

4 Histamen non obstantibus tenendum est, Deum hunc mūdum, & quidquid extra ipsum est, non necessariò, sed summè liberè produxisse. Conclusio est de fide certa, cōtēta in pluribus Scripturæ locis, P salmo 134. *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit*: Apocalypsis 4. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*: & ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: & multis alijs in locis.

5 Nec solum ex Scriptura, sed etiā per rationes potest hæc veritas ostendi; quarum plures congerit Scotus in 1. d. 8. q. 5. Prima est voluntas, quæ necessariò diligit finem, non necessitatur ad volendum ea, quæ sunt ad finem, nisi quatenus per syllogismum practicū concluditur ex fine necessitas illius entis ad finem: sed intel-

lectus diuinus nullam creaturā cognoscit esse necessariam ad suam bonitatem, quæ est vltimus finis, neque ad ipsam constituendam, neque ad ipsam conseruandam, vel augēdam, aut ornandam, iuxta illud Dauidicum affatum, *Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non egēs*: ergo ex eo quod Deus necessariò amet, seu diligat suam bonitatē, quæ est vltimus finis, ineptè satis infertur, necessariò etiā diligere, seu producere creaturas; sed potius debet inferri, eas diligere, & producere omninò liberè, & cōtingēter. Et confirmatur, & declaratur amplius hæc ratio: in essentia diuina eminenter continetur omnis ratio boni, quæ est in creaturis: aliās nō esset infinitū bonū: ergo voluntas Dei satiatur, & expletur in volitione diuinæ essentiæ: & consequenter solū diligit necessariò diuinā essentiam; creaturas verò tantum liberè, & contingenter.

6 Secunda ratio; ens absolutū, quod est ex se necessarium perfectè, quātum potest cogitari aliquid esse necessarium, quocumque alio à se distincto non existente, nō propter hoc sequitur, ipsum non esse: sed Deus est ex se necessariū perfectè, quātū potest ex cogitari aliquid esse necessarium: ergo quocumque alio à se distincto non existēte, nō propter hoc sequitur, ipsum non esse: sed si necessariam haberet habitudinē



ad causatum ad extra, quale est mundus; illo causato non existente, Deus non esset: ergo non habet ad illud necessariam habitudinem causantis ad causatum. Maior est manifesta; quia ex minus impossibili non sequitur impossibile; sicuti neque ex minus falso sequitur falsus. Minorem verò secundi syllogismi sic ostendo: habens necessariam habitudinem ad aliquid non existit, illa habitudine non existente; sed non existente termino habitudinis non existit habitudo: ergo de primo ad ultimum non existente termino habitudinis, non existeret illius fundamentum.

7. Tertia ratio; si causa prima necessariò causaret, nulla causa secunda causaret contingenter: consequens est falsum, & contra ipsos Philosophos: ergo & antecedens. Sequela probatur: qualibet causa secunda causat, in quantum mouetur à prima; ergo si prima causa necessariò moueret, qualibet causa secunda necessariò moueretur; & consequenter necessariò causaret. Vide Scotum in 1. d. 2. q. 2. & d. 39. §. *Contra illa*.

8. Quarta ratio; omnis causa necessariò agens agit secundum ultimum potentia suae; quia sicut non est in potestate sua agere, & non agere; ita neque intensè, & remisse agere: ergo si prima causa necessariò causaret, causaret utique ab initio

quidquid posset causare: sed potuit ab initio causare ex se omne causabile à causis secundis, quia habet in se eminenter omnem virtutem causandi effectiue, quae est in causis secundis: ergo causasset ab initio omne causabile à causis secundis: & consequenter nulla causa secunda effectiue causaret: quod non solum est falsum, & contra experientiam; sed etiam contra ipsos Philosophos. Imò cum in prima causa sit infinita virtus causandi, si ageret, seu causaret necessariò, infinita causaret, vel saltem nihil definitum, ac determinatum assignari posset, quod non diceretur ab ea productum; nam quacumque re finita producta, posset produci maior à predicta causa; & consequenter fuisset de facto producta, si ageret necessariò, & ad ultimum suae potentiae. Item moueret caelum in instanti; quia agens infinitae virtutis, si agit necessariò, & ad ultimum suae potentiae, non potest mouere in tempore: aliàs (vt arguebat Arist. in litt. text. 79) finita virtus posset mouere in aequali tempore.

9. Quinta, & vltima ratio est: quidquid perfectionis est in rebus creatis, tribuendum est Deo, ablatis imperfectionibus, quas habet admixtas in creaturis: sed liberum arbitrium est vna ex maximis perfectionibus naturae intellectualis: ergo tribuendum est Deo, seclusis

illis imperfectionibus mutabilitatis, & inconstantiae, quas habet admixtas in naturis intellectualibus creatis.

10. Ad primam ex rationibus adductis in contrarium, plures Theologi renuunt admittere consequentiam: dicunt enim, Deum neque produxisse mundum necessariò, neque contingenter, sed solum liberè. Tamè sumendo *producere contingenter*, prout sumitur in praesenti, scilicet, prout opponitur *producere necessariò*, & idem valet, ac ita producere aliquid, vt poterit illud non producere, profecto *producere contingenter* conuertitur cum *producere liberè*: ac per consequens, si isti Theologi admittunt, Deum produxisse mundum liberè, non est, cur recusare debeant admittere Deum produxisse mundum contingenter; sicut saepè admittit Scotus. Neque ex eo quod Deus in tempore produxerit mundum liberè, seu contingenter, rectè infertur ab aduersarijs aliqua mutabilitas, aut inconstancia animi in ipso Deo: non mutabilitas; quia ex noua, & libera productione mundi nihil reale nouum aduenit Deo: sed reale nouum, quod aduenit, est ipse mundus liberè, & de nouo productus. Non inconstancia animi; quia (vt rectè vidit Scotus in 1. d. 3. q. 5. §. *Ad argumenta pro opinione Philosophorum*) voluntate antiqua potest fieri nouus effectus sine mutatione voluntatis; sicut ex-

go volitione mea eadè continuata, qua volo aliquid tunc facere, facio illud tunc; pro quando volo illud facere: ita Deus in aeternitate voluit aliquid aliud à se esse pro aliquo tempore; & tunc absque variatione voluntatis creauit illud, pro quando voluit illud esse.

11. Ad secundam dicimus, in actu, quo Deus voluit producere mundum, duo nos posse considerare; scilicet, & ipsam substantiam actus voluntatis diuinae, quae dicit pro formali significato; & transitionem praedicti actus diuinae voluntatis super ipsum mundum, qui est illius obiectum, quae dicit pro connotato ad consistentiam istius actus simpliciter necessariam. Si primum consideremus fatemur esse perfectionem Deo intrinsicè, & necessariò conuenientem. At si consideremus secundum, negamus esse perfectionem Deo intrinsicè, & necessariò conuenientem; cum potius sit quid Deo extrinsecum, nimirum causalitas, qua media diuina voluntas ab aeterno produxit mundum in esse futuri; quod est quoddam esse intentionale, seu diminutum; vt late docuimus in materia de voluntate Dei explicantes difficile illam quaestionem, *quid addat decretum liberum Dei supra actum intrinsecum, & necessarium diuinae voluntatis?*

12. Ad tertiã optimè respondet Scotus loco, & §. citato, *necessarii* esse perfectionem conditionem, quae possibile in omni entita-

te, cui conditio necessitatis est cōpōibilis; sed nō in illa entitate, cui nō est cōpōibilis, quia cōtradiçtio nō ponit aliquam perfectiōnē: cōstat autē necessitatem repugnare omni respectui ad posterius; quia ex quo omne posterius est nō necessarium, primum non potest habere necessariam habitudinem ad aliquod eorum.

13. Ad quartā etiā optimè respondet Scotus, ens causabile nō posse habere differētiās istas necessariū, & possibile esse; quia omne ens causabile est tantū possibile: & ideo non est imperfectio in causa non posse causare istas differētiās; quia ad impossibile nulla est differētia. Quibus adde, rationē istam supponere quoddā falsum, nimirū, quod si Deus causaret necessariō, posset producere possibile, & necessarium; nam in dicta hypothesisi solū posset causare necessaria, non verō cōtingētia.

14. Ad quintā etiā optimè respondet Scotus, nullam causam secundā causare suum effectū necessariō simpliciter, sed solū secundū quid. Primū probat, quia omnis causā secundā in sua causatione dependet à cōcurrenti primæ causæ; qui cōcurrenti simpliciter contingens est. Secundū ostendit, quia multæ causæ naturales, quātū est ex parte ipsarū, sunt determinatæ ad causandū: & consequenter causant necessariō secundū quid, id est, quātū est ex parte ipsarū. Quod

totū exemplificat in igne, qui quātū est ex parte sui nō potest non calefacere; & tamē potest absolute, & simpliciter nō calefacere, Deo nō cōcurrēte ad eius calefactionē: vt apertē cōstitit in tribus pueris, quos flamma camini non contristauit.

15. Sed dubitabis, quid de hac re senserit Aristoteles? Et ratio dubitandi est, quia ex vna parte videtur Aristoteles Deo negasse libertatē in operādo: etenim cap. 1. huius libri tex. 7. &

8. in hunc modū argumētatus est, *primū mouens non antea mouebatur igitur aliquid, quod eum à motione retardabat*: quæ cōsequutio supponit, primū motorem necessariō agere: alioquin facile quisque responderet, primū motorē antea à motu abstinuisse, nō ob aliquod impedimentum; sed quia liberū illi erat non agere. Et cap. 6. tex.

52. ex æternitate primū principij, vt quid necessariū concludit, mūdū sēper fuisse: quæ cōsequutio nō esset necessaria, nisi ex suppositione, quod primū principium necessariō ageret.

16. Ex alia verō parte videtur Arist. Deo operādi libertatem concessisse; nam 8. Ethic. c. 7. docet, *Deū habere erga bonos amicitia*: & lib. 10. c. 8. *Verē sapiētes esse Deo charissimos*: quæ haud dubiè sunt libertatis: & libro de bona fortuna circa finem, ait: *Benè fortunatos non debere consilari*: & reddit pro ratione, *quia immediatē mouentur à Deo, tanquā*

*altiori, & meliori principio, quàm sit ratio*: quæ motio fortunata nō potest esse necessaria; quia, quæ casu, & fortuna eueniunt, contingenter eueniunt. Item agnouit Aristoteles lib. de generatione animalium cap. 3. (vt testatur Scotus quodlib. 7. & vltimo, & in 2. d. 17. q. 1. & in 4. d. 43. q. 2.) Deum immediatē producere animas intellectiuas: & tamē animas intellectiuas non producit necessariō, & ab æterno; sed liberè, & in tempore. Et tandem 4. Topicorum cap. 5. affirmat, *Dei quadam facere posse, quæ non facit*.

17. Dicendum nobis est cum Scoto quodlib. 7. §. *Sed licet hæc conclusio*, lit. R. & quodlib. vltimo prope finem, & in 1. d. 8. q. 5. §. *De intēctione istorum*, & d. 42. & in 2. d. 1. q. 2. §. *De secūdo mēbro*, quem plures alij Theologi sequuntur, Ochamus in 1. d. 43. q. 1. art. 1. Gabriel ibidem art. 2. Gregorius d. 42. q. 3. art. 1. Marsilius q. 44. & 42. Ferrarā 2. contra gentes cap. 23. Aristotelem non valuisse concordare libertatem Dei in operādo cum immobilitate eius: & consequenter sustinuisse, Deū, quātum est ex se, agere necessariō; & de facto necessariō produxisse quidquid omninō immediatē produxit; vt fuerūt mundus, & intelligentia: cum hoc tamen arbitratum fuisse, Deum producere aliquos effectus contingentes, nō omninō immediatē, sed mediante con-

curso alterius causæ efficiētis; vel saltē mediante effectū contingente alterius causæ secundæ; qui effectus sit dispositio ad effectum Dei cōtingentē, v. gr. amicitiam Dei erga bonos, & sapientes docuit esse effectum Dei contingentem; & à solo Deo efficienter provenire; sed mediante bonitate, & sapiētia, per quæ homines liberè mouentur ad amicitiam Dei; seu ad eam se liberè disponūt. Itē bonam fortunam esse effectum solius Dei; sed ortum à Deo ratione alicuius euentus, vel circumstantiæ contingētis. Et demum animas intellectiuas à solo Deo produci, sed posita dispositione requisita in materia ab ipso generante.

### QUESTIO III.

*Vtrum de facto mundus productus fuerit ab æterno?*

1. **M**undum talem, qualis nunc est, scilicet, cum eadem rerum serie, & generationum successione fuisse ab æterno ex professio tenet, & probare nititur Aristoteles, nō solū in hoc libro per duo priora capita; sed etiā 1. de celo, & mundo c. 10. & 2. de generatione circa finē; & 12. Metaph. cap. 6. quē postea secuti sunt antiquiores iuterpretes; Proclus in lib. de æternitate mūdi, Auerroes, Auicena, Alexāder, & Simplicius circa eadē loca Arist. Imò hanc fuisse cōmūne sententiā inter Philosophos

qui præcesserunt Aristotelem (Platonē excepto) ipsemet fatetur Aristoteles, dum. tex. 10. huius libri, dicit: *Omne esse concordēs in affirmando tempus esse ingentum præter Platonem, qui docuit, tempus simul cum celo esse factum*; nam (vt quæst. 1. huius disputationis num. 8. dicebamus) ibi Aristoteles sumit ingentum pro æterno; & factum pro eo, quod est nouum in tēpore. Vndē immeritō aliqui citant Platonem pro hac sententia Aristotelis: licet enim Plato in Timæo posuerit materiam mundi ab æterno; (& fortassis improductam) tamen mundi procreationem ex prædicta materia posuit in tempore; vt loco citato fallus est Aristoteles, & docuerūt Alcinoūs libro de doctrina Platonis, Philo Iudæus, & Laertius in vita Platonis, & D. Thomas 1. 2. Metaph. lect. 6. Ad probandum mundi æternitatem congerunt Aristoteles, & alij Philosophi plures rationes; sed leuissimas, & quæ faciliē solui possunt. Vndē non desunt graues auctores (intes quos sunt D. Thomas 1. p. q. 46. art. 1. & D. Albertus Magnus hic tract. 1. cap. 1.) qui affirmant, Aristotelem hanc sibi sententiam non vt demonstratam omninō persuasisse; sed vt probabilem dialecticis rationibus agitasse. Et idē 1. Topic. cap. 9. problema dialecticum appellasse, *utrum mundus fuerit ab æterno?*

2 Rationes, quibus Aristoteles conatus est mundi æternitatem probare, tales sunt. Prima, & quam posuit cap. 1. tex. 4. est. Si motus nō fuit ab æterno, sed aliquis motus primus extitit, vel mouens, & mobile, à quibus ille fuit causatus, cæperunt esse, vel semper fuere? si cæperunt esse: ergo per aliquā generationem, & motū; quare iam ille motus, qui antea primus dicebatur, nō fuit primus. Si autem semper fuere, & motus nō dum erat, sequitur, sempiterno tempore, neque vnum mouisse, neque alterum fuisse motum: quod videtur irrationabile, & ab inscientibus dictum; præsertim cum nulla ratio assignari possit, cur postea motum incierint: semper igitur fuit motus; & consequenter rerum vniuersitas.

3 Secunda ratio, & quam ponit in eodem capite tex. 10. Tempus est æternum: ergo & motus: consequentia est manifesta; nam tempus, vel est motus, vel saltem non est sine motu ex 4. Physicorum. Antecedens probatur; nam, si tempus habuit initium, prius non fuit, & posterius deinde capit esse: sed ratio prioris, & posterioris non datur sine tempore: ergo antequam esset tempus, iam tempus erat: quare admitti debet, semper fuisse tempus. Et cōfirmatur; quia nullum tempus est absque momento: sed **omne momētum est finis præteriti-**

teriti, & ex ordium futuri: ergo nullum tēpus fingi potest ante quod nō sit aliud, & post quod aliud nō sequatur: tempus igitur sempiternum est.

4 Tertia ratio, & quæ habetur cap. 2. tex. 15. nihil inordinatum est eorum, quæ secundum naturam sunt: at infinito quasi tempore non fuisse motum, deinde cæpisse esse est inordinatum; quia ordo consistit in proportione; infiniti verō ad finitum nulla est proportio: ergo motus numquam cæpit, sed perpetuō fuit.

5 Quarta ratio, & quæ habetur cap. 6. tex. 53. & libro 2. de generatione tex. 56. & 1. 2. Metaph. cap. 6. tex. 30. idem manens idem, semper est natum facere idem: cum ergo primus motor idem semper, atque immutabilis sit, vel semper mouet, vel numquam: sed hoc posterius est apertē falsum: prius igitur verum est.

6 Quinta ratio, & quæ habetur cap. 9. tex. 76. motus circularis celi non habet actu terminos, a quorum altero dicitur incipere, ad alterum verō terminari: ergo neque inceperit, nec desinet esse: & consequenter est æternus. Et cōfirmatur; quia motus nūquam desinet, & in æternum durabit: ergo nūquam incæpit, sed fuit ab æterno.

7 Sexta ratio, & quæ desumpta est ex capite 7. tex. 56. natura ex possibilibus semper effi-

cit quod perfectius est: sed perfectius est, motum celi cōtinuum, & perpetuū esse; quia sicut præstat esse, quàm non esse; ita præstat semper fuisse, quàm cæpisse esse: ergo motus celi continuus, & æternus est.

8 Præter has Aristotelis rationes, aliæ ex Proclo adduci solent. Prima est; si mundus ortum habuit, cur non antea factus fuit, quàm nos asserimus esse conditum? præsertim cum Deo tribuamus infinitam facultatem, & asseramus multo antea potuisse condi.

9 Secunda, quia si Deus ab æterno non produxit mundū, sed in tempore: ergo mansit, quasi infinito tempore otiosus nihil operans. Itē, vel ab æterno voluit mundum condere, vel in tempore? si dicas voluisse in tempore, mutationis notam incurret. Si dicas voluisse ab æterno, sed non ab æterno creasse, incurret notam imbecillitatis. Et demum, quia, cum cælum sit locus, & domicilium Dei (vt omnes existimāt) cum Deus sit æternus, etiam debuit esse ab æterno cælum, vt potē eius sedes, & domicilium.

10 Hoc tamen Aristotelis, & antiquorum Philosophorum placitum de æternitate mundi, vt fidei nostræ contrarium meritiō reijcitur ab omnibus Theologis, & Philosophis Christianis: fide enim credimus, mūdum in tempore productū fuisse à Deo. Hoc enim

expressè docet Scriptura Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum, & terram.* & Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam apud te habui, antequam mundus fieret.* & Prouerbiorum 8. *Antequam quidquam fieret à principio.* Imò definita est hæc veritas in Concilio Lateranensi sub Leone X. sessione 8. ubi philosophiæ professoribus præcipitur, vt inanibus Aristotelis turpiter errantis rationibus respõdeant.

11 Sed dubitabit aliquis, an sola fide tenenda sit hæc veritas de productione mundi in principio temporis? an etiam ratione naturali demonstrari queat? cui dubitationi duplici assertione respõdeo. Primum assertum est; ratione naturali demonstrari valet, mundum potuisse incipere in tempore; & non necessariò habuisse esse ab æterno; vt putauit Aristoteles. Ratio est, quia ad hoc, vt mundus potuerit incipere in tempore, solum requiritur, quòd mundus productus fuerit à Deo liberè, & non necessariò: sed quæstione præcedenti rationibus naturalibus demonstratum est, Deum liberè, & non necessariò produxisse mundum: ergo ratione naturali demonstrari valet, mundum potuisse incipere in tempore; & non necessariò habuisse esse ab æterno, vt putauit Aristoteles.

12 Secundum assertum; non est ratione naturali demonstrabile, quòd mundus de facto pro-

ductus fuerit in tempore, & nõ ab æterno. Est communis sententia; & ratio efficax est, quia nõ est euidens, repugnare mündum fuisse ab æterno; quia (vt quæstione sequenti) res permanentes esse potuerunt absque vlla contradictione productæ ab æterno: & de successiuis licet probabilius sit repugnare, quòd sint productæ ab æterno: tamen graues auctores non sine probabilitate tenent oppositum: quòd si euidens non est repugnare mündum fuisse productum ab æterno; neque etiã euidens esse poterit, quòd factus fuerit in tempore: siquidem relinquitur in voluntate Dei, quòd mundus sit factus in tempore, vel in æternitate: que voluntas cognosci à nobis nõ valet via, & discursu naturali, sed sola reuelatione, & testimonio diuino. Et quãuis rationes probabiles adduci queant ad probandum, mundum productum fuisse in tempore: tamen Scotus hic quæstione 1. affirmat, stando in solis principijs naturalibus; etiam rationes Aristotelis pro mundi æternitate non sint demonstrationes, esse satis probabiles; nec posse à nobis probabiliores adduci ad probandum oppositum. Unde meritò D. Thomás 1. part. quæst. 46. artic. 2. non laudat rationes probabiles pro hac re adduci, ne præbeant materiam irridendi infidelibus existimatibus, nos ob huiusmodi ratios;

nes, quæ facilè illudi possunt, asserere, quæ sunt fidei.

13 Ad primam rationem Aristotelis fatemur, tam primum mobile, quàm primum mouens (quod in sententia Aristotelis non est Deus, sed quædam intelligentia) cæpisse esse; sed negamus cæpisse esse per generationem, & motum; cum potius cæperint esse per creationem ex nihilo.

14 Ad secundam negamus, tempus esse æternũ: & ad probationem respõdemus, quòd, cum dicimus prius non fuisse tempus, sed postea cæpisse esse, *ly prius* non importat differentiam temporis veri, sed imaginarij: quòd tempus imaginarium suo modo semper fuit; sicut & imaginarium spatium, quòd fingimus, antequã mundus productus fuit. Ad confirmationem fatemur, nullũ tempus esse absque momento; sed negamus; omne momentum esse finem temporis præteriti; & exordium futuri: licet enim hæc optimè verificentur de momentis continuatis partium temporis; sed non de initiatiuis; & terminatiuis. Quòd si Aristoteles supponit, nullum dari momentum initiatiuum, aut terminatiuum; sed omnia esse cõtinuatiua, supponit profecto, quòd probandum erat, & de quo est tota cõtrouersia; vt annotauit D. Th. 1. p. q. 46. art. 1.

15 Ad tertiam responderetur, quòd si Deus ageret ex necessi-

tate naturæ (vt putauit Arist.) concluderet argumentum: tamen quia (vt quæstione præcedenti ostensum est) Deus produxit mündum omninò liberè, ideo argumentum nihil valet. Nam esto, quòd ordo rerũ naturalium magna ex parte in proportionem consistat; & similiter, quòd infiniti ad finitum nulla sit proportio: tamen hæc nihil obtare possunt ad hoc, vt Deus, qui est agens liberũ, potuerit ordinatissimè producere, quando ipse voluit; & consequenter non ab æterno, sed in tempore. Neque enim Deus astringitur legibus naturæ, neque in his, quæ fiunt ex libero arbitrio eadem ratio quærenda est, ac in his, quæ fiunt ex necessitate naturæ.

16 Ad quartã dicimus; idem manens, idẽ semper esse naturam facere idem, si operetur ex necessitate naturæ; & secũdũ præscriptionẽ suã intellectus; & determinationẽ suã voluntatis: sicut operatur Deus ad extrã. Unde licet Deus æternus sit: tamen quia ab æterno voluit mündũ facere, non quidem æternũ; sed nouum, & in tempore; ideo mundus nõ æternus, sed nouus, & in tempore extitit. Fuit ergo in Deo æterna voluntas, vt elieret mundus nouus, & in tempore: quare neque in esse, neque in intellectu, neque in voluntate Dei ob nouam mundi motionem mutatio vlla contigit.

17 Ad quintā dicimus principium, & finem motus circularis non esse attendendum ex parte mobilis: (aliās nullius corporis rotundi motus, aut initium, aut finem habere possit) sed ex parte mouentis. Fuit autem motus circularis cæli cū cælo productus in tempore ab ipso Deo; vel ab intelligentia, quæ cū primū orbis cælestis fuit à Deo conditus vim suam ad eum mouendum applicuit. Ad confirmationem, quidquid sit de illo antecedenti, motus numquam desinet, & in æternum durabit, (de quo quæstione vltima) respōdetur, optimè posse dari rem, quæ in æternum sit duratura, & tamen facta sit in tempore; nani animæ rationales sunt immortales etiam in sententia Aristotelis; & tamē creatæ sunt in tempore: in super nulla res est extra Deum, quæ ita necessariò debeat in æternum durare, vt non possit ab ipso Deo annihilari.

18 Ad sextam fatemur naturam (cū operetur necessariò, & ad vltimum de potentia) semper efficere melius, quod potest: sed negamus morū cæli esse opus naturæ; sed Dei, aut intelligentiæ liberè operantis. Deus autem absolutè non facit melius, quod potest: cū possit meliora, & meliora facere, quàm fecit: semper tamen facit id, quod spectatis omnibus circumstantijs magis conuenit;

fuisse autem magis conueniēs, vt mundi creationem moliretur in initio temporis, ostendi potest. Tum, quia ex noua mūdi creatione conspicuum fit, Deum neque naturæ necessitate agere, neque vllius rei indigere; sed se ipso beatum esse. Tum etiā, quia facilius innotescit rerum dependentia à Deo: siquidem id, quod non semper extitit, palam est habuisse causam, à qua fluxit: quod in re ab æterno procreata minus eluceret.

19 Ad rationes adductas ex Proclo dicimus. Ad primam, quod sicut esset ridiculum inquirere, cur non plura, maioravè corpora fecerit Deus, quàm fecit? nam, cū illa quantacūque fierent, oporteret esse finita, semper maneret eadem dubitatio, cur non plura, & maiora facta fuissent? ita ridiculū est inquirere, cur non antea factus fuerit mundus, quàm nos asserimus esse conditum? nam, cū oportuerit non fieri ab æterno, sed in tēpore, in quocumque initio temporis factus fuerit, eadem erit quæstio, cur antea factus non fuerit. Dicendum igitur est, ideò tunc Deum produxisse mundum; quia tunc voluit; & licet Deus nihil agat sine summa ratione, mundumque tunc, & non ante, vel post factum esse, non casu acciderit; rationem tamen huius rei quærere, ac perferretari velle stultissimum est: cū plu-

plurimarum rerum; etiam viliissimarum, quas ante oculos habemus; causas penitus ignoremus. Satis ergo sit scire mūdum, vel non potuisse, vel non decuisse fieri ab æterno: cur autem non antea, vel post sit factus, cū id ex libera voluntate Dei pendeat, & ex occulto nobis eius consilio, præstat piè ignorare, quàm curiosè, & iuperbè perferretari.

20 Ad secundam dicimus, Deum non fuisse otiosum ex eo quòd mundum non produxit ab æterno: siquidē ab æterno intelligit, & amat suam essentiam: in quo consistit summa, & perfectissima Dei operatio. Ad primam cōfirmationem dicimus voluntatem producendi mūdum fuisse in Deo ab æterno; non tamen creasse mundum ab æterno; sed in tēporis initio. Nec mirum, quia voluntas, quam habuit ab æterno producendi mundum, non fuit voluntas producendi mūdum æternum; sed temporalē, & in temporis initio. Nec hoc arguit imbecillitatē, sed summam libertatem in Deo circa mundi productionem. Ad secundam confirmationem dicimus, cælum appellari sedē, & domicilium Dei; non quia ibi solummodò sit: est enim immensus; & cōsequenter vbi que, sed quia ibi magis manifestatur. Ante mundi autem creationem Deus erat in se ipso; neque enim Deus indige-

bat, aut modò indiget cælo, aut mundo ad habitandum.

#### QVÆSTIO IV.

*An saltem potentia Dei absoluta potuerit mundus produci ab æterno?*

1 **Q**uoniam res, ex quibus mundus coalescit, sunt in duplici differentia: quædam enim in fluxu, & successione partium consistunt, quæ ideò successiuæ dicuntur, vt motus, & generationes, eorūque duratio, scilicet, tempus: quædam autem simul cohærent, ac permanentes, quæ ideò permanentes appellantur, vt Angeli, homines, &c. eorūque duratio, scilicet, æuum. Ideò, vt cum distinctione procedamus, prius examinabimus, *an potentia Dei absoluta potuerit mundus produci ab æterno ratione rerum permanentium?* Et postea, *an potentia Dei absoluta potuerit esse ab æterno ratione rerum successiuarum?*

#### SECTIO I.

*Explicatur, an res permanentes potentia Dei absoluta potuerint produci ab æterno?*

2 **S**unt, qui affirmant; nullam creaturam, etiā permanentem, adhuc potentia Dei absoluta potuisse ab æterno produci. Ita D. Albertus Magnus in summa p. 2. tract. 1. q. 4. ment-

membro 2. & in 2. d. 1. art. 1. 0.  
D. Bonaventura ibidem art. 1.  
q. 2. Ricardus art. 3. q. 4. Mar-  
filiius q. 1. art. 2. p. 4. Henricus  
quodlib. 1. q. 7. & 8. & quodl.  
9. q. 17. Clichtonæus apud 8. libri  
primi Damasceni, Burlæus hic ad  
textum 15. Aresius 1. de gene-  
ratione q. 44. Vallesius cōtro-  
uerfia 25. & libro de sacra Phi-  
losophia cap. 1. Et propter au-  
ctoritates Patrum, quas statim  
referam, adhærent etiam huic  
sententiæ Valentia 1. p. disp. 3.  
de Deo creatore q. 3. puncto 2. &  
Toletus hic cap. 2. q. 2.

3 Probari solet hæc sententia  
primò ex modo loquendi ali-  
quorum Patrum, qui sonare  
videtur, æternitatem repugna-  
re creaturæ. Isti sunt Hugo de  
Sancto Victore libro 1. de Sa-  
cramentis cap. 10. D. Damaf-  
cenus libro 1. de fide orthodoxa  
cap. 8. Ambrosius 1. lib. Exa-  
merum cap. 1. Athanasius ora-  
tione 2. contra Arianos, Basi-  
lias lib. 2. contra Eunomium,  
Augustinus lib. 12. de ciuitate  
cap. 15. & libro contra Feli-  
cianum cap. 7. quorum ver-  
ba, dum auctoritates istas sol-  
uimus, commodiùs adduce-  
mus, & expendemus.

4 Secundo probari solet ra-  
tionibus, quas fere omnes cla-  
rè dissoluit Scotus in 2. d. 1. q.  
3. §. Tenentes autem primam opi-  
nionem. Prima est; quia omne,  
quod fit, iam hoc ipso habet  
principium: ergo non est æter-  
num. Cōfirmatur, quia in qua-

libet re creabili prius est posse  
existere, quàm actu existere:  
ergo nulla res creabilis potuit  
actu existere ab æterno.

5 Secunda, quod creatur,  
procedit à non esse ad esse, tan-  
quam à termino à quo ad ter-  
minum ad quem: ergo non esse  
eius, quod creatur, præcedit  
eius esse: & consequenter impli-  
cabit habere esse ab æterno.  
Confirmatur; quia implicat  
creaturam annihilari ab æter-  
no; & non ob aliam rationem,  
nisi quia id, quod annihilatur,  
procedit ab esse ad non esse tan-  
quam à termino à quo ad ter-  
minum ad quem; & ideo est ne-  
cessarium, quod in annihila-  
tione esse illius, quod annihila-  
tur, præcedat eius non esse: ergo  
etiam implicabit, creaturam  
habere esse ab æterno: siquidem  
creatio procedit à non esse ad  
esse, tanquam à termino à quo ad  
terminum ad quem: & ideo est  
necessarium, quod in creatio-  
ne non esse illius, quod creatur  
præcedat ad ipsius esse.

6 Tertia, quia si aliqua crea-  
tura permanens producta esset  
ab æterno, haberet durationē  
infinitam actu: quod repugnat  
creaturæ non minus quàm ha-  
bere entitatem infinitam; præ-  
sertim in nostra, & Scoti sen-  
tentia, quæ non distinguit rea-  
liter durationem rerum per-  
manentium ab existentia, siue  
esse actuali rei durantis.

7 Quarta, si quid permanens  
ab æterno creatum esset, simul  
fic-

eretur, & factum esset: quod au-  
tem simul fit, & factū est, in in-  
stanti fit; & quod in instanti fit,  
habet primum instans sui esse:  
quod repugnat æterno. Cōfir-  
matur, quia omnis creatura  
permanēs prius creatur à Deo;  
& postea ab ipso met Deo con-  
seruatur: ergo si aliqua creatu-  
ra permanens esset creata ab  
æterno, assignanda esset in ipsa  
duratione æternitatis. aliqua  
pars prior, in qua diceretur  
creari, & aliqua pars posterior,  
in qua diceretur conseruari:  
quod æternitati (cū sit indi-  
uisibilis duratio) repugnat ma-  
nifestè.

8 Quinta, repugnat Deo pro-  
ducere creaturā, & nō liberè:  
sed si Deus produceret creatu-  
rā ab æterno, illam non posset  
liberè producere: ergo repug-  
nat Deo producere creaturam  
ab æterno. Minorem probò:  
illud dicitur liberè produci,  
quod potuit aliquādo nō pro-  
duci; sed creatura, quæ produ-  
citur ab æterno, nūquā potuit  
non produci; nam nō prius quā  
creata est; quia in æternis non  
datur prius: nec postquam pro-  
ducta est; quia ad præteritū re-  
uocandū non datur potentia:  
neque in instanti, in quo pro-  
ducta est; quia omne quod est,  
quando est, necesse est esse, ex  
Aristot. 1. de interpretatione:  
ergo si Deus produceret crea-  
turam ab æterno, illam non  
posset liberè producere.

9 Sexta, creatura quatenus

creatura essentialiter dicit cō-  
tingentiam, quæ excludit ne-  
cessitatem essendi: sed si crea-  
tura esset ab æterno producta,  
deberet necessariò pro infini-  
to tempore durare: ergo pro-  
duci ab æterno repugnat con-  
tingentiæ creaturæ: & conse-  
quenter ipsi creaturæ, cui con-  
tingentiā est essentialis. Et con-  
firmatur; quia si creatura pro-  
duceretur ab æterno, posset ab  
æterno operari, v. gr. ignis ab  
æterno productus posset ab  
æterno lignum sibi ab æterno  
approximatum calefacere, &  
comburare; homo ab æterno  
productus posset ab æterno  
mouere manū, aperire oculos,  
generare filios, &c. at hæc sunt  
actiones finito tēpore durantes:  
ergo aliquid sic finitum po-  
tuisset esse ab æterno, quod  
planè est implicatorium.

10 Dicendū tamen nobis est  
nullā implicationē inuolui in  
hoc, quod res permanens ab  
æterno creetur; ac per conse-  
quēs mundū potuisse per potē-  
tiā Dei absolutā fieri ab æterno,  
saltē ratione rerū permanentiū,  
quas includit. In hanc sententiā  
magis inclinat Scotus in 2. d.  
1. q. 3. quæ sequitur discipuli,  
Smiting de Deo vno tract. 3. q. 5.  
n. 85. Cabellus in Scholijs n.  
16. Et est expressa sententia D.  
Tho. 1. p. q. 46. art. 2. ad 1. &  
ibi Caiet. Nazarij, & Bañez, &  
in 2. d. 1. q. 1. art. 5. & 2. con-  
tra gentes cap. 38. & opusculo  
27. Est etiam sententia Durādi  
in

In 2. d. 1. q. 2. Capreoli ibidē q. 1. Gregorij q. 3. Ochami, & Gabrielis q. 8. & aliorum plurimum, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitani disput. 29. q. 3. §. 2. Suarez 1. tomo Metaphysicæ disp. 20. sect. 6. Rubius in præsentī, Masius q. 10. & Conimbricenses q. 6. art. 2. & q. 7. art. 1.

11 Fundamentum nostrum est, quia si implicaret, rem permanentem creari ab æterno, vel hæc implicatio proueniret ex parte Dei creantis, vel ex parte rei permanentis creatæ, vel ex parte ipsius creationis. Sed non potest prouenire ex parte Dei creantis; cum Deus creans omnipotens, & æternus sit; & nõ sit necesse, quod causa duratione ipsum effectum antecedit; nam (vt ait D. Augustinus 6. de Trinitate. capite 1.) si ignis esset æternus, etiam splendor ab ipso genitus esset æternus. Nec etiam potest prouenire ex parte rei permanentis creatæ; quia non est minus possibilis ab æterno, quam nunc: neque enim incæpit in tempore esse possibilis. Et cum duratio intrinseca rei permanentis non sit tempus, sed sit æuam (vt ex processu docuimus libro 4. disput. 3. q. 4.) ad existentiam, & perseuerantiam rei permanentis nullatenus requiritur tempus; sed potest optimè ante omne tempus existere, & perseuerare. Et quamuis res permanentis creata esset

ab æterno; nõ tamẽ esset æterna æternitate per essentiam; sicuti est Deus æternus; sed in propria duratione creata coexistet ipsi æternitati a parte ante; sicut de factõ res incorruptibilis coexistet a parte post. Nec demum potest prouenire ex parte ipsius creationis; quia creatio rei permanentis non est actio successiua, sed permanens: & consequenter eius intrinseca duratio nõ erit tẽpus, sed æuam; quod coexistere potest æternitati Dei ante omne tempus. Nec minus per istam creationem (in hypothese, quod esset ab æterno) pederet creatura a Deo liberè, ac modo dependet; quia per voluntatem Dei reciperet esse limitatum, ac modo recipit; & insuper fieret ex nihilo; non solum, quia fieret ex nullo pre-supposito subiecto; sed etiam quia fieret ex non esse; nam (vt annotauit Scotus in 2. d. 1. q. 3. §. Hic dico) vt aliquid dicatur fieri ex non esse, non est necessarium, quod non esse actu, & positiuè præcedat illius esse, sed lat est, quod præcedat quasi priuatiuè, id est, quod quantum est ex se, & ex natura sua præcederet, nisi per aliud impediretur; vt contingeret in casu, quod creatura esset ab æterno. Ex nullo ergo capite repugnat, rem permanentem ab æterno creari.

12 Ad auctoritates sanctorum in contrarium adductas respondetur,

dictur, aliquos ex Patribus adductis re vera concessisse æternitatem repugnare creaturæ: tamẽ loquuntur (vt annotauit D. Thomas 13. de potentia art. 14. ad primum, & opusculo 27.) de æternitate essentiali; quale est attributum æternitatis in Deo: qua ratione dixit Boetius lib. 5. de consolatione profla vltima, quod etiã si mundus semper fuisset, non esset Deo coæternus: & meritò quidem; nam ab æternitate essentiali solum potest dici æternum id, quod ex se, & natura sua postulat esse ab æterno; non verò id, quod haberet esse ab æterno ex libera voluntate Dei. Patres, qui sic loquuntur sunt Hugo loco citato, sic aiens: *Fugit diuinã virtutem, vt aliquid sibi coæternum efficiat: & D. Damascenus, dum libro de fide orthodoxa, inquit: Natura minime comparatum est, vt quod ex nihilo in ortum producitur, eadem cum eo, quod principij expers est, & sempiternam æternitatem habeat: & Ambrosius cum in Exameron cõtra Philosophos, dixit: Quomodo ergo coæternum Deo mundum asserunt; & creatori omnium sotiant, atque æqualem esse disputant creaturam? & D. Athanasius, dum oratione 2. contra Arianos probat creaturam Deo coæternam esse non posse, ita vt natura sua, vel Deo eam necessariò causante, sit ab æterno.*

13 Reliqui verò Patres non

concesserunt æternitatem repugnare creaturis; sed solum de facto creaturam non fuisse ab æterno: disputabant enim contra Arianos, qui dicebant, Filium, & Spiritum sanctum esse creaturas; & ideo non esse Patri diuino coæternos. Ad cuius sequelæ probationem Arianos non sumebant, creaturam ab æterno esse non posse; sed solum sumebant, creaturam ab æterno non esse: quod satis ex Scriptura constabat, ex qua illi aduersus Catholicos argumenta depromebant. Vnde hoc accepto tanquam cõcessio ab Arianis, Patres ex opposito cõsequenti inferebant oppositum antecedentis hoc modo: nulla creatura est ab æterno; Filius, & Spiritus sanctus sunt ab æterno: ergo non sunt creaturæ. Sufficiebat ergo Patribus contra Arianos, quod nulla creatura de facto esset ab æterno. Patres sic loquentes sunt Basilius, dum libro 2. contra Eunomium, dicit: *Nos eiusdem demeriti esse putamus, & creaturæ æternitatis testimonium præbere; & creaturæ dominum hac confessione priuare: & D. Augustinus libro 12. de ciuitate, dum ait: Quomodo creati dicendi sunt (scilicet, Angeli) si semper fuisse int. lligantur? nec non, & in libro contra Faëlicianum, dicẽs: Creatura est ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit: in qua descriptione creaturæ creaturam sumit pro re creata, vel creanda: non*

non verò pro essentiali ratione rei creabilis.

14 Ad primam rationem dicimus, omne, quod fit, habere utique principium productionis, sed non durationis; hoc est, habere principium effectiui, à quo producatur; sed non principium temporis, in quo esse incæperit: licet de facto Deus Filius generatur à Patre, tanquam à principio productionis; sed sine principio durationis. Ad confirmationem respondetur antecedens, solū esse necessarium loquēdo de prioritate naturæ, nō verò de prioritate durationis; quia possibile est, quod simul duratione res sit apta, seu petens existere, & quod actu existat. In quo sensu accipi potest illud Aristotelis 3. Physic. tex. 3 2. & 9. Metaph. tex. 17. *In sempiternis idem est esse, & posse*, id est, simul verificatur potentia ad existēdum, & actu existere.

15 Ad secundam fatemur, creaturam procedere à non esse ad esse, tanquam à termino à quo ad terminum ad quem: sed negamus non esse, quod est terminus à quo creationis debere præcedere esse, quod est terminus ad quem actu & posituē; nā (vt ex Scoto aduertebamus num. 11.) fat est, quod præcedat quali priuatiuē, id est, quod quantum est ex se, & natura sua præcederet, nisi per aliud impediretur; vt contingeret in casu, quod creatura esset ab

æterno. Ad confirmationem fatemur implicare contradictionem, creaturam annihilari ab æterno: negamus tamen inde inferri implicare contradictionem, creaturam habere esse ab æterno. Cuius discriminis ratio est; quia annihilatio procedit ad non esse ex esse, quod actu, & posituē necessario præcedit ipsum non esse: at creatio procedit ad esse ex non esse; quod non est necessarium, quod actu, & posituē præcedat ipsum esse; sed sufficit, quod præcedat, quali priuatiuē, vt nuper dictum est.

16 Ad tertiam respondetur, quod si aliqua res permanens creata fuisset ab æterno, haberet utique duplicem durationem; vnam intrinsecam, quæ, cum in nostra sententia non sit distincta ab eius existentia, seu actuali esse, non secus erit finita, & limitata, ac esset finitū, & limitatum eius esse actuale: & aliam extrinsecam, scilicet, æternitatem Dei, cui coexistere; & hæc esset, licet & modò est, actu infinita.

17 Ad quartā, concessa priori parte antecedentis, distinguimus secundam; omne, quod simul fit, & factum est, in instanti fit, distinguo; in instanti temporis præcisè, nego: in instanti temporis, vel æui, concedo: & quamuis, quæ sunt in instanti temporis habeant primum instans sui esse; secus vero quæ sunt in instanti æui. Si autem res

res permanēs crearetur ab æterno, haberet esse in instanti æui, non in instanti tēporis. Ad confirmationē dicimus, nūc de facto omnē creaturā permanentem prius dici creati à Deo, & postea cōseruari; nō quia creatio, & cōseruatio rei permanentis sint distinctæ realiter actiones; quarū vna succedat alteri; nam (vt sæpè dictū est) creatio, & cōseruatio rei permanentis eadē numero actio est: neque etiā, quia actio creatiua, & cōseruatiua rei permanentis, aut eius intrinseca duratio, quæ dicitur æui, habeant partes priores, & posteriores; nā sunt permanentes; & consequenter indiuisibiles in partes priores, & posteriores; sed quia nunc de facto actio creatiua, & cōseruatiua rei permanentis coexistit nostro tempore: & quamuis sit eadem, & indiuisibilis actio; tamen prout coexistit nunc tēporis, ad quod præcessit nō esse rei creatæ, dicitur creatio; prout verò coexistit partibus temporis illud nunc subsequētibus, dicitur cōseruatio. Ex his autem nō debet inferri, in actione creatiua, & cōseruatiua rei permanentis dari successiōnē, seu prioritatē, & posterioritatē; sed dari successiōnem, seu prioritatē, & posterioritatē inter instans initiatiuū temporis, & partes ipsius tēporis, quibus actio creatiua, & cōseruatiua rei permanentis nunc de facto dicitur coexistere. Sicuti ne-

que rectè infertur ex eo, quod æterna Verbi generatio dicatur fuisse tēpore præterito, & esse tēpore præfenti, & esse futurā tēpore futuro, aliquā esse successiōnē, seu prioritatē, & posterioritatē in ipsa æterna Verbi generatione, sed solū in nostro tēpore, cui prædicta æterna Verbi generatio coexistit. Ex quo inferes, in hypothesi, quod res permanens esset producta ab æterno, & ante omne tēpus, etsi prædicta productio posset à nobis denominari creatio, quatenus cōciperetur, vt emanatio rei permanentis à Deo cum respectu ad nō esse, in quo prædicta res permanēs relinqui potuisset; & similiter cōseruatio, quatenus à nobis cōciperetur, vt actio cōseruās illā in suo esse: nihilominus nullū esset caput ad affirmandū hęc productionē, in quantū creationem præcedere se ipsam, in quantū cōseruationem; quia tunc nullum esset tempus, cui prædicta productio coexistere. quod est præcisū caput, vnde nunc de facto ista successiō, seu prioritas, & posterioritas inter creationē, & cōseruationē rei permanentis desumitur.

18 Ad quintā (quæ, si aliquid probaret, probaret etiā, Deum non potuisse habere ab æterno decretum liberum de omnibus, quæ facturus erat in tēpore, quod est hæreticū) negamus minorē, scilicet, quod si Deus produceret ab æterno crea-



turam, illam non posse liberè producere. Ad probationem fatemur, illud dici liberè produci, quod potuit aliquando non produci. Et cum inuestigatur, quando potuit illa creatura non produci? respondeo, quod in ipso *nunc* æternitatis, in quo producta est. Neque obstat, quod ex Arist. 1. de interpretatione, *omne, quod est, quando est, necesse est esse*; nam hæc necessitas, quæ oritur ex existentia rei, solum est necessitas secundum quid, & ex suppositione, quæ optimè compatitur cum libertate simpliciter, & absolute, vt in simili de decreto Dei omnes Theologi fatentur.

19. Ad sextam fatemur, creaturam essentialiter dicere contingentiam, quæ excludit necessitatem simpliciter essendi, sed negamus, quod si creatura esset producta ab æterno, deberet necessariò simpliciter pro infinito tempore imaginario durare; nam solum deberet necessariò pro infinito tempore imaginario durare necessitate secundum quid, & ex suppositione, quod Deus creasset illam ab æterno. Sicut enim cū creatura est, non potest nō esse, nec tunc potest annihilari; aliàs simul esset, & nō esset: quod implicat cōtradictionem, neque hoc arguit esse ens simpliciter necessarium, & penitus indefectibile; sed solum secundum quid, & ex suppositione, quod sit: ita si poneretur creatura esse

ab æterno, necessarium esset, illam habere æternam durationem, neque posset ab æterno annihilari: non tamen hoc argueret esse ens simpliciter necessarium, & penitus indefectibile; sed solum secundum quid, & ex suppositione, quod esset ab æterno. Ad confirmationem dicimus, quod si creatura produceretur ab æterno, posset ab æterno operari operationes permanentes, vt sunt intellectiones, & volitiones; quia, cum duratio intrinseca harum operationū nō sit tempus, sed æuum, nihil impedit, quo minus hæ operationes fiāt ab æterno, & ante omne tempus; non tamen posset operari operationes successiuas, & diuisibiles in partes priores, & posteriores, vt sunt omnes, quæ in prædicta cōfirmatione numerantur; quia, cū earum intrinseca duratio sit tempus, implicat, quod habeant esse ab æterno, & ante omne tempus.

20. Circa modum loquendi aduertendum est, ex Gregorio in 2. d. 1. q. 3. ad primū, melius dici, rem permanentem potentia Dei absoluta potuisse esse ab æterno, quam potuisse esse æternam; nam illud solum significat possibilem coexistentiam creaturæ permanentis cū æternitate: illud vero videri posset indicare creaturæ permanenti posse communicari intrinsecam æternitatem, quæ soli Deo potest conuenire.

SE-

SECTIO II.

*Explicatur, an res successiuæ potentia Dei absoluta potuerint esse ab æterno?*

21. RES successiuas potentia Dei absoluta potuisse esse ab æterno, affirmant non pauci Theologi; qui, vt Aristoteli faueant, voluerunt defendere, nō repugnare mūdum fieri ab æterno eo pacto, quo Aristoteles docuit de facto fuisse, scilicet, cum motu, & generationum successione. Hi sunt Caietanus 1. p. q. 46. art. 2. & ibidem Nazarius, Capreolus in 2. d. 1. q. 1. Gregorius, & Egidius ibidem, Herbæus quodlib. 9. q. 3. Ferrara hic q. 3. Pererius lib. 1. 5. cap. 13. Iabellus hic q. 14. Vazquez tomo 1. super primam partē q. 46. art. 2. Patres Carmelitani disp. 29. q. 4. Caberustract. vlt. dub. 3. & 4. Tartaretus hic q. 1. dub. 2. conclusionē 2. Et tribuitur D. Thomæ opusculo 27. de æternitate mundi, & in 2. d. 1. q. 1. art. 5. vbi affirmat, possibilem esse mūdi æternitatem quoad omnes rerum species, & earum mutationes, vna dumtaxat humana specie excepta: & q. 3. de potentia artic. 14. & 17. ad 17. vbi, cū proposuisset quoddam argumentum ad probandum motum circularem fuisse de facto ab æterno, postea in solutione illius sic loquitur: *Ad decimumseptimum dicendum*

*est, quod illa ratio non probat, quod motus semper fuerit, sed quod motus circularis possit esse semper.* Et 1. p. q. 46. artic. 2. vbi non solum docet, non posse ratione naturali demonstrari mūdum non fuisse ab æterno; sed etiam in responione ad septimum solvit omnia argumenta ex successiuâ rerum generatione petita. Verum est, non omnes ex his auctoribus vniuersaliter loqui; nam D. Thomas, Caietanus, Nazarius, Capreolus, Iabellus, & Patres Carmelitani excipiunt humanam propaginem. Vazquez autem excipit non solum humanam propaginem, sed etiam quamcūque seriem generationum se succedentium. Imò omnes excipiunt motum localem rectum, quando fit sine reflexione.

22. Suaderi solet hæc sententia aliquibus rationibus. Prima est, Deus potest producere motum circularem, vel rectum reflexum; & similiter generationum successione; quæ duret in æternum à parte post: ergo etiam poterit producere motum circularem, vel rectum reflexum, & similiter generationum successione, quæ durauerit ab æterno à parte antè. Confirmatur, quia nos absque implicatione, imò cū fundamento in re imaginamur tempus æternum à parte antè: (nō enim assignari potest per nostram imaginationem tempus, ita anterius, in quo Deus mundum

N 2 dum

dum creauit, quin assignari possit absque implicatione, imò cum fundamento in re, aliud tempus anterius, & aliud anterius usque in infinitum, in quibus potuisset Deus ipsum mundum creare, si voluisset) ergo nulla est implicatio, sed potius erit fundamentum in re ad affirmandum potuisse Deum producere motum circularē, vel rectum reflexum; & similiter generationum successionē infinito tempore antequā modo produxit, & consequenter ab æterno.

23 Secunda ratio, nō repugnat, cælum (cū sit quid permanens) ab æterno fuisse procreatum: ergo neque repugnabit ab æterno fuisse motū cæli. Probo. consequentiam; quia in eo euentu, vel cælum ab æterno moueretur: & sic habetur intentū, vel quiesceret: & tunc licet actu non moueretur ab æterno, potuisset tamē ab æterno moueri; quia quiesceret quiete priuatiua; siquidem natura sua esset mobile, & adesse ibi infinitum tempus imaginarium, in cuius latitudine posset tot circulationibus moueri, vt ante quālibet prius esset alia, & sic in infinitū, ita vt omnes illæ circulationes. corponderēt illi tempori; & cōsumerēt totā illam infinitam latitudinem.

24 Tertia ratio, nō repugnat dari motum circularē ab æterno: ergo nec rectum reflexum. Antecedens patet; quia, cū

tam primū mobile, quā linea super quā moueretur, sint circularia, nō habēt principium, neque finē; quia in circulo nō est accipere principium, & finem actu; & duratio motus potest sequi mēsuram corporis, quod mouetur, & lineæ super quam mouetur. Cōsequētia probatur; quia sicut in linea circulari potest idem corpus deuolui in infinitū, ita & in recta, non quidē per vnum, & eūdem motum continuū, sed per diuersos reflexos; quatenus motus inde incipit, vbi alius desinit; & illinc reflectitur, vndē alius incipit, & sic in infinitum à parte antē.

25 Probabilius tamen est, implicare cōtradictionem, quod aliqua res successiua sit ab æterno producta: & cōsequēter nō potuisse adhuc potētia Dei absoluta, mundum fuisse ab æterno eo pacto, quo Aristotel. docuit de facto fuisse ab æterno, scilicet, cū motu, & generationū successionē. Hæc est sentētia Scoti in 2. d. 1. q. 3. quæ cōmuniter discipuli sequuntur, Smissing tract. 3. disp. 7. de potentia Dei q. 5. n. 83. & præter auctores, qui (vt sectione præcedenti vidimus) absolute negant potuisse aliquā creaturā, etiam permanentem, fieri ab æterno, tenent hanc nostrā sententiam Durandus in 2. d. 1. q. 1. & 3. Bañez 1. p. q. 46. art. 1. Sotus hic quæst. 2. Rubius capite 2. quæst. 3. & 4. Hurtado disput. 18. Physicæ, Suarez in Me-

Metaph. disp. 29. sect. 1. n. 9. & 35. & neotheici Thomistæ, qui putant esse sententiam D. Thomæ, & in ipsam magis inclinant Combricenses hic cap. 2. q. 7. art. 2. & 4.

26 Probari potest hæc nostra sententia efficacibus rationibus. Prima desumpta est ex natura rerum successiuarum: est enim de intrinseca ratione rerū successiuarum (vt sunt motus, & tempus) cōstare partibus prioribus, & posterioribus: sed implicationē inuoluit, quod pars posterior sit ab æterno: ergo etiā inuoluet cōtradictionem, quod res successiua ab æterno sint. Cōfirmatur, & declaratur vis huius rationis: implicat imaginari (quāto magis esse) rem successiuam sine parte posteriori: (aliās nō esset de intrinseca ratione rei successiua habere partes priores, & posteriores) ergo si implicat partem posteriorem esse ab æterno, etiam implicabit esse ab æterno rem successiuam; quæ non solum esse verum, sed neque imaginarium potest habere sine parte posteriori.

27 Secunda ratio est (& quæ etiam desumpta est ex natura rerum successiuarum) id, quod ab æterno producitur, simpliciter necessariū est abstrahere à duratione tēporali: aliās potius in tēpore, quā in æternitate productū erit. Sed implicat cōtradictionē res successiua à duratione tēporali ab-

strahere; quia sunt vel ipsa duratio tēporalis, vel motus, quibus ipsa duratio temporalis est intrinseca, & inseparabilis: ergo etiam implicabit cōtradictionē, res successiua ab æterno, & antecedēter ad omne tēpus produci. Et hinc colliges discrimen rerū permanentium à successiuis, quantum ad hoc; quod est posse, vel nō posse ab æterno produci; nam, cū res permanentes nō habeant partes priores, & posteriores: & in super earum intrinseca duratio non sit tempus, sed æuum; duræ rationes adductæ quāto efficaces sunt ad probandum implicare cōtradictionē res successiua ab æterno produci; tāto sunt debiles ad idem de rebus permanentibus suadendū.

28 Tertia ratio specialiter procedit contra seriem pluriū rerum, seu generationum discretē sibi ab æterno succedentiū. Dupliciter enim potest intelligi hæc æterna series, seu successio rerū, & generationū. Primò, ita vt homines, v. gr. nunc existētes geniti sint à suis parētibus, & hi rursus ab alijs, & sic semper vterius. nūquā deueniendo ad primos aliquos homines, qui non sint geniti ab alijs. Et quāuis hic modus supponatur esse de mente Aristotelis: tamen à nullo Catholico potest amplecti; nam supponit possibilē fuisse seriem, seu successionē hominū, & quod non habuerit aliquod primū prin-

cipium, quod est error in fide. Imò videtur esse cōtra ipsummet Aristotelem, qui capite 5. huius libri, & lib. 2. cap. 4. inde probat dari vnum primum motorem immobilem, nimirū; quia res, nec casu esse possunt, neque ab infinitis per se subordinatis pendere, quod in proposito contingeret; nam Petrus, v. gr. per se pendet ab omnibus suis progenitoribus, ita vt, nisi omnes præextitissent, & successiuè concurrissent ad generationem, nō posset Petrus existere: hic enim existere non posset, nisi extitisset eius parens; nec eius parens posset existere, nisi extitisset eius auus: & de auo. recidit idem argumentum; & sic de reliquis, in quorum vltimo numquam susteretur, sed ibitur sine fine.

29. Secundò potest intelligi hæc æterna rerum successio, & generationum, ita vt Deus crearet ab æterno marem, & foeminam, v. gr. in specie humana Adamum, & Euam, qui postea per totam æternitatem tempore infinito successiuè infinitos filios genuissent. Hunc modum excogitauerūt aliqui videntes prioris absurditatem: sed etiā esse impossibilem facile ostendi potest; nam ex vna parte signantur primi homines, & ex alia vltimi hodie geniti: ergo omnes non sunt infiniti; vt necessariò debebāt esse in hypothesi, quod illi pri-

mi homines ab æterno genuissent. Nec satisfaciunt, qui dicunt, quod in prædicta hypothesi Adamus esset primus extrinsecè, seu negatiuè; quia ipse non includeretur in multitudine infinita, nec determinaret post se secundum hominē; nam certè multitudo illa hominum includēs etiā Adam: esset ab æterno, & consequenter infinita: ergo Adamus esset prius illius multitudinis intrinsecè, & positiuè, vt potè inclusus in illa multitudine æterna, & infinita. Dicere autem, quod Adamus nō determinaret post se secundum hominem, est figmentum ad fugiendum vni argumenti excogitatum: siquidem Adamus generaret filios non in confusō, sed distinctè, & ordinatè vnum post alium: ergo posset determinare, & assignare, quis esset eius filius primogenitus, & quis secundus, & sic de reliquis.

30. Et confirmatur primò; nā ante omnes generationes, filiosque genitos Adamus, & Eva aliquo tēpore extitissent: ergo nullatenus generassent ab æterno. Antecedens patet; quia post creationē Adami, & Euz debet mediare cōceptus, & formatio foetus in vtero Euz, ita vt post nouem menses sequeretur partus. Nec valet dicere, ante quemlibet filium distributiuè præiisse tempus illud cōceptionis, & gestationis in vtero, sed non ante omnes col-

lectiuè. Sicut (inquiunt aduersarij) si hominum successio esset in æternum duratura, post quemlibet conceptum, distributiuè sequeretur partus: nullus autem posset assignari partus post omnes conceptus collectiuè sumptos. Hoc, inquā, non valet; nam sicut iununtur omnes filij collectiuè; ita etiā sumuntur omnes conceptus, & dispositiones ad partum collectiuè; & tunc dicere oportet, hæc fuisse ante filios genitos; non quidem quasi prius simul omnes conceptus, & dispositiones sint, & postea natiuitates filiorum; sed quia ita permixta fuissent, vt semper ante cuiusque filij natiuitatem præcessisset conceptio, & dispositio: quod sufficiens est ad asserendum non potuisse seriem, seu successionem natiuitatum filiorum esse ab æterno. Instantia autem de successione hominum, quæ esset in æternum duratura, si benè perpendatur, potius est contra aduersarios: si enim in successione hominum æterna a parte post, non potest assignari partus post omnes cōceptus collectiuè sumptos; hoc est, quia successio hominum æterna a parte post est infinita in potentia: & sic non potest poni actu collectio omnium conceptuum; cum posita quacumque collectione conceptuum, adhuc restent in potentia infiniti alij cōceptus. Quod si fingetemus in suc-

cessione hominum, quæ in æternum esset duratura, omnes conceptus, & partus actu esse positos (sicut necessariò fatendum est de cōceptibus, & partibus, qui includuntur in serie, seu successione hominum, quam fingunt aduersarij æternam a parte antè) affirmādum esset dari vltimum partū post omnes illos conceptus collectiuè sumptos; non secus, ac affirmamus dari primum cōceptum ante omnes partus collectiuè sumptos in serie generationum, quæ fingitur ab aduersarijs æterna a parte ante: & consequenter implicare, quod series, & successio generationum esset infinita, & æterna a parte post; non secus, ac affirmamus implicare contradictionem, quod sit infinita, & æterna a parte antè.

31. Confirmatur secundò, quia vel Eva creata fuisset ab æterno actu pariens: vel nō? si actu pariens: ergo non per conceptum ex Adamo nouem menses; vt supponimus esse debuisse: & insuper ille actus pariendi duraret necessariò per totam æternitatem: & consequenter nō esset successius; (de quo nunc est cōtrouersia) sed permanens per totā æternitatem: Si non actu pariens: ergo in eodem statu duraret per totam æternitatem: & consequenter non parturiret ab æterno.

32. Quarta ratio: implicat in-

finitum successiue pertransiri, atque finiri: sed si res successiue essent ab æterno, daretur infinitum successiue trãsitum, atque finitum: ergo implicat, res successiuas ab æterno esse. Maior est Aristotelis, qui libro 3. huius operis sic infinitum definit, *infinitum igitur est, cuius, qui ratione magnitudinis aliquid sumunt, his semper aliquid licet extra accipere.* Minor v erò est manifesta; nam si res successiuæ ab æterno essent, infinitæ generationes, & infinitæ circulationes primi mobilis, & infiniti dies essent successiue pertransita, atque finita. Hanc rationem concludere censet Scotus lococitato: & dicit posse confirmari instantia lineæ conuersæ: si enim aliqua linea esset protensa in infinitum incipiens ab hoc puncto A, non esset possibile, quòd successiue, & per partes illam pertransiret, atque finiret: ergo idem dicendum est è conuerso imaginando lineam quasi acceptam in præteritum, non videtur possibile, quòd sit actus accepta vsque ad A: eadem enim via itur Athenis Thebas, & Thebis Athenas.

33 Quinta, & vltima ratio est ad hominem. In sententia D. Thomæ, & eorum, qui partem contrariam tuentur, implicat contradictionem dari infinitum in actu: sed si res successiuæ essent ab æterno, daretur infinitum in actu: ergo stando in istorum principijs sustineri nõ

potest, absque implicatione valuisse fieri ab æterno res successiuas. Minor, in qua esse poterat difficultas, probatur; nam si res successiuæ (vt sunt, v. gr. generationes hominum) essent ab æterno, essent geniti infiniti homines, qui etsi nunc actu nõ manerent, manerent saltem infinitæ eorum animæ separatae, quæ immortales sunt, & vna non transit in corpus alterius.

34 Hæc ratio adeò efficax est contra sustinentes implicari infinitum in actu, vt eius efficacitate cõuicti D. Thomas, & alij, quos numero 19. citauimus, coacti sint excipere à generali assertionem (qua sustinebant, res successiuas potuisse diuinitus esse ab æterno) hominum generationes. Sed certè eadem ratione coguntur excipere seriem generationum cuiuscumque alterius speciei: siquidem sicut formæ humanæ separatae naturaliter durant; ita reliquæ aliæ formæ possent per Dei potentiam separatae conseruari: & sic essent modò infinitæ in actu. Imò eadem ratione coguntur excipere motum, & tempus; nam si reuolutiones primi mobilis, & tempus, quod est ipsarum duratio, essent ab æterno, nunc essent transactæ infinitæ reuolutiones, & infiniti dies; in quorum quolibet si Deus creasset vnum Angelum, essent nunc actu infiniti Angeli. Nec valet, quod aliqui ad hoc vltimum respõ-

dent;

dent, nimirum, quòd si Deus vellet in qualibet reuolutione primi mobilis, vel in quolibet die creare vnum Angelum, teneretur Deus alium ex iam creatis annihilare. Nam vnde (quæso) constat hoc? aut quid conducit annihilatio Angeli præexistentis ad creationem subsequenti? solum ergo hoc videtur cõfictum ad fugiendum inconueniens de infinito in actu, quod ex positione rerum successiuarum ab æterno manifestè infertur.

35 Sed iam rationibus contrariũ adductis satisfaciamus. Ad primam respondemus, non posse non mirari, quòd aduersarij ex possibilitate æternitatis à parte post motus circularis, vel recti reflexi, & generationum se mutuo succedentium velint inferre possibilitatem eorundem à parte ante; cum adeò notissimum sit discrimen. Nam ex possibilitate æternitatis illorum à parte post solum sequatur prædictos motus, & generationum successionem posse esse infinita in potentia: in quo nulla est implicatio: at verò ex illorum possibilitate æternitatis à parte ante sequatur infinitum motum circularem, vel rectum, reflectum; & similiter infinitas generationes se mutuo succedentes, non solum actu fuisse posita in rerum natura; sed etiam actu fuisse successiue pertransita, atque finita, quod

manifestam inuoluit implicationem.

36 In eadem allucinatione versantur aduersarij, dum in confirmatione ex tempore, quod nos imaginamur æternum à parte ante absque implicatione, imò cum fundamentò in re, intendunt inferre potuisse Deum absque implicatione, imò cum fundamentò in re producere motum circularem, vel rectum reflexum; & similiter generationum successionem infinito tempore, antequam mundum produxisset; & consequenter ab æterno. Nam imaginatio nostra temporis æterni à parte ante solum fundatur in infinitudine in potentia, quæ est in nostro reali tempore secundum extensionem à parte ante: in quo nulla est repugnantia; imò est quid contentaneum naturæ nostri temporis: at posse Deum producere motum circularem, vel rectum reflexum, & similiter generationum successionem infinito tempore, antequam mundum produxit; & consequenter ab æterno, requirit infinitum tempus reale, non solum actu positum in rerum natura, sed etiam successiue pertransitum, atque finitum, quod est manifesta implicatio.

37 Ad secundam cõcesso antecessèti negamus cõsequentiã. Ad probationem dicimus, in hypothesi, quòd Deus creasset ceterum

ab

ab æterno, prædictum cælum ab æterno quiescere; nō quiete priuatiua (vt argumentum supponit) sed negatiua: licet enim cælū naturā suā sit mobile; sed nō in duratione æternā; quia hæc repugnat motui, sed in duratione tēporali, quæ est intrinseca, & inseparabilis à motu. Neque obstat, quod in æternitate sit infinitum tempus imaginariū; nam hoc (vt supra dicebamus) solum arguit in tempore reali, & in motibus infinitatem in potentia à parte antè; quæ in hoc consistit, vt non possit dari motus, vel tempus reale, ita antè, quin possit dari alius motus, & tempus reale antè, & antè vtque in infinitum: implicat autem infinitum in potentia successiuè, & consequenter per partes finitas, ad actum reduci; quia *ab infinito si finita demas semper remanet infinitum*; vt exemplificari potest in infinitudine in potètia, quæ est in motibus, & in tempore secundum extensionem à parte post.

38 Ad tertiam fatemur, quod si non repugnaret dari motum circulare ab æterno, neque repugnaret dari motum rectū reflexum; quia (vt argumentum obijcit) sicut in linea circulari potest idem corpus deuolui in infinitum, ita in linea recta, non quidem per vnum, & eundem motum continuū, sed per diuersos reflexos: negamus tamen dari posse mo-

tum circulare ab æterno. Et ad probationē dicimus, quod etiam si motus circularis non haberet actu principium, aut finem, neque ex parte mobilis, neque ex parte lineæ, super quam mouetur, eo quod totū mobile, & super totam lineam simul moueatur, haberet tamē principium durationis, scilicet, illud instans extrinsecum, in quo verificaretur, nunc non est motus circularis, & tempore immediato erit. Neque quoad hoc duratio motus potest sequi mensuram corporis, quod mouetur, & lineæ super quā mouetur: aliās nullus motus circularis habere posset principium, & finem durationis, quod est absurdum.

### QVÆSTIO V.

*Vtrum mundus sit in æternum duraturus?*

1 **N**ON defuerunt Philosophi ex antiquis, qui mundum hunc affirmauerint esse ex se, & natura sua dissolubilem, & corruptibilem; nihilominus beneficio Dei fore in æternum duraturum. Tribuitur hæc sententia Platoni in Timæo. Sed Alcinos libro de doct. Platonis capite 10 refert Platonem fecisse mundum ex se, & natura sua morbi, & Senij expertem; quia in eo nihil cedit, à quo secundum naturam corrumpi possit.

2 Stoici

2 Stoici vero, (vt refert Eusebius lib. 15. de præparatione Euangelica) non solum affirmabant mundum ex se, & natura sua esse dissolubilem, & corruptibilem, sed etiam de facto aliquando dissoluendū, & corrumpendum fore actione ignis indelineret humorem aliorū corporum exiccantis, & hinc cecinit Ouidius libro 1. Metamorph. *Esse quoque in fatis remiscitur assero tempus, quo mare, quo tellus, corruptaque regia cæli, ardeat, & mundi moles operosa laborer.*

3 Ex aduerso Arist. sicut voluit mundum, qualis nunc est, (scilicet, cum motu, & generationum successione) semper, & ab æterno fuisse, ita consequenter docuit lib. de mundo ad Alexandrum, nō solum ex se, & natura sua esse indissolubilem, & incorruptibilem, sed etiam de facto fore, qualis nunc est (scilicet, cum motu, & generationum successione) in æternum duraturum. Imo potiori fundamento id potuit asserere; nam impossibilia, quæ inferebamus quæst. præcedenti sect. 2. ex eo quod mundus fuisset secundum res successiuas ab æterno; (scilicet, quod daretur infinitum in actu successiuè, & per partes finitas per transitum) non solum non militant contra asserentes mundum, qualis nunc est, fore in æternum duraturum, sed potius eorum placitum confir-

mant. Nam ex eo, quod mundus, qualis nunc est, sit in æternum duraturus, quod inferitur solum est in motu, & generationum successione dari infinitum in potentia, quæ infinitas, cum non possit successiuè, & per partes pertransiri, manifestè inferitur (quantum est ex hoc capite) mundum, qualis nunc est (scilicet, cum motu, & generationum successione) fore in æternum duraturum.

4 Doctores vero Catholici plura dicunt. Primò, cū Arist. affirmant mundum, qualis nunc est (scilicet, cum motu, & generationum successione) ab intrinseco, & natura sua petere in æternum durare. Cuius ratio est, quia præter corpora cælestia, (quæ natura sua sunt incorruptibilia, & quæ intelligentiarum virtute possunt in perpetuum eodem constanti ordine volui, seu circulariter moueri) omnia corpora inferiora, quæ generationis, & corruptionis sunt capacia constant materia prima, quæ pariter est incorruptibilis, ita vt neque in totum, neque in minutissima parte destrui, aut corrumpi possit, & ex alia parte, cum hæc materia prima nō possit naturaliter omni forma priuari; quia agens naturale nō expellit priorem formam, nisi nouam induendo, naturali necessitate debet hæc tota massa materiæ primæ per successiuas generationes, & corrup-

ruptiones informatæ aliqua forma in perpetuum permanere, & sine fine durare.

5 Id autem, quod ex Stoicis refertur, scilicet, posse naturaliter vnum aliquod ex elementis, scilicet, ignem, reliqua omnia in se conuertere, fierique tamen totum mundum igneum, falsum omnino est. Nam elementa, ita sunt ab auctore naturæ commensurata, atque disposita, vt licet vnum in alterum agat, etiam vicissim in agendo ab alio repatiatur, nullumque ex toto alteri cedat, vincique finat. Si enim possit aliquando ignis omnia incendere, iam pridem in tot annorum millibus omnia concremasset, incipiendo ab aere sibi contiguo: vel saltem nunc res apparerent exiccatae, & magis, ac magis ad combustionem dispositæ, quod non apparet, & sanè non fuisset hæc mundi machina rectè ab auctore naturæ constituta, si vnum aliquod elementum tanti vigoris, & excessus supra alia conditum fuisset, vt tandè esset reliqua omnia consumpturum, vt latè prosequitur Arist. lib. 6. de mundo ad Alexandrum.

6 Secundò docent, mundum posse per diuinam potentiam penitus destrui, & ad nihilum redigi. Quæ conclusio, etsi non fuerit agnita ab illis Philosophis, qui, vt vidimus q. 1. huius disput. num. 1. asseriebant, mundum, saltem, quoad primum

principium materiale, à nulla causa fuisse productum, sed se ipso naturaliter extitisse, qui pariter asserere tenebatur, mundum, saltem quoad hoc primum principium materiale fore necessàrio in æternum duraturum. Tamen apud Catholicos est certa de fide; colligitur enim, ex illo Machabæorum 2. *Ipse potest* (scilicet, Deus) *vniversum mundum vno nutu delere.* Et ex alijs infinitis locis Scripturæ, in quibus expressè asseritur summa dependentia à Deo omnium rerum creatarum, non solum, quoad esse, & fieri, sed etiam, quoad conseruari; nam, cum Deus sit agens liber, omnium rerum creatarum, etiam quoad primum principium materiale ipsarum, sicut liberè produxit, & conseruat mundum, ita liberè potest non conseruare, & consequenter totum mundum, & omnes res creatas, etiam quoad primum principium materiale penitus destruere, & ad nihilum redigere.

7 Tertiò asserunt tanquam de fide certum; in die iudicij mundum cessaturum, tam quoad motum cælorum, quam quoad successionem generationum, & corruptionum, & corporum mutationem, & de cessatione motus cælorum est illud Apocal. 10. *Et tempus non erit amplius.* Nam tempus comitatur motum, & præcipuè motum cælorum, & de cessatione successio-

cessionis generationum, & corruptionum; ratio desumitur, quia iuxta principia fidei, in die iudicij omnes homines mortui resurgent, & in æternum viuent, nunquam amplius morituri, neque in præsentibus habitaculo (in quo ad conseruationem specierum necessariè sunt successiue generationes, & corruptiones, & corporum mutationes) permanebunt, sed dånati in imis terræ carceribus recludentur, beati in summis cæli regionibus habitabunt. Et ad hanc immutationem spectat illud 1. Cor. 15. *Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et 1. Thet. 4. *Simul rapiemur in nubibus obuiam Christo in aere, & sic semper cum Domino erimus.* Et quia hæc humana res publica, seu status huius præsentis vitæ (qui per continuum motum cælorum, & successiuas generationes, & corruptiones, quoad species propagatur, & conseruatur, & in die iudicij finetur) in Scriptura sacra nomine mundi intelligitur, idè præcipuè in die iudicij dicitur futurus mundi finis, iuxta illud Matthæi 13. *In consummatione sæculi.* Non obstante, quòd (vt statim dicam) cæli, & elementa sint in æternum permansura; quo autem situ relinquendi sunt cæli, valde verisimile est, quod docet D. Tho. q. 5. de potent.

art. 5. ad 17. cælos relinquentes esse in tali situ, quo Sol correspondeat huic emispherio, in quo habitabit Christus Dominus. In quo proinde futura sit maior claritas; nequedè in alio emispherio erant perpetuæ tenebræ, & nox; nam Luna, quæ in alio emispherio correspondebit, illuminabit illud in tanta intensione, quam modo illuminat Sol, iuxta illud Isaia: *Erit lux Lune, sicut lux Solis, & lux Solis erit sempiternè.*

8 Quarto, & vltimò asserunt, in die iudicij non esse cælos, & terram, & alia duo elementa ignem, scilicet, & aquam annihilanda; ad nihilum redigenda, sed renouanda, & purificanda, & sic renouata, & purificata fore de facto in æternum permansura. Ita Scholastici in 4. dist. 47. & 48. & cum D. Tho. eius Expolitores 3. p. quæst. 59. & Expolitores Scripturæ circa initium Genesis, estque de mēte sanctorum Patrum Agustin. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 14. Gregor. lib. 17. moralium capite 5. Ansel. sup. 1. ad Hebræos. Irineo libro 4. contra Hæreses capite 6. Hieron. super Isaiam cap. 51. & 65. & aliorum frequenter. Et colligitur ex Scriptura, Ecclesiast. 3. *Omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum.* Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit,*

Et non preterit; & de renouatione cælorum specialiter est illud Isaïæ 30. *Erit lux Luna, sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplex.* Ergo, vt ponderat D. Hier. Luna, & Sol renouata, in luce, & splendore erunt post diem iudicij in æternum permantura. Et de perpetuitate terræ illud Ecclesiast. 1. *Terra in æternum stat.* Et vniuersaliter de omni creatura illud ad Roman. 8. *Expectatio creaturarum reuelatione Dei expectat, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis.*

9 Põtest præterea hæc veritas non leui congruentia suaderi. Nam, cum mundus ex natura sua (vt num. 8. probatum est) sit incorruptibilis, & aptus in perpetuum durare, congruum videtur, vt illum Deus in perpetuum conseruet, saltẽ, quoad illa corpora, quæ nobis mutationibus, & generationibus ad sui conseruationem non indigent. Licet enim corporeus hic mundus factus præcipuè sit propter hominum habitationem, & vsu, & post diem iudicij homines non sint pro sua habitatione, hoc mundo vsuri, tamen damnati debent in imò terræ detrudi; beati verò in summo cæli morari: ergo cælum, & terra manere debent, & consequenter elementa ignis, aquæ, & aërum intermedia; nam non est credibile remansurum esse vacuum, & innane totum spatium, quod

est inter cælum, & terram.

10 Sed licet huc vsque dicta inter Catholicos Doctores certa sint; est tamen non leue dubium apud ipsos, an renouatio, & purificatio, tam cælorũ, quàm elementorum, quæ facienda est in die extremi iudicij ministerio ignis iuxta illud Petri epist. 2. cap. 3. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruari in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum,* futura sit tantum accidentalis, an verò non solum accidentalis, sed etiam substantialis?

11 Communis cõsensus Patrum, qui vixerunt ante tempora Hieronymi, fuit, in die ultimo iudicij, non solum elementa terræ, aquæ, & aëris, sed etiam corpora cælestia fore igne comburenda, & alia excellentiora non solum, quoad accidentia, sed etiam quoad substantiam fore virtute diuina ex materia cælorum, & elementorum, quæ nunc est, generanda, quæ in perpetuum erunt duratura. Hos Patres refert, & sequitur Molina disput.

3. *de opere sex dierum,* & Pater Salmeron in cap. vlt. epist. 2. Diui Petri, & eam amplectitur Pater Petrus Hurtado disput. 3. *de opere sex dierum* sect. 7. qui in fine addit, hæc noua corpora cælestia, & elementa futura esse diuersa in specie ab ijs, quæ modo sunt.

12 Suaderi solet hæc sententia ali-

aliquibus locis Scripturæ. Isaï. 65. *Ego creo celos novos, & terram nouam.* Apocal. 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam.* Et D. Petrus epist. 2. cap. vlt. *Nouos cælos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt cæli; & peribunt, tu autem permanebis.* Matthæi 24. *Cælum, & terra transibunt, v. rba autem mea non transibunt.* Et D. Petrus loco citato: *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruari in diem iudicij, & paulò inferius, adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transibunt, elementa vero calore soluentur, terra autem, & que in ipsa sunt opera exurentur: Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse? &c.* Nam transitus cælorum, & elementorum solutio, & exustio terræ planè videntur denotare, non solum accidentalem, sed etiam substantialem corruptionem.

13 E contrario verò à temporibus D. Hieron. communiter Patres, & Doctores affirmant, neque corpora cælestia, neque quatuor elementa fore in die extremi iudicij substantialiter corrupenda, & alia diuersa in specie ex ipsorum materia diuina virtute generanda, sed solum, transiente eorum substantia, & essentia, fore accidentaliter renouanda, & perficienda, v. gr. cæli, & ipsorum astra erunt nouo, & maiori splendore illustranda, iuxta il-

lud Isaïæ 30. *Erit lux Luna, sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplex.* Elementa verò per ignem, non naturaliter exiccaturum, sed diuina virtute immutandum, purgabuntur ab omnibus sordibus, & impuritatibus, ac reponentur in sua naturali dispositione, & consequenter eximia quadam luce; & claritate à corporibus cælestibus communicata, sibi que etiã indita fulgebunt. Ita inter alios sentiunt D. Hieronymus multis in locis, sed potissimè super caput 65. Isaïæ. D. August. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 14. 16. 18. & 24. D. Gregorius lib. 17. moralium cap. 5. Beda in præfatione ad epist. D. Petri. Genadius de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 70. Primasius in cap. 1. epist. ad Hebræos, Anselmus in cap. 2. ad Hebræos, & in Apocalyp. Ireneus lib. 4. contra hæreses cap. 6. Epiphanius hæresi 64. citans Proclũ, & Methodium. Et Scholasticus in 4. dist. 47. & 48. & quatuor Scorus in terminis non exagitat hanc quæstionem, tamen in dist. 47. quæst. 2. vbi agit de modo, quo mundus est purgandus per ignem, vt certum, & induitatum supponit huc vltimum modum philosophandi, cui ego magis adhareo. 14. Primo, quia ponendo in die extremi iudicij corpora cælestia, & elementa esse substantialiter per ignem corrupenda, & alia distincta specie

ex materia ipsorum diuina virtute generanda, egrè sanè saluantur locutiones Scripturæ, quibus supra num. 8. comprobauimus; corpora caelestia, & quatuor elementa quæ nunc sunt, fore (licet renouata, & purificata) in æternum permansura. Secundo, quia loca Scripturæ, quæ adducta sunt pro opposita sententia, possunt optimè exponi de renouatione, non substantiali, sed tantum accidentali, vt discurrendo per singula erit manifestum.

15 Ad tres priores auctoritates Isaïæ, Apocalyp. & D. Petri respondetur, quod cum corpora caelestia sint in die extremi iudicij nouo, & maiori splendore illustranda, & elementa per ignem ab omnibus fordibus, & impuritatibus purganda, optimè posse (non obstante, quod maneant eadem in substantia, & in essentia) appellari nouos cælos, & nouam terram, sicut in prædictis locis Scripturæ appellantur.

16 Ad 4. & 5. auctoritatē desumptam ex Psal. 101. & Matthæi. 24. optimè respondet Hieronymus; cælos dici perituros, & transituros à statu præsentis, non quoad substantiam, sed quoad motū, & alias operationes, quæ nunc exercent in hæc inferiora. Et eodem pacto debet intelligi illa auctoritas Isaïæ 34. *Tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur, sicut liber cæli, & om-*

*nis militia eorum defluet, sicut defluit solum de vinea; & capite; i. Cæli, sicut fumus liquecent, & terra, sicut vestimentum atteretur.* Hæc enim sunt locutiones metaphoricæ, & solum denotant, quod cæli non amplius mouebuntur, & stellæ desinēt amplius influere, & operari, & obscurabuntur in ipso extremo tempore, ita, vt protunc non appareant, sicut dicitur: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum; & Ecclesiast. 17. Quid lucidius Sole? hic deficiet, scilicet, quoad sue lucis ostensionem.* Tamen tractato die iudicij corpora hæc cælestia, & omnia alia maiori erunt lumine decoranda.

17 Ad auctoritates Diui Petri vltimo loco adductæ, vt respondeamus, annotandum est cum D. Hieronymo, August. & alijs Patribus in prædictis auctoritatibus nomine cælorum, non intelligi corpora cælestia, sed regionem æream, vt sæpè alias, intelligitur in Scriptura: *Volucres cæli, & pisces maris.* Et præsertim in his locis Diui Petri, cum loquatur per antithesim, dicens, hunc mūdum, sicut olim fuit aquis diluuij immersus, ita fore in die iudicij iterum igne purgandum. Et intelligendo in his auctoritatibus D. Petri nomine cælorum hanc regionem æream, facile respondemus, cælos, & terram dici, igni reseruata, non ad talem consummationem, sed

sed ad purgationem incrementorum; & quod cæli magno impetu transiunt, id est, aëre velocissimo motu rapietur, & ignis vigore ab incrementis purgabitur; item cæli ardentes soluentur, id est, aëreæ regiones ignis ardore mundabuntur: terra au-

tem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur, id est, terra, quoad hanc extremam superficiē, & quoad opera in ipsa inuenta, igne corripietur, vt ita tandem hic mundus in statu conuenienti, & proporcionado in æternum sine fine permaneat.

## DISPUTATIO SECVNDA,

### De motu proiectorum.

**N**OMINE proiectorum, quorum motus hic examinandus venit, intelligimus illa corpora, quæ mouentur localiter, non per virtutem sibi innatam, vt mouentur grauia, & leuia ad sua loca naturalia, sed ab aliqua causa extrinseca ipsa corpora impetu quodam à se expellente, & proiciente, qui motus communiter dicitur violentus, non quia non possit commoueri, etiam ad locum naturalem, (quid enim vetat lapidem impelli deorsum) sed quia fit ab agente extrinseco, & vt in plurimum contra inclinationem passiuam corporis, quod impellitur, seu proicitur, de quo aliquid disputat Aristot. cap. 10. huius libri. Sunt autem septem, quæ de motu proiectorum examinari possunt. Primum, quid sit causa efficiens proxima, & immediata motus proiectorum? Secundum, quid sit impulsus? Tertium, quomodo producaturs impulsus? Quartum, à quo, & quomodo corrumpatur impulsus? Quintum, à quo moueantur proiecta, quando resiliunt? Sextum, vtrum proiecta in puncto reflexionis necessariò quiescant quiete priuatiua? Septimum, quare motus naturalis sit velocior in fine, quam in principio, & motus violentus velocior in medio, quam in principio, & sine?



## QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit causa efficiens proxima, & immediata motus projectorum?*

**N**ullus dubitat, motum projectorum attribui inter causas secundas ipsi proijcienti, tanquam primæ, & principali causæ huius motus: sed quia motus projectorum exercetur, etiam quâdo proijciens longè à se proiecit mobile, nil amplius actualiter operans post primum iactum, vel impulsam, ideò inquisitione dignum est, quid sit causâ efficiens proxima, & immediata motus projectorum toto illo tempore, quo durat motus, & mobile est distans à proijciente, & proijciens nihil operatur circa prædictum mobile? Nã, ut rectè annotauit Aristot. cap. 10. huius lib. nõ satisfacit huic difficultati, qui dixerit huiusmodi corpora ab aère tergum vergente cieri, hærebit namque eadem rursus quæstio, qua vi aër ille proximus nullo tergente moueat projectum.

2. Pererius lib. 14. cap. 4 & 5. pro viribus conatur defendere motum projectorum proxime, & immediatè non prouenire ab aliqua virtute ipsis proiectis à proijcientibus impressa, sed à medio, scilicet, aère per

quod mouentur, quod ex mente Arist. in hoc lib. cap. 10. sic declarat. Quâdo aliquis manu sursum proijcit lapidè, id, quod primo mouet manus, est prima pars mediij, per quod fit iactus, scilicet, aëris sibi attiguâ, deinde prima pars aëris sic mota aliâ sibi vicinam pellit, & ista aliâ, donec ea, quæ lapidi coheret, ipsum lapidè vehat; incipere autè motum proiecti corporis languescere, cū vis mouendi partibus aëris impressa deficere incipit, & omninò cessare motum, cum prædicta vis euauit, id est, cum tanta esse desinit, quanta ad mobile ulterius promouendum requiritur.

3. Probari potest hæc sententiâ 1. auctoritatibus Arist. qui non solū cap. 10. huius lib. motum projectorum attribuit aëri, quo deferuntur proiecta, non verò alicui virtuti ipsis proiectis impressa; sed etiâ idem docet pluribus alijs locis, scilicet, 3. lib. de cælo, cap. 2. tex. 28. & in libello de insomnijs cap. 2. & de diuinit. per somniū cap. 2. & in problematibus sect. 11. problem. 6. & in quæst. mechanicis q. 33. imò lib. 4. Phys. tex. 68. negat in vacuo fieri posse mo-

motum violentum, quod negare nõ possit, si existimaret, proiecta moueri à proijciere medio impulsu, seu virtute in eis impressa; & confirmari potest auctoritate antiquorū Peripateticorū, qui videntur in hæc sententiâ cū Arist. cõspirare. Themistius in sua paraphrasi in lib. de insomnijs, & Simplicius ad text. 82. huius lib. & ibidem Auerroes in digressione de motu projectorum, & D. Tho. 3. de cælo lect. 7. & plures alij.

4. Secundo probari potest; quia difficillimū est explicare, quid sit hæc virtus impressa proiectis à proijcientibus, quæ fingitur causa efficiens proxima, & immediata motus projectorum; nec minus facilè est declarare, quo modo prædicta virtus impressa producat; & demū videtur imperceptibile, à quo, & quomodo prædicta virtus semel impressa proiectis corrupti possit, quas difficultates effugiunt auctores huius sententiæ negando dari talè virtutè impressam proiectis à proijcientibus, quæ sit causa efficiens proxima, & immediata motus projectorum, & affirmando cū Arist. & alijs Peripateticis citaris, motum prouenire rãquã, à causa efficiente ab ipso medio, scilicet, ab aère, per quod mouentur eo modo, quo ab ipsis, imò ab Arist. n. 2. explicatū est.

5. Sed licet negari non possit, proiecta in suo motu aliquatulum iuari à medio, per quod

mouetur, tum propter auctoritates Arist. & Peripateticorum supra relatas, tum etiâ propter rationè, quã q. 7. huius disputationis adducemus, dū explicemus, quare motus violentus sit velotior in medio, quàm in principio, & fine. Nihilominus tenendū est cum communiore sententiâ, causam efficiētè motus projectorum proximã, & immediatã esse quandam virtutè motiuã impressam à proijcientibus ipsis proiectis, quæ communiter appellatur impulsus, seu impetus, eo quod causatur medio impulsu, quo vnū corpus ab alio localiter impellitur, vel impetitur. Ita Conimbricenses lib. 7. Phys. cap. 2. q. 1. art. 8. Magister Ioannes à S. Thoma q. 23. art. 2. qui citat pro ead. Tho. quæst. de anima art. 11. & q. 13. de potentia art. 11. ad 3. & ad locū D. Tho. adductū pro prima sententiâ ex 3. de cælo lect. 7. benè respondet, solū negare D. Tho. in proiectis virtutè motiuam permanentè, & in esse quieto, sicut est in grauib, & leuib, nõ verò virtutè per modum transeuntis, & in actuali motione, qualis est in instrumētis artificialibus, quando assumuntur ab artifice ad aliquod opus artificiosum, & quia hæc virtus per modum transeuntis valdè assimilatur motui, ideò non obstare, quòd sit qualitas, appellari à D. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2. motū; Auerfa q. 40. sect. 6. vbi plures alios

auctores refert, qui in ipso videri possunt.

6 Ratio à priori est, quia cum lapis proiectus sursum moueatur, dū est separatus à proiiciēte, imò etiā si proiiciēs delineret esse in rerū natura, statim, ac proiicit lapidē, non potest negari præter virtutem motiuā, quæ est in proiiciēte, dari aliud principiu, seu aliā virtutem, à qua lapis in distātia, vel absentia proiicientis immediatē, & proximē moueatur, quæ cū nō possit esse virtus natua ipsius lapidis, necessariō fatendū erit esse aliquā virtutē impressā à proiiciēte ip̄i lapidi proiecto.

7 Quod si aliquis respōdeat; discursū factō probari optimē dari virtutem motiuā productā à proiiciente, quæ sit causa illius motus lapidis in distātia, vel absentia proiicientis, tamē virtutem istā motiuam nō suscipi, seu infundi in ipsum lapidē proiectū, sed in corpus ambiens, scilicet, aërem, vt prima sententia cum Arist. & antiquis Peripateticis affirmat. Contra hoc possumus multis vijs insurgere ad probandum prædictam virtutem, seu impulsū recipi, non solum in aërem ambiens, sed etiam, & præcipuē in ipsa corpora proiecta.

8 Primō, quia absque probabili ratione dicitur, non posse corpus, quod iacitur, recipere in se hanc virtutē, seu impulsū supposito, quod hæc receptio cōcedatur corporibus ambiē-

tibus, vt sunt aër, seu aqua; nam corpora, quæ proiiciuntur, cū solidiora sint, quā aër, & aqua habiliora sunt ad recipiēdū, & cōseruandū in se hanc virtutē, seu impulsū, quā aër, & aqua, à quibus ambiuntur, vt experiētia demōstrat; & difficultates n. 4. adductæ, quibus moti sunt auctores cōtrariæ sentētiæ ad negandū hanc virtutē, seu impulsū in corporib⁹ proiectis, aut nullæ sunt (vt quæst. sequent. ostēdemus) aut si vim habēt, æque militāt cōtra ipsos, cū admittant dari hanc virtutē motiuā, seu impulsū, saltē in corporibus ambientibus impressā.

9 Secūdo, si quis æqua vi impellat plumā, ac impellit paruū lapidē, pluma impulsā, nec tam vehementer, nec tam longē dimouetur, ac lapis, quorū motuū differētia, cū nō possit provenire à medio, scilicet, aëre, cū illa multō minus, quam hic resistat motioni aëris; proueniet absq; dubio ex differentia virtutis motiuæ, seu impulsus, receptæ in ipsi⁹ proiectis; nā cū lapis sit habilior ad recipiēdū, & cōseruandū impulsū, quā pluma, erit impulsus, seu virtus motiuā recepta in lapide magis intensā, & diuturna, quā recepta in pluma, & cōsequenter causat motū vehementiōrē, & longiōrē illo, qui reperitur in pluma.

10 Tertiō, quia sæpè cōtingit proiecta moueri cōtra vētū validū: ergo in tali casu aër medi⁹ potius erit principium im-

impediens motū rei proiectæ, quam illum causans. Deinde videmus sagitam moueri directē in scopum; sed aër medi⁹ cum sit faciē mobilis, modō in hanc, modō in illam fertur partem; non est ergo aër medi⁹ principium, à quo sagita proiecta fertur, & mouetur directē ad scopū. Item, cum aër sit corpus ita fluidum, & rarū, quo pacto, quæso, poterit mouere tanta velocitate, & vi tormentarios globos, qui mētia, & vrbes demoliuntur? aliam ergo virtutem fortioerem debemus assignare.

11 Quartō, & vltimō, Angeli dæmones impellunt violenter in hunc, vel illum locū, nō aliter, quā iniiciendo eis spirituale impulsū, quem certū est in corpore medio non recipi, si autē datur spiritualis impulsus in spiritibus proiectis impressus, non est, cur impulsus materialis in corporibus proiectis impressus denegetur: maximē cū impulsus, quo medio Angeli mouent caelestē spherā non spiritualis, sed materialis sit. Quibus accedit, Pererium, & eius sequaces nō posse affirmare dari posse motum proiectorum per vacuum, si daretur, cuius oppositum ex professo stabilimus libro 4. huius operis disp. 2. q. 2. sect. 1. & 2. vbi aliquas auctoritates Aristot. quæ videbantur probare, quod non posset dari motum per vacuū, si daretur, latē explicuimus.

12 Ad auctoritates Arist. n. 3. pro prima sententia adductas respōndetur, etsi Arist. in prædictis locis attribuat medio, scilicet, aëri, motū proiectorū; quia negari nō potest (vt supra n. 5. statuiimus) proiecta in suo motu aliquantulū iuari à medio, per quod mouentur, non tamen expressē affirmasse, solū medium, scilicet, aërem, esse causam eorū motus, nec rationabiliter id affirmare potuisset, cū experiētiæ supra adductæ ad sensum oppositū cōuincant, neq; etiā expressē negasse in corporibus proiectis aliquā virtutē motiuā à proiiciētib⁹ impressā, vi cuius moueatur, neque rationabiliter id negare potuisset, cū admittat in medio, scilicet, aëre hanc virtutē motiuā à proiicientibus impressā, vi cuius non solū mouetur, sed etiā partem aëris sibi attiguum impellit, vt n. 8. pōderauimus, præsertim cū proiiciens ex prima intentione solū intēdat hanc virtutē motiuam ipsis proiectis imprimere, non medio. Vndē in forma ad auctoritates Arist. ad impugnamdam nostram, & communem sententiam faciē respondeamus, esse argumētum desumptum ab auctoritate negatiua.

13 Ad vltimam auctoritatem Arist. adductam in cōtrarium, dicimus, non solū Arist. negasse lib. 4. Phys. in vacuo sumpto vacuo non priuariuē, quale est illud, quod est terminatū,

& comprehensum aliquo corpore, sed negatane, quale est illud, quod non est terminatum, & comprehensum aliquo corpore, & proprie dicitur innane) motum violentum, sed etiam negatane motum naturalem, qualis est, quo graua mouentur deorsum, & leuia mouentur sursum, cuius ratio fuit, non quia per illud innane non possent moueri projecta; (vt aduersarij contendunt) quis enim in dubium vertere potest, quod si Angelus per innane iaculum contorqueret, prædictum iaculum moueretur; sed quia, vt ipsemet Arist. ibi docet, cum in illo innani non essent positiones (sursum, & deorsum, quæ sunt loca naturalia leuium, & grauium, quidquid per illud innane proiiceretur, nec moueretur naturaliter, nec violenter, sed neuter. Recolantur, quæ diximus super prædictum lib. 4. Physicorum, disp. 2. q. 2.

14 Ad difficultates propositas in secunda probatione, (quas non effugiunt aduersarij), cum ipsi admittant in motu projectorum dari virtutem motiuam, seu impulsam à proiicientibus in medio, seu corporibus ambientibus impressam) tam pro nobis, quam pro ipsis, questionibus sequentibus respondimus.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit impulsus, seu virtus motiua projectorum?*

1 Prima difficultas, qua motus est Pererius ad denegandum dari in projectis aliquam virtutem impressam à proiicientibus, quæ sit causa proxima, & immediata ipsorum motus, erat; quia non apparet quid esse possit ista virtus, quam appellamus impulsam; nam cum sit virtus motiua, licet possit, cum projectum mouetur sursum, appellari leuitas; & cum mouetur deorsum, appellari grauitas, tamen cum mouetur ad latera, vel in gyrum, cum nec leuitas, nec grauitas esse possit, nihil erit.

2 Secundo, quia si hæc virtus, quam appellamus impulsam, esset aliquid reale impressum à proiiciente in corporibus projectis, id esset sine dubio eiusdem speciei in omnibus corporibus projectis, quod affirmari non potest, cum non solum diuersorum motuum in specie, sed etiam oppositorum, quales sunt motus sursum, & motus deorsum, sit principium, & motus distincti in specie, (quantò magis oppositi) non possunt ab eodem principio in specie prouenire.

3 Tertiò, quia, cum lapis, cum proiicitur sursum, non dicat potètiã passiuam naturalem ad

ad illum impulsam, non potest prædictus impulsus educi ex eius potètiã, unde solum poterit poni productus in lapide prædictus impulsus per creationem, quod fieri non potest, supposito, quod non à Deo, sed à proiiciente creato producatur.

4 Sed in hac re dico primo. Hæc virtus motiua, quam ponimus, in projectis à proiicientibus impressam, & impulsam appellamus, licet in multis assimilatur motui successiuo, (sumpto motu materialiter, & pro forma fluente iuxta dicta in Logica, cap. de quantitate disp. 2. quæst. 3. n. 56) est enim cito, & velociter transiens, succuti, & motus, neque conuenit subiecto, in quo inest in esse quieto, & antequam moueri incipiat, sed in ipsa actuali motione, quæ sunt etiam proprietates motus, nõ tamen est motus, sed causa, & principium eius. Quod primò conuincitur potest; quia vnus motus non est causa, & principium efficiens alterius motus, sicut ponitur à nobis respectu motus projectorum hæc virtus motiua, seu impulsus. Secundo, quia motus successiuus intrinsecè petit habere partes priores, & posteriores, & consequenter mensurari tempore; hæc autem virtus motiua, seu impulsus non habet natura sua partes priores, & posteriores, & ideo natura sua non petit produci in

tempore, sed in instanti, vt latius quæst. sequenti ostendemus. Dico secundo, hæc virtus motiua, seu impulsus, non est grauitas, aut leuitas, sed est aliquid distinctum in specie à grauitate, & leuitate. Probatur primò; quia leuitas solum est virtus ad mouendum sursum, & grauitas ad mouendum deorsum; at impulsus est virtus, non solum ad mouendum sursum, sed etiam ad mouendum deorsum, & ad latera, & in gyrum, quod signum est euidens distinctionis specificæ impulsus, tam à leuitate, quam à grauitate. Secundo, quia grauitas, & leuitas sunt virtutes mouendi à generante ipsis corporibus grauibus, & leuibus communicatæ, quæ ideo conueniunt illis ab intrinseco, & iuxta exigentiam naturæ ipsorum, & non transeunter, & solum in actuali motione, sed permanenter, & in esse quieto; at impulsus est virtus mouendi impressa projectis non à generante, sed à proiiciente, non conueniens projectis ab intrinseco, & iuxta exigentiam ipsorum, nec permanenter, & in esse quieto, sed transeunter, & in ipsa actuali motione; est igitur impulsus virtus motiua longè diuersa, & in specie distincta à leuitate, & grauitate.

6 Dico tertio, hæc virtus motiua, seu impulsus est quoddam accidens spectans ad prædicamentum qualitatis. Ratio est; quia

quia cum hæc virtus sit productiva motus projectorū, & nullum accidens, præter aliquas qualitates, sit actiuum, seu productiuum, necessariò fatendum est hanc virtutem motiuam, quã impulsū appellamus, esse quoddam accidens spectans ad prædicamentum qualitatís.

7 Est tamen nõ leue dubium inter auctores in explicãdo, in qua specie qualitatís ex quatuor enumeratis ab Aristot. sit constituenda hæc virtus motiua, seu impulsus? Aliqui, vt Magister Soto hic q. 3. constituunt illam in prima specie sub membro dispositionis. Alij, vt Auersa q. 39. de celo sect. 6. reducunt illam ad secundam speciem, quæ dicitur naturalis potentia. Tamen si ea, quæ docuimus in Logica cap. de qualitate disp. vnica, q. 4. præsertim sect. 3. tam ex Scoti mēte, quã Arist. rectè perpendantur, dicendum erit consequenter hanc virtutem motiuã, seu impulsū, cum sit qualitas sensibilis per sensum tactus, non secus, ac grauitas, & leuitas, frigiditas, & calor, non esse inter qualitates internas, seu insensibiles, quales sunt primæ, & secundæ speciei, numerandam, sed inter extremas, seu sensibiles, & cum sit primò sensibilis, pertinere absque dubio nõ ad quartam, sed ad tertiam speciem, & cum sit facile mobilis, & cito transiens, non esse passibilem qualitatem appellandã,

sicut appellatur leuitas, & grauitas, frigiditas, & calor, sed passionem, sicut appellantur sonus, & rubor ortus ex verecundia.

8 Dico quartò, hæc virtus motiua, seu impulsus in omnibus proiectis est eiusdem speciei. Ratio est, quia in omnibus proiectis est eiusdem rationis, scilicet, impressa ab extrinseco, contra, vel præter naturam subiecti, cito transiens, & nõ conueniens eis in esse quieto, sed in actuali motione. Quod enim aliquãdo moueat sursum, aliquãdo deorsum, vel ad latera, vel in gyrum, hoc nõ prouenit à natura eius, sed à directione proiecientis, idem enim est in specie impulsus, quo iacitur sagita sursum, vel deorsum ad latera, vel in gyrũ. Neque obstat, quòd motus sursum, & motus deorsum, nõ solum sunt specie distincti, sed etiam oppositi; nam, cum motus sumant speciem, & oppositionem, non solum ex principijs, sed etiam, & præcipue, ex terminis formalibus, cum terminus formalis motus, quo mouetur projectum sursum sit distinctus in specie, & oppositus termino formali motus, quo mouetur deorsum, non mirũ, quòd stante virtute motiua eiusdem speciei, dentur motus isti, non solum diuersæ speciei, sed etiam oppositi.

9 Ex dictis patet solutio prima, & secundæ rationis dubitan-

tandi. Ad tertium (quæ si quid probaret, probaret etiam calorem productum ab igne in aqua, non esse eductum ex portetia materiali aquæ, sed creatum ab igne; nam aqua nõ dicit potentiam passiuam naturalem ad calorem, sumpto naturali, vt opponitur violento) respondetur ad hoc, vt aliqua forma dicatur educi de potentia materiali subiecti, non requiri, quòd prædicta potentia passiuã sit naturalis, sumpto naturali, vt opponitur violento, sed quòd prædicta forma in sua entitate in fieri, & conseruari pendeat à subiecto in genere causæ materialis; quòd cum reperiatur in hac virtute motiua, seu impulsu, quo lapis mouetur sursum, ineptè satis dicitur non educi de potentia lapidis, etiam si prædictus impulsus non sit lapidi naturalis, sed violentus.

10. Etiam patet ex dictis, quid respondendum sit ad illã questionem, quæ hic exagitat sollet, vtrum, scilicet, hæc virtus motiua, à qua mouentur proiecta sit dicenda virtus principalis, an instrumentalis? Nam cum ex doctrina Scoti (quam late tradidimus 2. libro huius operis, disp. 4. q. 3. n. 5. & lib. 7. disp. vnica, num. 18.) causa principalis effectiua, & causa instrumentalis effectiua, proprio sumptæ, penes hoc differentur, quòd principalis dicitur illa, quæ in esse quieto, &

ante actualem motionem habet formam, quæ sit principium agendi in suo ordine; instrumentalis verò, quæ in esse quieto, & ante actualem motionem non habet formam, quæ sit principium agendi in suo ordine, sed potius illam accipit in ipsa actuali motione, cum probatum sit hæc formam, seu virtutem mouendi, quam appellamus impulsū, non competere proiectis in esse quieto, & ante actualem motionem proiecientis, sed in ipsa actuali motione, manifestum erit, nõ esse appellandam virtutem motiuam principalem, sed potius instrumentalem; secus verò contingere in grauibus, & leuibus, cum grauitas, & leuitas sint formæ, seu virtutes motiue ipsis conuenientes in esse quieto, & ante actualẽ motionem, vt late docuimus libro 7. disp. vnica, q. 2. citatis. Et hinc intelligetis, quæ sit ratio, ob quam grauia, & leuia dicantur moueri à se ipsis, & non à generante, proiecta verò non dicantur moueri à se ipsis, sed à proieciente. Ratio enim est, quia virtus motiua in grauibus, & leuibus est virtus principalis suorum motuum, in proiectis autem virtus motiua solum est virtus instrumentalis motuum ipsorum.

QVA

## QVÆSTIO III.

Quomodo producat<sup>r</sup> impulsus.

**H**ÆC est secunda difficultas, qua motus est Pererius denegare dari in proiectis aliquam virtutem motiuam, seu impulsam impressam a proiectantibus, quæ sit causa (adhuc instrumentalis) proxima, & immediata ipsorum motuum, scilicet, non apparere, quo pacto hæc virtus motiua, seu impulsus possit a proiectantibus in ipsa proiecta produci. Quod suaderi potest primo; quia proiectans circa proiectum nullum alium motum exercet præter localem; motus autem localis non habet pro termino producto aliquam qualitatem, qualis est ista virtus motiua, seu impulsus, sed *ubi*, seu præsentiam localem, quod prædicamento differt ab omni qualitate.

**2** Secundo, quia omnis productio, vel est successiua, vel instantanea; sed productio, qua fingitur proiectans producere in proiectis istam virtutem motiuam, seu impulsam, nec potest esse successiua, nec instantanea; ergo est nulla: non successiua, quia non supponit in proiectis aliquam qualitatem contrariam, quæ paulatim, & successiue petat expelli; non instantanea, quia cum ista virtus motiua non recipiatur in

sola superficie proiecti, (aliquis non potest mouere totum proiectum) sed etiam in tota illius profunditate, quomodo poterit in instanti totam illam profunditatem percurrere?

**3** Sed ad has difficultates (quæ, vt supra dixi, etiam militant contra Pererium, cum ipse admittat cum Aristot. virtutem motiuam, seu impulsam productam a proiectante in medio, scilicet, aère ambiente ipsum proiectum) facile, tam pro nobis, quam pro ipso respondemus. Ad primum dicimus, etsi ad productionem huius virtutis motiuæ, seu impulsus interueniat localis motus, quo corpora quantitatiua proiectantis, & proiecti se tangant, vt vnum impellat aliud, nihilominus hanc virtutem motiuam, seu impulsam non produci per istum motum localem; quia motus localis (vt recte in ratione dubitandi astruitur) non habet pro termino producto aliquam qualitatem, sed nouum *ubi*, sed produci per se, per quandam actionem proiectantis concomitantem ipsum motum localem, & contactum physicum proiectantis, & proiecti, quæ actio optimè potest appellari alteratio, sumpta alteratione latè, scilicet, pro omni actione, quæ habet pro termino qualitatem: quod exemplificari potest in productione tonitru, in qua, etsi interueniat motus localis, quo duo corpora se

se tangunt, nihilominus sonus per se non producitur per istum motum localem, sed per specialem quandam actionem istum motum localem, & prædictorum corporum collisionem concomitantem, quæ dicitur alteratio, sumpto nomine alterationis latè, scilicet, pro qualicunque actione, quæ est ad qualitatem.

**4** Ad secundum sunt, qui respondent, hanc virtutem motiuam, seu impulsam produci a proiectante, cum expulsiue contrarij, & consequenter successiue, & non in instanti; quod si ab ipsis petas, quod est contrarium cum cuius expulsiue producitur hæc virtus motiua, seu impulsus? Respondent, esse virtutem naturalem motiuam corporis proiecti, v. gr. si quod proiectur contra eius naturalem inclinationem, est leue, erit leuitas; si graue, erit grauitas: & fundamentum eorum est experientia, qua experimur, hæc virtutem motiuam, seu impulsam semper imprimi cum resistentia proiecti; constat autem hanc resistentiam proiecti non posse provenire nisi ex aliqua qualitate contraria ipsi impulsui, quæ reperitur in proiecto.

**5** Sed horum sententia, & est contra Aristot. & etiam contra experientiam. Contra Aristot. nam Arist. 2. lib. de generatione cap. 2. tex. 8. docet, grauitatem, & leuitatem non esse qualitates actiuas, nec passi-

uas; id est, nec posse producere aliam qualitatem, neque posse destrui, aut minui per aliam qualitatem, cuius contrarium supponunt, qui dicunt, virtutem motiuam, seu impulsam imprimi, seu produci in proiectis cum expulsiue, seu diminutione grauitatis, aut leuitatis ipsorum. Contra experientiam, nam euidenti experientia experimur, corpora proiecta eiusdem poderis esse ante impressionem magni impulsus, & post eam impressionem: ergo per impressionem impulsus nihil grauitatis, vel leuitatis innatae amittunt corpora proiecta, quando contra naturalem inclinationem proiectantur, & consequenter productio impulsus non erit successiua, quantum est ex se, & natura sua, & cum expulsiue, & diminutione grauitatis, vel leuitatis projectorum.

**6** Vnde ad fundamentum oppositæ sententiæ respondemus, falsum omnino esse impulsam imprimi, seu produci, cum resistentia proiecti; nam resistentia, quam experimur in proiectis, non est ad impressionem, seu receptionem impulsus, sed ad motum localem, qui fieri debet medio impulsu iam producto, & in ipsis iam impresso, seu recepto. Licet enim impulsus, quo lapis mouetur sursum, & grauitas lapidis non sint virtutes formaliter oppositæ, & sic nihil impedit, quod sint.

sint simul in eodem subiecto, sunt tamen oppositæ virtualiter; nam sunt virtutes effectiuæ oppositorum motuum, & sic in actuali causatione motus unus se impediunt, & vna resistit alteri, & hæc est resistētia, quam experimur, quando sursum leuamus, seu proijcimus lapidem, scilicet, resistētiā, & oppositionem in elicitione suorum motuum, non inter impulsū, & gravitatē, quæ simul in eodem lapide reperiuntur secundum suas entitates absque vlla formali oppositione, seu resistētia.

7 Aliter ergo respondendum est ad secundam difficultatem, scilicet, productionem impulsus, seu virtutis motiuæ, quæ imprimitur à proijcientibus in proiectis, quantum est ex se, & natura sua, esse instantaneam, non secus, ac productio lucis, productio specierum sensibilium, & etiam productio toni, qui tam in suo esse, fieri, & definitione non parum impulsui assimilatur. Fundamentum nostrum est, quia impulsus in proiectis nullam qualitatem supponit sibi diuisibiliter, & gradualiter oppositam, & qualitates, quæ non supponunt in subiecto qualitatem ipsis diuisibiliter, & gradualiter oppositam (vt ex professo probauimus libro 5. huius operis disp. 1. q. 2. num. 17.) quantum est ex se, & natura sua non producuntur successiuè, & in tempore, sed

in instanti, nec datur per se motus ad illas, sed mutatio. Et confirmatur, quia in illo instanti, quod est terminatum motus localis vnius corporis, scilicet, proijcientis, seu impellētis ad aliud, scilicet, proiecti, seu impulsus, reperiuntur omnia requisita ad causandū impulsū, scilicet, cōtactus physicus causatus per præcedentē motum: ergo in illo instanti causabitur, seu produceretur impulsus. Confirmatur secundo; quia ante illud instans nō erat cōtactus physicus proijcientis cum proiecto, similiter post illud instans, iam distat proiectum à proijciente: ergo solum producit impulsus pro illo instanti.

8 Ad rationem ad oppositum adductam respondetur; quod sicut lux in instanti diffunditur, non solum in superficie aeris, sed etiam in eius profunditate, non alia ratione, nisi quia in aere non est qualitas, luci diuisibiliter, & gradualiter opposita; ita impulsus imprimitur in instanti in corpore proiecto, non solum in superficie, sed etiam in profunditate illius, non alia ratione, nisi quia in corpore proiecto non est qualitas prædicto impulsui diuisibiliter, & gradualiter opposita. Nec obstat, quod aer sit diaphanus, & proiectum sit oppacū; nam sicut diaphanitas in aere est dispositio necessaria ad recipiendam lucem, ita oppa-

opacitas, & densitas in proiecto est dispositio requisita ad receptionem impulsus. Dixi autem in conclusione notāter impulsū produci in proiecto ex se, & natura sua in instanti; nam ex accidēti potest provenire, vt producat successiuè, & in tempore, vt etiam contingere potest in productione lucis, & etiam in productione substantiæ.

#### QVÆSTIO IV.

A quo, & quomodo corrumpatur impulsus?

**H**ÆC est vltima, & maior difficultas ex his, quibus motus est Pererius ad denegandum dari in proiectis aliquā virtutem motiuam, seu impulsū impressū à proijcientibus, scilicet, non apparere, à quo, & quomodo corrumpatur, & desinat esse. Vel enim corrumpitur à contrario per introductionē formæ oppositæ, & nulla inuenitur huiusmodi forma, vel per defectum causæ conseruantis; & nulla etiā inuenitur huiusmodi causa; quia si esset idem ille motor, qui eā produxit, deberet statim, ac mobile, seu proiectū à motore, seu proijcētē separatur, penitus perire, quod nō cōtingit, cū experiamur adhuc, saltem pro paruo tempore, durare in statu separationis à motore.

2 Ad istā difficultatem (quæ si vim habet, militat etiā con-

tra Pererium; quia, vt iam semel, & iterū aduertit, ipse cum Arist. fatetur dari virtutē motiuā, seu impulsū impressū à proijcientibus in medio, scilicet, aere ambiente ipsa proiecta) variè responderi solet. Auctores, qui quæst. præcedenti affirmabant hanc virtutē motiuā, seu impulsū produci à proijciente, cū expulsionē contrarij, & idē inter productiones successiuas, productionem huius impulsus enumerabāt, & insuper asserēbant contrarium impulsū, quo lapis ascendit sursum, esse gravitatem innatā ipsi lapidi, & contrarium impulsū, quo leue descendit deorsum, esse leuitatem, consequenter dicunt impulsū, quo lapis ascendit sursum, corrumpi, & desinare esse per qualitatem contrariā, scilicet, per gravitatem lapidis; impulsū verò, quo leue descendit deorsum, corrumpi, & desinare esse per qualitatem cōtrariā, scilicet, per leuitatē; in hanc sententiā aliquantulum inclinare videtur Suarez in Metaph. disput. 21. sect. 3. n. 27. sed hæc sententia non placet, non solū, quia non assignat causam corruptionis aliorū impulsuum, quibus moventur proiecta, & non contrainclinationem naturalē proiectorū, vt cum lapis impellitur deorsum, sed etiā, & præcipuè; quia nititur falsò fundamentō, & à nobis quæst. præcedenti iam excluso, & refutato.

3 Pater Gabriel Vazquez 1. 2. disp. 81. cap. 3. an. 18. et cum auctoribus præcedentibus sustineat, impulsum, qui à proiicientibus imprimitur in proiectis, & est virtus instrumentalis effectiua ipsorum motuum, corrumpi, & desinere esse successiue per qualitatem contrariam. Affirmat tamen hanc qualitatem contrariam, quæ corrumpit, & est causa defensionis (v.g. impulsus, quo graue mouetur sursum, non esse grauitatem innatam ipsi graui (vt auctores superioris sententiæ affirmabant) sed grauitatē quandam, seu impulsū accidentalem contrarium impulsui, quo graue mouebatur sursum, quæ grauitas, seu impulsus accidentalis causatur paulatim, & successiue (inquit Vazquez) ab ipso corpore graui, tam in se ipso, quam in corpore sibi subiecto, non solum quando mouetur sursum, sed etiā quando vi detinetur extra suum cētrum. Imò cū proiicitur deorsum, & hanc esse causam, cur motus naturalis, quo graue descendit deorsum, velocior sit in fine, quam in principio.

4 Sed hæc sententiā Vazquez, non magis placet, quam præcedēs. Primò, quia falsum est, quòd supponit, scilicet, corpus graue causare in se ipso impulsus, seu grauitatem istam, quā vocat accidentālē. Licet enim corpus graue, cum mouetur violenter sursum, & cum des-

cedit naturaliter deorsum, causet impulsū quendam in corporibus ambientibus, quæ ipsius motui resistunt; tamen in se ipso, neque quando violenter ascendit sursum, neque quando naturaliter descendit deorsum, neque quando vi detinetur extra cētrum, aliquem impulsū, seu grauitatem accidentalem causat. Alias cum in dictis casibus (in sententiā Vazquez) iste impulsus, seu grauitas accidentalis causata à corpore graui in se ipso, semper, continuè, & successiue augetur, seu intendatur, sequeretur, quòd quanto maiori tempore graue vi detineatur extra cētrum, & quātō maiori tempore duret motus violentus, quo fertur sursum, tantō magis augetur, seu intendatur impulsus, seu grauitas accidentalis, quam in se ipso producit. Et consequenter, quòd quando corpus graue detentum violēter, ablato impedimento, incipit moueri deorsum, & similiter incipit moueri deorsum corpus graue, quod violenter sursum mouebatur, tantō velotiori motu incipiat moueri, quātō maiori tempore durauerunt ipsa detentio violēta, aut ipse motus violentus, quod est contra ocularem experientiā. Et ratio à priori est; quia, cum impetus, seu impulsus nihil aliud sit, (vt ex dictis quæst. 2. manifestum est) quām quædā virtus loco motiua instrumentalis,

malis, qua media impellens separatur localiter à se ipso corpus impulsū, sicut nullus potest separare localiter se ipsum à se ipso, ita neque poterit in se ipso imprimere, seu causare aliquem impetū, seu impulsū. 5 Secundò, quia dato (minimè concessio) quòd id, quòd supponit Vazquez, esset verū: profectò nihil ei prodesse posset ad suum intentum comprobandum; nam sicut supra de grauitate lapidis, qui proiicitur sursum, dicebamus, etsi virtualiter sit opposita impulsui, cuius vi sursum lapis mouetur, (sunt enim principia oppositorum motuum, & sic in actuali elicitione suorum motuum se mutuò impediunt, & resistunt) tamen formaliter non esse qualitates contrarias, sicut sunt frigus, & calor, & idèò, neque grauitatem corrumpere, aut diminuere impulsū, neque impulsū corrumpere, aut diminuere grauitatē, sed posse simul in quacumque intensio- ne in eodē subiecto subiectari, & ibi permanere, quovsque impulsus ex alio capite euanescat. Ita modò dicimus impulsū istum, qui fingitur à Vazquez produci à graue in se ipso toto illo tempore, quo sursum impellitur, etsi sit virtualiter oppositus impulsui, cuius vi ascendit sursum, (sunt enim principia oppositorum motuum, & sic in actuali elicitione suorum motuum se mu-

tuò impediunt, & resistunt) nō tamen esse formaliter qualitates oppositas, sicut sunt frigus, & calor, & idèò, neque vnū impulsū corrumpere, neque minuere alium, neque è contra, sed posse simul in quacumque intensio- ne in eodē subiecto commorari, quovsque ex alio capite aliquis eorum, vel ambo simul euanescant, maximè cum grauitas lapidis, & impulsus, cuius vi mouetur sursum, etsi non sint qualitates formaliter oppositæ, sunt tamen qualitates diuersæ speciei, & grauitas ex natura sua non sit indifferens ad causandos diuersos motus, sed determinata ad causandum motū deorsum; at impulsus omnes non solum non sint qualitates oppositæ, sed etiam sunt eiusdem speciei, & ex natura sua indifferentes ad causandum quemcumque motum, siue sursum, siue deorsum, siue ad latera, siue in gyrum, & solum determinantur ad causandum determinatum motum ex applicatione, & determinatione proiicientis; vt latius docuimus quæst. 2. n. 8.

6 Tertiò, quia sæpè contingit impulsū desinere esse absque interuentione contrarij impulsus: ergo lignum est euidēs eius interitum ex alio capite, quam à cōtrario impulsu prouenire. Antecedens patet, non solum instantia impulsus, quo trochus mouetur in gyrum, qui pau-

paulatim, & successiue definit esse, sine interuentione contrarij impulsus; nec solum instantia impulsus, quo sphaera caelestis mouetur ab Angelo, qui paulatim, & successiue desineret esse, eo ipso quod Angelus à motione caeli desisteret, & absque dubio sine interuentione contrarij impulsus, sed etiam instantia, quam sibi obiecit Vazquez, illius, qui proiecit lapidem deorsum per impulsu impressum supra propriam, & innatam ipsius lapidis grauitatem, in quo lapide, cum peruenit ad terram, ita ut ultra descendere non possit, corrumpitur, & definit esse ille impulsus supra grauitatem lapidis impressus, & non à contrario impulsu à terra in ipso lapide impresso, cum nullum corpus possit in alio producere, seu imprimere aliquem impulsu, nisi localiter moueatur, & manifestum apparet in dicto casu globum terræ localiter non moueri.

7 Non me latet ad hanc ultimam instantiam (& ad aliam similem de illo, qui impellit murum, vel ipsam terram, qui absque dubio imprimit impulsu ipsi muro, vel terræ, qui impulsu euanescit, & definit esse, etiam si murus, vel terra, ita resistan, ut nullo modo moueantur ad causandum impulsu contrarium) respondisse Vazquez, negando in supra dicto casu globum terræ,

non moueri localiter. Affirmat enim, cum lapis proiectus deorsum attingit globum terræ (& similiter, cum aliquis impellit murum, vel terram) moueri motu locali trepidationis totum globum terræ, tam à grauitate lapidis, quam ab impulsu impresso à proieciente lapidem supra illius grauitatem, & mediante isto motu trepidationis totius globi terræ produci impulsu contrarium, per quem corrumpitur ille impulsus super grauitatem lapidis impressus à proieciente lapidem.

8 Fundamentum, tam singularis asserti nullum aliud est, quam ponere in corporibus grauibus, qualis est globus, qui ex tota terra, & aqua coalescit duo centra diuersa, vnum, quod appellat iste auctor centrum grauitatis, & est illud indiuisibile, in quo tanquam in bilanci libratur pondus aquæ, & terræ, quod eo ipso non potest esse fixum; nam accedete in vna parte huius globi aliquo graue, vel aliquo impulsu, & non in alia opposita, etiam si sint in minutissima intensione, necessario hoc centrum grauitatis, cum in indiuisibili consistat, debet mutari; alterum, quod appellat centrum totius orbis, & hoc est fixum, & stabile; nam consistit in illo indiuisibili, quod ex quacumque parte terminat profunditatem totius orbis, & sic quicumque accessus

cor-

corporis grauis ad ipsum est descensus, & predicto corpori graui naturalis, & quicumque discessus corporis grauis ab illo est ascensus, & predicto corpori graui violentus. Ad rem ergo (inquit Vazquez) cum globus terræ, & aqua non requiescat, nisi quando centrum grauitatis illius penetratur, seu correspondet, cum centro fixo totius vniuersi, & ex appositione alicuius grauitatis, vel impulsus in vna parte huius globi, & non in alia ex diametro opposita, centrum grauitatis illius varietur, & desinat penetrari, seu correspondere centro fixo totius vniuersi, necessario dicendum videtur, quod ex appositione alicuius grauitatis, vel impulsus in vna parte istius globi, qui ex aqua, & terra coalescit, & non in alia ex diametro opposita, totus iste globus localiter moueatur, & cum iterum iste globus sua natia grauitate redeat ad locum vbi centrum grauitatis penetratur, seu correspondet centro fixo totius vniuersi mediante isto secundo motu producere in lapide proiecto impulsu contrarium illi, quem proieciens lapidem impressit in illo supra grauitatem lapidis, à quo corrumpatur, & desinat esse.

9 Sed bona venia auctor iste ad fugiendam instantiam, quam sibi obiecerat, arduam assump-

sit prouintiam, non solum absque firmo fundamento, sed etiam absque villo fructu. Hæc tria sigillatim perpendamus. Et in primis *assumpsit arduam prouintiam*. Quid enim magis arduum, & difficile creditu, quam asserere globum hunc terræ, & aquæ vniuersi mundi, qui in suo centro naturaliter requiescit à lapillo, vel grano cadenti in terram à predicto centro violententer, & contra naturam suam totaliter remoueri; imò cum ex omni parte crebro aliqua in terram cadant, vel ambulent super eam, predictum globum crebris motibus, nunc in hanc partem, nunc in illam motu trepidationis inclinari sacra Scriptura reclamante, Psalmo 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.*

10 Non solum absque firmo fundamento; fatemur enim libenter in quocumque corpore graui, qualis est globus, qui ex tota terra, & aqua coalescit, dari illa duo centra diuersa, quæ in relatione fundamenti huius auctoris supra numero 8. recensentur, scilicet, centrum grauitatis predicti globi, & centrum profunditatis totius vniuersi; sed cum centrum grauitatis non sit locus, vel vbi, ad quod grauia natura sua mouentur, & in quo naturaliter quiescunt, sed potius centrum profunditatis



totius vniuersi. (aliàs si globus terreus poneretur in aëre, non descēderet motu naturali deorsum, sed potius partes eius affixæ centro grauitatis prædicti globi naturaliter quiesceret) Friuolè sanè, & absque villo fundamēto requirit Vazquez, ad hoc, vt globus terræ, & aquæ naturaliter quiescat, quòd centrum grauitatis prædicti globi penetraret seu correspondeat centro profunditatis vniuersi; & valdè frigidè infert ex eo quod per appositionem alicuius grauitatis, vel impulsus in vna parte prædicti globi, & non in altera illi ex diametro opposita sequatur (sicut reuera sequitur) variari centrum grauitatis, & non penetrari, seu correspondere cētro profunditatis vniuersi, necessariò sequi prædictum globum terræ, & aquæ moueri localiter à centro profunditatis vniuersi, in quo naturaliter quiescit, ad locum, seu vbi, quod correspondet, seu penetratur, cum centro grauitatis prædicti globi; quia, vt modo dicebamus, centrum, ad quod natura sua mouentur graua, & in quo naturaliter quiescunt, non est centrum suæ grauitatis, sed centrum profunditatis totius vniuersi, à quo prædictus globus terræ, & aquæ nullatenus euelli potest, quā tumuis centrum grauitatis per grauitatē, vel per impulsū prædicto globo adiuncta ex vna

parte, & non ex alia ex diametro opposita discedat, seu mouetur.

11 *Sed etiam absque villo fructu;* siquidem de illo impulsu (quē constringit Vazquez, ex motu trepidationis totius globi terræ, & aquæ imprimi in illo lapide, qui proiectus pertingit ad terram, vt per ipsum corrumpatur, & desinat esse impulsus impressus à proiiciente lapidem supra grauitatem ipsius lapidis) iteū redibit quæstio, à quo prædictus impulsus corrumpatur, seu desinat esse; nam dubitari non potest prædictum impulsū etiam desinere esse; cumque respondere non possit prædictum impulsū corrumpi per alium impulsū contrarium; nam daretur processus in infinitum, necessariò cogitur fateri dari aliquem calūm, in quo impulsus desinat esse, & non per impulsū cōtrarium, sed ex alio capite: ergo absque villo fructu illam, tam arduam prouintiā suscepit de motu totius globi terræ, & aquæ à suo centro ex lapillo, vel grano in terra cadente.

12 Dicendum igitur nobis est, cum veriori, & communiori sententia, impulsū, seu virtutem illam instrumentalem impressam in proiectis ab ipsis proiicientibus, vi cuius proiecta localiter mouentur, siue sursum, siue deorsum, siue ad latera, siue in gyrum, desinere esse

esse immediatè, & proximè per suspensionē concursus Dei, quo in absentia, vel distantia proiicientis in suo esse conseruatur. Radicaliter verò, & fundamentaliter (non enim Deus lege ordinaria suspendit concursū, quo res creatas conseruat ad libitum, sed iuxta exigentiam ipsarum) non ab aliqua forma contraria, (vt exigunt desinere esse calor, & frigus) quia, vt prima ratio dubitandi obijciebat, & tota ista quæst. demonstratum est, non apparet, quid esse possit ista qualitas impulsui contraria; quia, nec grauitas, nec leuitas, neque aliquis impulsus formaliter contrarius, nec per absentiam, vel distantiam proiicientis, (vt exigunt desinere esse lux per absentiam corporis luminosi, & species intentionales sensuum externorum per absentiam obiectorum sensibilium) quia, etiam si isti impulsus pendeant à proiicientibus, tam in suo esse, quàm in fieri, non tamē in conseruari, (sicut pendet lux à corpore luminoso, & species intentionales sensuum externorum ab obiectis sensibilibus) aliàs, vt secunda ratio dubitandi obijciebat, deberent prædicti impulsus statim, ac proiecta separantur à suis proiicientibus, penitus perire, (sicut separato corpore luminoso statim penitus perit lux, & separatis obiectis sensuum externorum sta-

tim penitus percunt species intentionales ipsorum) quod minimè contingit; nam ex perimur saltem pro paruo tempore durare in statu separationis à proiicientibus, sed desinere esse radicaliter, & fundamentaliter à natura ipsorum impulsū. Cum enim impulsus non sint qualitates innatæ ipsis corporibus proiectis, neque eis impressæ per modum permanentis, (sicut sunt grauitas, & leuitas, respectu grauium, & leuium) sed potius conueniant eis ab extrinseco, & per modū transeuntis, natura sua exigunt (semel separatis proiectis à proiicientibus) parum durare, citoque pertransire, sicuti contingit in sono, qui est qualitas sensibilis per auditum, & cui valdè assimilatur impulsus in esse, fieri, & conseruari. Item, cum finis impulsus, ei à natura præfixus, sit tantam instrumentaliter causare motū projectorum, hinc etiam prouenire, quod si motus projectorum ab aliquo corpore obsistente totaliter impediatur, etiam ipse impulsus natura sua petat desinere esse, & consequenter, quòd Deus suspendat concursū, quo illum conseruabat.

13 Ex dictis colligo, quid respondendum sit ad illam quæstionem, quæ hic exagitari solet, scilicet, *an impulsus desinat esse successiuè, & in tempore, an instanti?* nam respondeo, natura sua petere desinere esse successiuè,

siuè, & in tempore, cuius signum euidens est; quia motus projectorum, quorum impulsus est proximum, & immediatum principium instrumentale successiuè, & in tempore languescunt, quod contingere non posset, nisi impulsus, qui est eorum causa, & principium, etiã languesceret, & desineret esse in tempore, & successiuè.

### QVÆSTIO V.

*A quo moueantur projecta, quando resiliunt?*

**1** Sensus quæstionis est, an, dum pila (exempli gratia) proijcitur ad parietem, & ab eo repercusa retrogreditur, seu resilit, ille motus retrocessionis, seu resiliëntiæ fiat per impulsum productum in pila à proijciente, & sic ei tribuendus sit, ut causæ per se principali, sicuti, & ei tribuitur motus rectus; an verò per nouum impulsum, quem paries, à quo pila resilit, producat in pila, & sic prædictus motus retrocessionis, seu resiliëntiæ tribuendus sit parieti, ut causæ per se principali, proijcienti verò solum, ut causæ per accidens?

**2** Plaza hic disp. 2. q. 6. sustinet motum resiliëntiæ, seu retrocessionis, quo mouetur (exempli gratia) pila repercusa à pariete immediatè, & per se non causari ab impulsu, què proijciens impressit pilæ, sed à nouo quodam impulsu, què pa-

rics, à quo pila resilit, ipsi pilæ imprimat, & consequenter prædicum motum resiliëntiæ, seu retrocessionis tribuendum esse parieti, ut causæ per se principali; proijcienti verò solum, ut causæ per accidens.

**3** Probat Plaza, hanc suam sententiã primò; quia, quando pila ex alto descendit in terrã, sola vna grauitate, & secluso impulsu alicuius proijcientis, resilit à terra, & sursum mouetur, ut experientia docet; sed talis resaltus non potest causari à grauitate naturali pilæ; siquidem grauitas naturalis pilæ, non potest esse causã motus sursum, qualis est ille resaltus: ergo causatur ab impulsu de nouo producto ab ipsa terra, à qua resilit. Patet consequentiã, quia cum non descendat pila per impulsum ei impressum ab aliquo proijciente, (ut supponimus) sed per naturalem grauitatem, nulla potest assignari causã prædicti resaltus, quàm assignata.

**4** Secundò, quia si pila resiliëret effectiuè à solo corpore proijciente, & nullo modo à corpore resistente; nulla ratio assignari posset, cur lapis non resiliat ex pariete, sicut resilit pila; & similiter, cur pila, non ita resiliat à corpore molli, sicut resilit à corpore duro, siquidem, tam magno impetu potest lapis proijci ad parietem, ac proijcitur pila, & tam magno impetu potest pila proijci

ijci ad corpus molle, ac proijcitur ad corpus durum, imò maior.

**5** Sed vera, & communis sententiã tenet oppositum, scilicet, motum resiliëntiæ, seu retrocessionis, quo mouetur (exempli gratia) pila repercusa à pariete, immediatè, & per se non causari ab impulsu aliquo, què paries, à quo pila resilit, ipsi pilæ imprimat, sed ab impulsu, quem proijciens in principio impressit in pilã, & consequenter prædictum motum resiliëntiæ, seu retrocessionis tribuendum esse proijcienti, ut causæ per se principali; parieti verò, à quo resilit solum, ut causæ per accidens.

**6** Et probari potest primò; auctoritate Arist. nã hic c. 4. tex. 32. expressè affirmat, motum resiliëntiæ, seu retrocessionis, quo mouetur sphaera repercusa à pariete, non causari ab ipso pariete, sed à proijciẽte: verba Arist. sunt: *Sicut reflexa sphaera non à pariete reflexa est, sed à proijciẽte*: id autem, quod ad tam manifestam auctoritatem respondet Plaza, scilicet, Arist. in prædictis verbis attribuire motum reflexum sphaeræ proijcienti, non ut causæ per se, sed ut causæ per accidens, ridiculum est; nam non solum est cõtra omnes expositores prædicti loci Arist. D. Tho. Sotum, Toletum, Conimbriic. &c. sed etiã cõtra cõtextum. Docuerat enim Arist. in prædicto cap. motus grauium,

& leuium duplicè habere causã, vnã per se, scilicet, generantẽ, & aliam per accidens, scilicet, illum, qui impedimentum remouet, à quo graue detinebatur sursum, & ad hoc probandum adducit similitudinẽ reflexæ sphaeræ, cuius motus reflexionis habet etiã duplicè causã, vnã per se, & aliam per accidens, & causã per se dicit esse proijciens, eo quòd medio impulsu, què imprimat in sphaerã projectã, non solum influit in motum rectum sphaeræ, sed etiã in reflexum, non secus, ac generans media grauitate, quã communicat corporibus grauius, per se influit in motus grauium; causã verò per accidens esse parietem, qui cùm motum rectum, quo tẽdebat sphaera, impediãt, cogit sphaerã, ut eodẽ impulsu, quo directè tendebat, retrocedat, non secus, ac remouens, prohibens, quo graue detinebatur sursum, est causã per accidens, ut graue natia sua grauitate deorsum moueatur.

**7** Secundò probari potest hæc nostra, & Arist. sententiã rationibus efficacibus prima; impulsus, què proijciens impressit in pilã, potens erat deferre pilã longiori motu, nisi à pariete impediretur; sed propter impedimentum parietis, (cum non sit corpus molle, sed durum) etsi aliquãlter languescat impulsus, non tamen totaliter corrumpitur: ergo si permanet, cum sit agens naturale,

rale, necessum erit, vt suum munus mouendi prosequatur, non minus per motum reflexum, quam prosequeretur per rectum, si non impediretur; quia impulsus ex se (vt quæst. 2. num. 8. dicebamus) non est determinatus ad motum deorsum, sicut est grauitas, neque ad motum sursum, sicut est leuitas, sed indifferens ad omnes motus, siue sint sursum, siue deorsum, siue ad latera, siue in gyrum, siue recti, siue reflexi.

8. Confirmatur, & declaratur amplius ista prima ratio, à simili illius, qui medio speculo videt obiectum visibile, quod est à tergo. Hoc ergo non contingit ex eo, quod speculum emittat in oculos videntis speciem obiecti, quod est à tergo. Quis hoc dicat? sed ex eo quod virtus productiua specierum visibilium, quæ inest in obiecto visibili, quod est à tergo, potens erat causare directe speciem sui in longiori distantia, nisi ab speculo interposito impediretur, & quia per hoc impedimentum speculi, etsi aliquo modo productio actualis specierum languescat, non tamen totaliter corrumpitur, (cū taliter sit corpus oppacum, vt simul in superficie sit diaphanum) hinc est, vt obiectum visibile, quod est à tergo, suum munus producendi species necessario prosequatur; non minus per productionem reflexam, quam prosequeretur per direc-

tam, si ab speculo non impediretur. Eodem ergo modo philosophandum est, proportionem seruata de motu, quo pila repercusa à pariete resilit, seu retrocedit.

9. Secunda ratio ad probandam nostram, & Aristotelicam sententiam desumitur ex eo, quod non apparet, qua virtute motiua paries, à quo resilit pila, possit causare in pila hunc nouum impulsum, qui fugitur à Plaza, vi cuius motus ille reflexionis per se, & substantialiter efficiatur: ergo necessario fatendum est, non dari talem impulsum, sed prædictum motum resilientiæ per se, & substantialiter causari ab impulsu in principio, à proiiciente in pilam impresso. Antecedens probō; nam, vel hæc virtus motiua esset innata parieti, vel in ipsam ab extrinseco impressa; non innata; nam virtus motiua innata parieti solum est grauitas, quæ non est motiua respectu motus resilientiæ, sed solum respectu motus deorsum: non impressa ab aliquo extrinseco; nam in dicto casu nullum aliud extrinsecum assignari potest, à quo paries recipere possit virtutem motiuam, seu impulsum, præter pilam, quæ parietem percutit, seu impellit; impulsus autem, quem pila imprimit in parietem, etsi sit virtus motiua, sed non respectu motus, quo resilit pila, sed potius respectu motus ex-

dia;

diametro oppositi motui resilientiæ pilæ, scilicet, retrocessionis parietis, quem de facto causaret, si vis resistiua parietis non superaret vim motiuam prædicti impulsus.

10. Tertia, & vltima ratio desumitur à posteriori; nam manifesta experientia constat, pilam proiectam ad parietem, (cæteris paribus) tantò intensiori motu resilire, quantò intensiori impetu, seu impulsu proiecta est ad parietem: ergo signum est euidens, quod motus resilientiæ pilæ per se, & substantialiter causatur ab impulsu, quem in ipsam imprimat proiiciens, & non aliunde. Id autem, quod ad istam rationem respondet Plaza, scilicet, id prouenire, nō quia proiiciens medio suo impulsu sit causa per se prædicti motus resilientiæ; sed quia contactus pilæ ad parietem, proueniens à proiiciente, est conditio necessaria, vt pila resileat, & ita, quo maior est contactus, maior est motus resilientiæ; sicut quia approximatō ad ignem est conditio necessaria ad calefaciendum, quo maior est approximatō ad ignem, maior est calefactio. Id, inquam, quod respondet, supponit, quod probandum erat, scilicet, quod sicut in igne est virtus calefactiua, non verò in illo, qui approximat calefactibile; ita in pariete esse virtutem motiuam respectu motus resilienti, non

verò in proiiciente, quod cum non probet in tota illa quæst. sicut à nobis in ista quæst. oppositum ostensum sit, dicimus, eius respōsionem, & exemplificationem nō esse ad rem, sed potius ad oppositum conuincendum.

11. Ad primam rationem ex adductis in contrarium respōdemus, negando prædictum resaltum pilæ causari ab impulsu de nouo causato in ipsa à terra, à qua resilit. Licet enim prædicti resaltus non sit causa grauitas pilæ, neque etiam impulsus productus à proiiciente; quia, vt supponit argumētum, à nullo fuit proiecta; causatur tamen prædictus resaltus effectiue, & per se à quodam impulsu, quem pila, quando descendit ex alto, recipit ultra suam grauitatē à partibus aëris, quæ concitatæ ad replendum vacuum, ipsam pilam à tergo impellunt, & causant celeriores motum; dispositiue verò à lenitate lanæ, qua est repleta, & ab aëre intra eandem lanam incluso, & à figura eius orbiculari.

12. Ad secundam dicimus: etsi motus resilienti pilæ non proueniat à corpore resistente effectiue, vt à causa per se, sicut prouenit à solo proiiciente, prouenire tamen ab illo, vt à causa per accidens, & sic non mirum, quod pila non resiliat à corpore molli, sicut resilit à corpore duro; quia corpus

molle, cum cedit motui directo pilæ, non solum non est causa per se motus resiliendi, sed neque causa per accidens; at corpus durum, cum non cedit motui directo pilæ, sed potius ei resistat, etsi non sit causa per se motus resiliendi, est tamen causa illius per accidens. Item, cum tam duratio impulsus, quam proiciens imprimat in proiecta, quam eius expeditus usus multum pendeant ex conditionibus projectorum, in quibus recipitur, non mirum, quod lapis, non resiliat ex pariete, sicut resiliat pila, non obstante, quod æquali impetu, imò maiori proiciatur, siquidem conditiones requisitæ ad maiorem durationem impulsus, & expeditiorem eius usum, quæ reperiuntur in pila (scilicet, lenitas lanæ, qua est impleta, & aer intra eandem lanam inclusus, & figura eius orbicularis) non reperiuntur in lapide.

### QVÆSTIO VI.

*Utrum proiecta in puncto reflexionis necessario quiescant quiete priuatiua?*

**C**ontingere potest; & solet, ut idē mobile proiectū proueniat usque ad certum terminum, & inde redeat, ac reflectatur per eandem lineam. Ideo quæstione dignum est, an in illo puncto re-

flexionis medio inter prædictos motus illud mobile necessario quiescat quiete priuatiua? quæ est illa, quæ per aliquod tempus durat, seu mensuratur, de qua dubitatione consulendus est Scotus lib. 3. Physic. quæst. 8.

**2** Rationem dubitandi parte affirmatiua tradidit nobis Aristot. qui (ut vidimus in littera cap. 8. huius lib.) docet motum directum, & reflexum per eandem lineam eiusdem mobilis, cum sint oppositi, non posse continuari, & consequenter necessarium esse, ut interrumpatur, quod fieri non potest absque aliqua quiete temporali prædicti mobilis. Et confirmatur, quia si non daretur quies priuatiua in mobili media inter utrumque motum, sequeretur in eodem instanti mobile simul accedere per priorem motum, & recedere per posteriorem ad idem punctum, in quo sit reflexio, & consequenter, quod mobile, simul esset, & non esset in prædicto puncto, quæ est aperte contradictio.

**3** Sed nobis dicendum est, cum communi sententia, quam tenet Scotus loco supra citat. etsi aliquando cōtingat inter motum directum, & reflexum per eandem lineam eiusdem mobilis dari in puncto reflexionis aliquam quietem priuatiuam, seu temporalem, non tamen hoc esse necessariū ex natura præ-

dictorum motuum. Quam sententiam, ut melius declarem, & comprobemus; supponendum est, reflexionem motus contingere posse quatuor modis. Primo, ut post motum naturalem, sequatur alius motus naturalis, ut contingit in motu constrictionis, & dilatationis cordis. Secundo, ut post motum violentum sequatur motus præternaturalis, ut contingit, si lapidum pro suo sursum per violentiam ascendenti occurrat ex alto magna moles ferri, quæ ipsum deprimat in motum deorsum maiori velocitati, quam grauitas ipsius lapidis exorat. Tertio, ut post motum violentum sequatur alius violentus, ut contingit, quando pila in parietem violenter proiecta retrorsum resiliat. Quarto, ut post motum violentum sequatur motus mere naturalis, ut contingit, quando lapis proiectus sursum deficiente impulsu, quo sursum ferrebat, per suam grauitatem incipit moueri deorsum.

**4** Ad rem ergo: quando reflexio motus contingit primo modo, verū est, in puncto reflexionis dari quietem temporalem, sed non propter oppositionem, & discontinuationem prædictorum motuum; (ut rationes dubitandi ex doctrina Arist. desumptæ cōtendebant) sed quia (ut ex Galeno refert, & defendit Valeus 3. lib. controu. medicar. cap. 6. & controu. 50. ad Tirones) motus cordis est gra-

tia alicuius boni, quo fruatur viuens in termino illius, & sic aliquantulum quiescere naturaliter petit, ut viuens animal fruatur refrigeratione, & natura ipsa alleuietur.

**5** Quando motus reflexionis cōtingit secundo modo, etiam prædicti motus sint cōtrarii, & cōsequenter discontinui, in puncto reflexionis, non datur quies priuatiua, seu temporalis, sed solum negatiua, seu instantanea: ergo vera est nostra sententia, scilicet, non esse necessarium ex natura prædictorum motuum, ut inter prædictos motus in puncto reflexionis detur quies priuatiua. Antecedens patet; nam si paruus lapis violenter ascendens sursum in instanti, quo attingitur à molle ferrea descendenti ex alto, (quod instans est primū non esse motus, quo violenter ascendebat sursum) non inciperet extrinsecè descendere per impulsū in eodem instanti ei impresso à molle ferrea descendente, sed potius quiesceret aliquo tempore, sequeretur, quod toto illo tempore haberet vim ad detinendam illam maximam mollem ferream, quod est ridiculum.

**6** Quando motus reflexionis cōtingit tertio modo, verū est, in puncto reflexionis dari quietem priuatiuam, seu temporalem, sed non propter oppositionem, & discontinuationem prædictorum motuum, (ut rationes dubitandi ex Aristot. doctrina de-

deductæ contendebant) sed quia cum pila non tangat parietem in puncto, sed in aliqua parte superficie, non potest in instanti, cum reflectitur, separari ab illo; quia, cum ab illo per reflexionem separatur, debet ingredi aër inter pilam, & manifestum est, aërem non posse ingredi ad replendum vacuum in instanti, sed in aliquo tempore, licet parvissimo, & imperceptibili, & sic inter instans, in quo pila, & paries tanguntur, & instans extrinsecum, in quo incipit resilire pila, datur aliquod tempus, in quo pila quiescit.

7 Quando motus reflexionis contingit quartò, & ultimò modò, verum est, quòd docet Aristot. in tribus posterioribus capitibus huius lib. scilicet, in puncto reflexionis dari quietem temporalem, seu priuatiuam, sed non propter oppositionem, & discontinuationem prædictorum motuum, (vt rationes dubitandi ex doctrina Arist. deductæ contendebant) sed quia cum prædicti motus fiant per medium plenum aëre, hinc fit, vt cum impulsus, quo lapis sursum fertur, peruenit in sua intensione ad æqualitatem intensiōis grauitatis lapidis, non possit amplius lapis sursum moueri, neque etiã in eodem instanti poterit incipere extrinsecè moueri deorsum, eo quòd aër medius im-

pedit hunc motum, & sic est necessarium, quòd lapis aliquantulum quiescat, quòd si que remittatur amplius impulsus, & ita grauitas lapidis, non solum superare possit impulsus, sed etiam resistantiam aëris. Vndè si isti motus facti fuissent per vacuum, nulla daretur quies priuatiua, sed solum negatiua in puncto reflexionis; nam in eodem instanti, in quo extrinsecè, & per primum sui non esse desineret motus sursum lapidis, inciperet etiam extrinsecè, & per vltimum sui non esse motus deorsum eiusdem lapidis. En quam firma, & vera sit nostra, & Scoti sententia, scilicet, etsi aliquando contingat inter motum rectum, & reflexum per eandem lineam, dari in puncto reflexionis aliquam quietem priuatiuam, seu temporalem, hoc tamen non esse necessarium, nec proueniens ex natura motuum, eo quòd contrarij, & discontinui sunt, sed contingenter, & ex alio capite prouenire. Solum restat rationibus dubitandi ex doctrina Arist. desumptis, quas in principio quæstionis proposuimus, satisfacere.

8 Ad primum fatemur libenter cum Aristot. motum rectum, & reflexum eiusdem mobilis per eandem lineam esse oppositos, & consequenter, non posse esse continuos; quia implicationem inuoluit, quòd indiuisibilia vltima, & intrin-

seca

seca duorum motuum contrariorum sint vnum indiuisibile, & ex Aristot. 6. lib. Physic. solum dicuntur continua, quorum extrema sunt vnum. Tamen ex hoc ineptè inferitur, inter duos motus contrarios, vt sunt motus rectus, & reflexus eiusdem mobilis per eandem lineam assignandam esse in mobili aliquam quietem temporalem, seu priuatiuam; quia nihil verat, quòd prædicti motus, etsi non possint esse continui, possint tamen esse contigui; nam si in permanētibus aqua, & ignis possunt contiguari, nõ obstante, quòd natura sua petant qualitates contrarias, cur in successiuis hoc denegari debet duobus motibus contrarijs? Ad contiguitatē verò duorum motuum contrariorum eiusdem mobilis, tantum abest, quòd requiratur in mobili aliqua quies media priuatiua, quòd potius desideratur oppositum. Nam ex Aristot. in eodem 6. Physic. illa solum dicuntur contigua, quorum extrema sunt simul.

9 Ad confirmationem dicimus; ex eo quòd non detur in instanti reflexionis quies priuatiua media inter motum rectum, & reflexum eiusdem mobilis, minimè inferri in eodem instanti temporis mobile simul accedere per priorem motum, & recedere per posteriorem ad idem punctum, in quo fit reflexio. Nam, cum illud punctum

sit extrinsecum, tam desitionis motus recti, quàm inceptionis motus reflexi, pro illo instanti non potest verificari, nunc est motus rectus, & nunc est motus reflexus, sed quòd verificatur est, nunc non est motus rectus, sed tempore immediato erat; nunc non est motus reflexus, sed tempore immediato erit, in quo nulla aparet contradictio, sed potius summa concordantia.

### QVÆSTIO VII.

*Quare motus naturalis sit velocior in fine, quàm in principio, & motus violentus in medio, quàm in principio, & fine?*

I. DResupponit hæc quæstio, motus naturales, vt sunt motus, quò graue descendit deorsum, & leue ascendit sursum, esse velociores in fine, quàm in principio, & similiter motus proiectorum, vt est motus, quo sagitta fertur in scopum, & similiter, quo lapis ascendit sursum, esse velociores in medio, quàm in principio, & fine. Nam præterquam quòd hoc docuit Aristot. 5. Physic. tex. 61. & in hoc lib. 8. tex. 76. & lib. 1. de celo tex. 35. experientia ipsa sic docet; nam si lapis descendat deorsum, maiorem ictum efficit in fine motus, quàm in principio. Et sagitta projecta maius vulnus aperit in corpore existente in medio sui motus,

tus,

tus, quam in corpore existente in principio, vel in fine: ergo signum euidens est, quod motus naturalis velocior sit in fine, quam in principio, & motus proiectorum velocior sit in medio, quam in principio, & fine; quod autem inquitur est, quid sit causa huius velocitatis in his motibus.

2 Et loquendo de motu naturali, quo graue descendit deorsum, plures causæ assignari solent huius maioris velocitatis, sed tantum referam duos philosophandi modos; nam ceteri insufficientes sunt, & videri possunt apud Plazam hic quæst. 8. & alios recentiores, qui latè eos referunt, & refutant.

3 Primus modus philosophandi affirmat, causam maioris velocitatis in fine motus naturalis, quo mouetur graue deorsum, non esse impulsum impressum in graue à partibus aeris confluentibus ad replendum vacuum derelictum à corpore graui, quod naturaliter mouetur, sed esse grauitatem quandam accidentalem aduenientem de nouo ipsi graui ab intrinseca eius natura, quando actualiter mouetur, quæ cum toto tempore, quo mouetur graue successiuè augetur, maior est in fine motus, quam in principio, & consequenter in fine velociorem motum causat, quam in principio. Hunc modum philosophandi am-

plectitur Plaza, & citat pro ipso, non solum Petrum Martinez 1. lib. de cælo cap. 8. Themistium hic tex. 78. Albertum de Saxonia 4. Physic. tract. 1. cap. 11. sed etiam citat Arist. 1. de cælo tex. 38. sed ibi Arist. solum dicit, quod si graue moueretur deorsum in infinitum, infinita velocitate moueretur, & consequenter haberet infinitam grauitatem, non verò explicat, in quo consistat ista grauitas, vel à quo proueniat.

4 Priorem partem huius asserti probat primò; quia si lapis descenderet per vacuum, moueretur velocius in fine, quam in principio; sed in vacuo nullum esset medium, à cuius partium commotione causaretur talis maior velocitas; ergo extra partes medijs confluentes ad replendum vacuum, alia causa assignanda est prædictæ velocitatis.

5 Secundo, quia aer, qui confluit ad replendum vacuum, quod relinquitur à corpore graui, quando motu naturali descendit deorsum, effectiuè mouetur ab ipso corpore graui. Nam sicut graue per suum motum est causa illius vacuitatis, ita & motus aeris, qui confluit ad ipsam replendam; nam si non daretur vacuitas, quæ repleti expostulat, nec etiam daretur motus aeris ad ipsam replendam: ergo parum, aut nihil poterit conducere ad velocitatem motus, quo graue desc-

descendit deorsum illa confluentia aeris ad replendum vacuum, quod relinquitur à corpore graui, quando motu naturali descendit deorsum.

6 Tertiò, quia quando aer vehemens occurrit ex aduerso lapidi descēdēti deorsum motu naturali, non desinit lapis velocius moueri in fine sui motus, quam in principio: ergo signum est euidens, quod causa illius velocitatis, non est confluentia aeris ad replendum vacuum, quod relinquitur à lapide descendente deorsum. Patet consequentia, quia maiori vi mouetur aer vehemens, qui occurrit lapidi, quā mouetur aer, qui confluit ad replendum illum vacuum.

7 Quarto, quia si illa maior velocitas, qua mouetur graue in fine sui motus naturalis, proueniret ab aliquo impulsu in lapidē impresso à partibus aeris confluentibus ad replendum vacuum, quod relinquitur à graui, quando deorsum descendit, sequeretur velocitatem illam maiorem, quam graue in fine sui motus naturalis acquirit, nō esse, nec prædicto motui, nec prædicto graui descendēti naturalem, quod videtur maximum inconueniens. Sequela patet; nam proueniret ab aliquo extrinseco, scilicet, ab aere, & de ratione rei naturalis (sumpto naturali, vt opponitur violento) est, quod proueniat à principio intrinseco.

8 Posteriorē verò partem sui asserti, (scilicet, grauitatē quandam accidentalem aduenientem de nouo graui ex intrinseca eius natura, quando actualiter mouetur motu naturali, esse causam, cur prædictus motus sit velocior in fine, quā in principio) nō aliundè probat Plaza, quā ex illo principio, quod sibi semel suasisit, videlicet, non solum esse naturale grauibus moueri deorsum, sed etiam, quod talis motus deorsū sit velocior in fine, quam in principio. Ex hoc enim principio, sic argumētatur. Sicut motus deorsum est naturalis ipsi graui, ita etiā est naturalis ipsi graui illa maior velocitas, quæ datur in fine sui motus, quā in principio; sed ex eo quod motus est naturalis, necessariò petit procedere à principio intrinseco, & innato, nempe à grauitate permanenti: ergo ex eo quod illa maior velocitas, qua mouetur in fine est naturalis, & graui innata, saltem pro tempore, quo durat ille motus, necessariò petit procedere à principio intrinseco; sed nullum aliud principium intrinsecum, & innatum potest assignari, quam grauitas ista accidentalis: ergo ipsa necessariò est ponenda, vt causa prædictæ maioris velocitatis in fine motus naturalis.

9 Secundus modus philosophandi cōmuniōr, & probabilior, & cui libet subscribo, per oppositū affirmat, causam illius maioris

ioris velocitatis in fine motus naturalis, quæ graue descendit deorsum (idem proportionabiliter dico de velocitate maiori, qua leue mouetur sursum in fine) non esse aliquam grauitatem accidentalem aduenientem de nouo ipsi graui ab intrinseca ipsius natura, quando actualiter mouetur, sed quædam impulsus impressum in graue à partibus aëris cōfluentibus ad replendum vacuum derelictum à corpore graui, quod naturaliter deorsum mouetur; qui impulsus, cum maior sit in fine motus, quam in principio ob continuam, & velociorem confluentiam prædictarum partium aëris; tunc fit, vt etiam ipsa velocitas motus maior sit in fine prædicti motus, quam in principio.

10 Probari potest hæc nostra, & communior sententia. Primò, auctoritate non solum Arist. sed etiam antiquorū Peripateticorum, qui locis supra quæst. 1. huius disp. citatis. etsi nō negent proiecta moueri ab impulsu in ipsa à proijciente, seu impellente impresso, vniuersim affirmit, maximè iuari, seu accelerari in suo motu ab aëre medio, qui post terga confluit ad replendum vacuum, quod relinquitur à proiectis: ergo idem, proportionem seruata, dicendum erit de grauibus, quando naturaliter moueretur deorsum, scilicet, etsi negari non possit, quod mo-

ueantur à grauitate, ipsis innata, nihilominus maximè iuari, & accelerari in suis motibus ab aëre medio, qui post terga confluit ad replendum vacuum, quod relinquitur ab ipsis, dum naturaliter mouentur. Imò addo prædicta deductione (etsi efficax, & manifesta sit) non esse opus ad probandum hanc esse Arist. sententiã, cum ipsemet Arist. 4. Physic. tex. 74. contra Philosophos affirmantes necessarium esse ad motum dari vacuum, expressè affirmat, quòd si graue moueretur per vacuum, eius motus non esset velocior in fine, quàm in principio. Profecto nō alia ratione conuictus, nisi quia in dicto casu deficeret aër medius, qui conflueret ad replendum vacuum, quod relinquitur à graui, quod mouetur: ergo confluentia aëris ex mente Arist. est tota ratio illius maioris velocitatis, qua gaudet motus naturalis grauis, cum sit per medium plenum aëre in suo fine.

11 Secundò probari potest hæc nostra, communior, & Peripatetica sententia ratione à priori, qua, vt melior efformari possit, supponendum est, in corporibus inanimatis duplicem tantum potentiam loco motiuam posse reperiri. Vnam ipsis innatam, & consequenter eis à generante communicatam, nō secus, ac communicatur eis ipsorum esse, quæ

quæ eo ipso ipsis non continenter, sed necessariò competit, tam in esse quieto, quàm in actuali motione; talis est grauitas in corporibus grauibus, & leuitas in corporibus leuibus. Alterã eis impressam media projectione, seu impulsione, quæ ideo communiter appellatur impulsus, & hæc necessariò debet causari ab aliquo agente extrinseco; nam implicationem inuoluit, quod corpus inanime se ipsum proijciat, seu impellat, vt latius contra Vazquez supra quæst. 4. à num. 4. statuimus, quæ eo ipso non potest corporibus inanimatis necessariò conuenire, nec ab intrinseca natura, sed omninò contingenter, neque in esse quieto, sed in actuali motione, & in omnibus proiectis, seu impulsis (quocumque modo cieantur, siue sursum, siue deorsum, siue ad latera, siue in gyrum) est eiusdem speciei, vt ex dictis supra q. 2. latius constat.

12 His suppositis, vt certis, & ferè ab omnibus Peripateticis receptis, modo sic efformo rationem. Velocitas maior, quæ conuenit in fine motui, quo graue naturaliter descendit deorsum, cum sit quædam circumstantia motus, necessariò debet prouenire, tanquam à causa ab aliqua virtute motiua, sicut, & prouenit ipse motus, cuius est circumstantia; sed hæc virtus motiua non potest

esse ipsa grauitas natiua corporis grauis, quod mouetur deorsum, vt aduersarij nobiscum fatentur, & conuincit ratio. Quia, cum grauitas natiua non sit maior in fine, quàm in principio motus, non poterit esse causa maioris velocitatis in fine prædicti motus, quàm in principio: ergo necessariò fatendum est, à sufficienti partium enumeratione, esse aliquem impulsus corpori graui impressum in ipsa actuali motione ab aliquo impellente extrinseco, scilicet, ab aëre, qui confluit ad replendum vacuum derelictum à mobili, & ipsum à tergo impellit. Qui impulsus, cum maior sit in fine motus, quàm in principio, quid mirum, quòd causet maiorem velocitatem in fine motus, quàm in principio?

13 Non me latet ad istam rationem posse aliquem respondere (ex doctrina, quam latè tradit Plaza loco citato) hanc grauitatem accidentalem, quæ ab ipsis ponitur causa effectiua illius maioris velocitatis, quæ reperitur in fine motus, quo graue descendit deorsum, etsi in multis assimiletur impulsui, non tamen esse qualitatem eiusdem speciei cum illo, vt nos in nostra ratione supponimus, & sic non mirum, quòd non petat produci ab agente extrinseco, sicut petit produci omnis impulsus, sed potius petat à natura ipsius grauis emanare,

nare, licet non semper, sed in casu, quod actualiter moueatur. Quod si ab ipsis petas, vnde potest colligi hæc grauitatem accidentalem, quæ in multis assimilatur impulsui, non esse eiusdem speciei, cum illo? Respondere possunt ex doctrina ipsius Plazæ, se id colligere; quia hæc grauitas accidentalis natura sua inclinatur ad locum determinatum, scilicet, ad locum deorsum; at impulsus quilibet natura sua, non inclinatur ad locum determinatum, sed solum per accidens, scilicet, ex diuersa applicatione, seu directione proiectantis, seu impellentis.

14 Sed doctrina ista desumpta ex Doctore Christophoro Plazæ, nec sibi coheret, nec vero, sed falso nititur fundamento. *Non sibi coheret*; nam, quo pacto, quæso, coherere potest, quod aliquid naturaliter, & non liberè emanet ab intrinseca alicuius rei natura, & quod nullo obistente contrario, non semper, sed aliquando emanet, cum natura, cuiuscumque rei intrinseca, semper, & in omni euentu eiusdem sit rationis? quod enim alicui naturæ (nullo obistente contrario) aliquando competit, & aliquando non, manifestè indicat, non ab intrinseca entitate illius naturæ emanare, sed ab aliqua causa extrinseca prouenire; nam, si ab intrinseca entitate rei emanaret, (nullo obistente contrario) in omni

euentu à prædicta entitate rei intrinseca pullularet, vt videre est in frigiditate respectu aquæ, & in omnibus alijs conaturalibus accidentibus.

15 *Nititur falso fundamento*; nã falsò supponit Plazæ, virtutem illam loco motiuam, vi cuius graue descendens deorsum velocius mouetur in fine, quam in principio, esse diuersæ speciei, ab impulsu, quem aër confluentem ad replendum vacuum, quod relinquitur à graui deorsum, descendenti imprimi in ipsum graue, cum reuera, non solum non differant specie, sed neque numero; eadem enim numero virtus loco motiuam, quæ imprimitur ab aère confluyente ad replendum vacuum, in ipsum corpus graue, quod deorsum descendit, & dicitur impulsus, & grauitas accidentalis, sub diuersis considerationibus spectata; nam dicitur impulsus, in quantum impellit graue, vt velocius descendat, quã descenderet, solum attèta eius naturali grauitate, & dicitur grauitas, in quantum aggrabat graue ad velocius deorsum descendendum, additur autè particula, *accidentalis* (quam vtinã, sicut inculcat, ponderaret Plazæ) ad denotandum prædictam grauitatem, non emanare ab intrinseca natura grauis, vt aduersarij contendunt, sed ab aliqua causa extrinseca prouenire, vt nos asserimus.

16 Sed age, & comparatione facta

facta inter prædictum impulsum, & prædictam grauitatem accidentalem ostendamus aduersarijs prædictum impulsum, & prædictam grauitatem accidentalem in omnibus esse eiusdem rationis, & consequenter eiusdem speciei. Nam in primis sicut impulsus est virtus loco motiuam spectans ad prædicamentum qualitatis, ita & hæc grauitas accidentalis est virtus loco motiuam ad prædicamentum qualitatis spectans. Item sicut impulsus reduximus ad tertiam speciem qualitatis, ex quatuor, quas enumerauit Aristot. non alia ratione, nisi quia est qualitas per se primo sensibilis à sensu tactus, ita & hæc grauitas, propter eandem rationem ad prædictam tertiam speciem reducenda est; nam etiam est qualitas per se primo sensibilis à sensu tactus. Itè sicut de impulsu diximus non esse appellandum passibilem qualitatem, sed potius passibilem; quia non est qualitas diudurans, sed cito transiens, ita de hac grauitate accidentali propter eandem rationem dicendum est non esse appellandum passibilem qualitatem, sed passionem; nam non est qualitas (ipsis aduersarijs consentientibus) diudurans, sed cito transiens. Et demum sicut de impulsu diximus non esse virtutem motiuam principalem, sed potius instrumentalem, eo quod non conuenit

mobili in esse quieto, sed in actuali motione; ita de hac grauitate accidentali, & propter eandem rationem dicendum est, non esse virtutem motiuam principalem, sed instrumentalem; nam (ipsis aduersarijs consentientibus) non conuenit graui in esse quieto, sed in ipsa actuali motione.

17 Id autem per quod discriminabat Plazæ, grauitatem accidentalem ab impulsu, & ex quo colligebat diuersitatem specificam inter illa, scilicet, quod grauitas accidentalis natura sua inclinatur ad determinatum locum, impulsus solum per accidens, & ex applicatione, seu directione alicuius extrinseci, purum figmentum est. Nam sicut ipse (& optimè) probat impulsus natura sua non inclinare ad determinatum locum, sed hoc illi competere per accidens, ex directione, scilicet, proiectantis, vel impellentis, vel alterius extrinseci, instantia pilæ projectæ, seu impulsæ ad terram, ex qua in altum resilit, cuius ressaltus, seu motus resiliendi, cum non possit esse causa grauitas innata pilæ; neque etiam alius, quis impulsus de nouo productus in pila ab ipsa terra, ex qua resilit, necessariò tribuendus est, tanquam causæ impulsui à proiectante, seu impellente impresso, & consequenter fatendum, prædictum impulsus ex natura sua non inclinare ad determinatum locum,



sed nunc ad deorsum, nunc ad sursum, iuxta applicationem extrinseci dirigentis. Ita & nos idem demonstrare possumus de hac gravitate accidentali, quam ponit Plaza distinctam in specie ab impulsu, eadem instantia pile ex alto descendens in terram, non ab aliquo projecta, sed naturali sua gravitate simul adiuta ab hac gravitate accidentali, quæ in sententia Plazæ ponitur in actuali illo descensu à natura intrinseca ipsius pile dimanare, quæ prima, cum pertingit ad terram, (vt experientia docet) in altum resiliit; nam, cum huius resilius non possit esse causa grauitas innata ipsius pile, neque etiam aliquis impulsus de nouo productus in pile ab ipsa terra, ex qua resiliit, necessario prædictus resilius in sententia Plazæ tribuendus est tanquam causæ ipsi grauitati accidentali, & consequenter fatendum, prædictam grauitatem accidentalem ex natura sua non inclinare ad determinatum locum, sicuti nec inclinatur impulsus, sed nunc inclinatur ad locum deorsum, nunc ad locum sursum, per accidens iuxta applicationem, scilicet, extrinseci dirigentis. En quam certum est ex comparatione facta inter impulsu illum, quem aer resistens ad replendum vacuum, imprimat in corpus graue, quod motu naturali descendit deorsum, &

grauitatem accidentalem, prædictum impulsu, & prædictam grauitatem accidentalem in omnibus esse eiusdem rationis, & consequenter eiusdem speciei, quod demonstrare suscepimus. Soli restat argumentis factis à Plaza, in fauorem suæ sententiæ satisfacere.

18 Ad primam rationem ex adducta Plaza, ad probandam priorem partem suæ sententiæ, respondemus, factum supponere, dum affirmat, quod si graue descenderet per vacuum velocius moueretur in fine motus, quam in principio. Nã, vt num. 10 dicebamus, oppositum docuit Arist. 4. Physic. tex. 74. & ex doctrina Peripateticorum ibidem idem efficaciter deduximus.

19 Ad secundam negamus aerem, quando confluit ad replendum vacuum derelictum à corpore graui, quod deorsum mouetur per se, effectiue moueri à prædicto corpore graui. Licet enim vacuitas sit conditio necessaria ad hoc, vt aer confluat ad replendum eam, & insuper hæc vacuitas causetur, non per se, sed per accidens, ex illo motu, quo graue descendit deorsum, tamè causa per se effectiua, seu impulsiva illius confluentiæ aeris ad vacuum replendum, non est corpus graue, quod mouetur deorsum, sed totus vniuersus per virtutem resistiuam, quæ est in illo, quod naturaliter conspirat ad tuendam,

& conseruandam contiguitatem suarum partium, tanquam in bonu proprium ipsius, etiã si hoc fiat cõtra inclinationem naturalem alicuius partis, imò cum dispedio illius, vt latius docuimus lib. 4. disp. 2. q. 1. n. 4.

20 Ad tertiam fatemur libenter, lapidẽ naturaliter descendente, nõ desinere moueri velocius in fine prædicti motus, quã in principio, ex eo quod ei occurrat aer vehemens; cuius ratio est, quia aer vehemens, ei occurrens, sicut non est potens impedire descensum lapidis, ita non est potens impedire confluentiam aeris ad replendum vacuum, quod relinquitur à lapide descendente requisita, quæ in nostra sententia est causa illius maioris velocitatis in fine motus. Vnde in forma respondemus concedendo antecedens, sed negando consequentiam; & ad probationem eius dicimus, planè falsum esse id, quod in ipsa præsupponit aduersarij, scilicet, maiori vi moueri aerem illum vehementẽ, qui occurrit ex aduerso lapidi descendenti, ac mouetur aer, qui confluit ad replendum vacuum derelictum à lapide descendente, cum vis aeris vehemẽtis, qui occurrit ex aduerso lapidi descendenti superari possit ab aliqua causa naturali, imò de facto superatur à grauitate lapidis descendens; at vis qua confluit aer ad replendum vacuum derelictum à lapide

descendenti, à nulla causa naturali superari potest; quia (vt numero antecedenti dicebamus) totus vniuersus naturaliter conspirat ad impediendum aerem, quo prædictum vacuum repleri debet.

21 Ad quartam dicimus, quod sicut de illa maiori velocitate, qua mouetur sagitta, quando ab arcu projicitur deorsum, ac mouetur, si sola sua grauitate deorsum descenderet, omnes affirmare tenentur, sicut de facto affirmant, non esse naturale, neque prædicto motui, neque prædictæ sagittæ, & nõ alia ratione, nisi quia prouenit à principio extrinseco. Ita, & nos affirmamus, imò, & omnes affirmare tenentur de illa maiori velocitate, qua graue descendens deorsum mouetur in fine, quã in principio sui motus naturalis, neque esse naturale prædicto motui, neque prædicto graui, eadem prorsus ratione, scilicet, quia, vt late probatum est in hac quæst. non est assignabile aliquod principium innatu, à quo procedat, sed necessario procedere ab aliqua virtute loco motiua iam pressa in graue ab aliquo extrinseco, scilicet, ab aere confluyente ad replendum vacuum, quod graue descendens relinquit, siue prædicta virtus loco motiua appelletur impulsus, siue grauitas accidentalis ob rationes num. 15. assignatas.

22 Ad ratiocinationem, qua

nitebatur Plaza probare posteriorē partem sui asserti, respondemus, inanti falso principio, & latē à nobis in ista quæst. refutato, scilicet, nō solum esse grauibus naturale moueri deorsum, sed etiam, quod talis motus sit velocior, quā in principio. Licet enim naturale sit grauibus moueri deorsum, ea velocitate, quā exigit eorum grauitas innata; quia, tunc ille motus, & eius velocitas prouenit à principio intrinseco, & innato; tamē moueri deorsum maiori velocitate, quā exigit eorum grauitas innata, (sicut contingit in præsentī casu) non est illis naturale; quia non prouenit à principio intrinseco, sed à principio extrinseco.

23. Loquendo de motu projectorum, vt est motus, quo sagitta fertur in scopum, & lapis ascendit sursum, Plaza loco citato quæst. 9. quæ est vltima illius disputationis, affirmat, causam, ob quam prædicti motus velociores sunt in medio, quā in principio, & sine esse, quia virtus loco motiua, siue impulsus impressus à proiiciente in proiecta, maior, & intensior est in medio motus, quā in principio, vel sine illius. Quam sententiam ex parte sequitur Rubius hic tract. 2. quæstione 6. quod si his auctoribus obijcias, hic impulsus, qui est causa instrumentalis motus projectorum,

sicut in instanti, in quo impellitur proiectum, & separatur à proiiciente, accipit entitatem, ita & intensiōem: ergo falso astruitur esse magis intensum in medio motus, quā in principio: non eodem modo ad hanc obiectionem respondet Plaza, ac Rubius.

24. Plaza respondet, etsi verissimum sit, impulsus, quoad suam entitatem produci, seu imprimi in proiectum, in illo instanti, quo proiectum impellitur, & separatur à proiiciente, nihilominus perfici, & intendi successiuē ex dispositione subiecti, in quo recipitur, & quia determinatus motus localis in proiectis est dispositio necessaria ad maiorem, vel minorem intensiōem impulsus: hinc esse, vt quando motus proiecti pertingit ad medium, impulsus sit intensior, quā in principio, vel sine motus; quia media pars motus est dispositio ad intensiōem impulsus magis congrua, quā prior pars motus, vel posterior. Quod confirmare, & declarare nititur à simili de lumine producto à Sole in nube, quod etiam in instanti producit, & nihilominus successiuē intenditur, si nubes fiat successiuē magis rara, eo quod raritas in nube est dispositio magis congrua ad recipiendum intensius lumen.

25. Sed licet negare nō possumus,

mus, non solum id, quod supra q. 5. n. 12. vt certū statuimus, scilicet, impulsus, tam in sua duratione, quā in expeditione sui vsus multū pendere ex dispositionibus projectorū, quod exēplificauimus facta comparatione inter pilam, & lapidē, quæ, etsi eadē vi, & ab eadem distātia proiciatur ad parietē, longius, & expeditius resilit pila, quā lapis, non alia ratione, nisi quia pila habet aliquas dispositiones, quas non habet lapis valde necessarias, vt impulsus, quo mouentur ad parietē, & resiliunt ex eo, magis duret in pila, & expeditius vtatur suo munere, quā in lapide; sed etiam id, quod statuimus supra quæst. 4. num. 12. scilicet, impulsus natura sua petere desinere esse, quoties motus, cuius est causa instrumentalis, ab aliquo corpore obsistente totaliter impeditur; quia, vt ibi dicebamus, finis à natura præfixus impulsui, tantum est instrumentaliter causare motum, & cessante eius naturali fine, quod etiam ipse impulsus esse naturaliter exigitur. Nihilominus totis viribus negandū est (præsertim in veriori, & Scotica doctrina, cui non refragatur Plaza, scilicet, intensiōem qualitatis non fieri per maiore erradicationē in subiecto, sed per additionem gradus ad gradum) maiorem intensiōem impulsus effectiuē, & perse prouenire posse ab aliqua disposi-

tione subiecti, quod impellitur, quæcūque illa assignetur, sed effectiuē, & perse prouenire posse tantū à proiiciente, seu impellente, quod sicut in instanti, in quo impellit, & separat à se proiectū, causat in illo totam entitatem impulsus, ita in eodem instanti causat totā illius intensiōem, & sicut in medio motus proiecti non potest ob distāntiam proiecti aliquem impulsus causare in proiecto; ita & propter eandem distāntiam, non poterit impulsus, quē in principio impressit in proiectū, & adhuc perseuerat in illo, aliquomodo intēdere, & consequenter causam velocioris motus projectorū in medio, quā in principio, & sine sui motus, non posse assignari, quod impulsus, quo mouentur proiecta, sit intensior in medio motus, quā in principio, sed aliā causam esse inuestigandā.

26. Similitudo autem luminis causati à Sole in nube, qua vtitur Plaza ad suam sententiā declarandam, & comprobandam, non est ad rem; nam nos non negamus, qualitates, quæ producuntur in instanti, vt sunt lumen, impulsus, & quæcumque aliæ, non habētes contrariū diuissibiliter oppositū, posse semel, & in instanti productas successiuē intēdi, dummodo adsint duæ conditiones necessariæ requisitæ. Prima, quod subiectū, in quo in instanti producta fuit qualitas, & propter suā

in dispositionem, nõ potuit illam recipere, nisi in minori intensiõne, quàm aliàs, si fuisset magis dispositum recipere, postea successiue magis, ac magis disponatur ad recipiendã maiorem intensiõnem in qualitate in se recepta. Secunda, quòd causa productiua talis qualitatis, & habens virtutem producendi illam in maiori intensiõne, quàm produxit in principio, ob indispositionem subiecti, maneat, & conferuetur post primam intans productionis in distantia ad producendam, vel intendendam qualitatem in subiecto requisita; nam, si manet extra spheram suã actiuitatis, illud subiectum, etiam si subiectum disponatur ad recipiendam maiorem intensiõnem qualitatis, prædicta qualitas in principio producta, non poterit intendi, nõ ex defectu dispositionis subiecti, sed ex defectu approximationis causæ efficiētis illius maioris intensiõnis.

27 Ad rem ergo, cum in productione luminis in nube, quæ fit à Sole, simul vtraque ista conditio reperitur; nam reperitur rarefactio successiua nubis, quæ est dispositio necessaria ad recipiendam intensius lumen, & etiam assistentia, & contẽtuatio Solis (qui est causa efficiẽtia, tam luminis, quàm illius intensiõnis) in distantia debita, & requisita ad posse operari in nube, tam lumen,

quàm illius intensiõnem, quid mirum, quòd lumen in instanti productum in nube, postea in successiua rarefactione nubis, successiue, etiam a Sole intendatur? at cum ad productionem impulsus, & illius intensiõnem, approximatõ necessariõ requisita inter impellens, & rem impulsam, non sit qualiscumque, sed præcisè contactus phisicus, ex aliquo motu locali proueniens, & in eodem instanti, in quo causatur impulsus desinat intrinsecè, & per vltimum sui esse prædictus contactus phisicus inter impellens, & rem impulsam, seu inter proijciens, & proiectum; quid mirum, quòd impulsus impressus in proiectum in instanti initiatiuo sui motus, non possit intēdi in medio sui motus, (adhuc admissõ, quòd medium sui motus sit dispositio requisita ad maiorem intensiõnem impulsus) siquidem prout tunc deficit contactus phisicus inter proijciens, & proiectum, seu inter impellens, & rem impulsam, qui est approximatõ necessariõ requisita, tam ad productionem impulsus prædicti, quàm ad illius intensiõnem.

28 Aliter Rubius respõdet ad obiectiõnem supra factam; admittit enim libenter impulsus, qui est causa instrumentalis motus proiectorum, sicut in instanti, in quo impellitur proiectum, & separatur localiter à pro-

proiiciente, accipit suum esse, ita, & suam intensiõnem accipere, sed aliter in partibus superficialibus proiecti, & aliter in partibus profundioribus; nõ in partibus superficialibus proiecti, cum sint magis propinqua proiicienti, quàm profundiores, accipit in illo instanti maiorem intensiõnem, quàm in partibus profundioribus. Quod probat; tum ex illo cõmuni axiomate, agēs naturale virtutis limitatæ fortius agit in propinquum, quàm in remotum. Tum etiã exemplo corporis luminosi, quòd etsi in instanti producat lumen in toto aère, sed intensius in partibus aëris proximioribus, quàm in remotioribus, seu profundioribus. Quæ supposita doctrina, respõdet; idè impulsus, quò mouentur proiecta esse in medio motus maiorem, seu intensiorem, quàm in principio, & cõsequenter causam illius maioris velocitatis; quia maior intensio impulsus, quæ in principio erat in solis partibus superficialibus proiecti, dũ proiectũ successiue mouetur, extenditur etiam successiue, seu communicatur partibus profundioribus proiecti, & consequenter fit in toto corpore maior, & perfectior impulsus.

29 Sed licet doctrina, quam hic supponit Rubius, vera, & peripatetica sit; tamen ego nõ capio, quo pacto maior intensio impulsus, quæ in principio

motus proiectorũ inhærebat, in solis partibus superficialibus ipsorum, possit extendi, & communicari, dum proiecta actualiter mouentur, partibus profundioribus ipsorum proiectorum; nam, vel hoc esset per motum alterationis, vel per motum localem; non per motum alterationis, quia etiã si impulsus sit virtus effectiua, sed non alteratiua, sed loco motiua, vt omnibus compertum est: non per motum localem, aliàs idem numero accidens migraret ex subiecto in subiectum, quòd est absurdum.

30 Dicẽdum igitur nobis est, (& consequenter ad ea, quæ diximus de causa maioris velocitatis motus naturalis in fine, quàm in principio, & medio) causam, ob quam motus proiectorum velocior est in medio motus, quàm in principio, non esse; quia virtus loco motiua, seu impulsus impressus à proiiciente, vel impellente in ipsa proiecta maior sit, & intēsiõ in medio motus, quã erat in principio, cum potius contingat è cõtra. Cum enim impulsus impressus in proiectum, statim, ac proiectum separatur localiter à proiiciente, fit in via corruptionis, & successiue remittatur, vsque desinit esse, & idè ab omnibus appellatur qualitas cito transiens, & non communicata per modũ permanentis, sed per modũ transeuntis, & ex alia parte non

appareat causa efficiens, à qua accipere possit nonquam intentionem, dubitari non debet, quòd prædictus impulsus remissior sit in medio motus, quàm erat in principio; sed causam esse, tum continuos, & successiuos impulsus, quos aër confluentis ad replendum vacuum derelictum à proiecto, dum mouetur, imprimit à tergo in proiectum; tum etiam, quia ipse motus proiectorum est maxima dispositio ad hoc, vt impulsus impressi in proiectum, tam à proiiciente, quàm ab aère, qui confluit ad replendum vacuum, sua munera expeditius exerceant. Et quia velocitas, quæ accrescit ex his duobus capitibus in motu proiectorum, dum est in medio, exuperat velocitatem, quàm

amittit motus proiectorum ex remissione, quàm pro tunc habet impulsus impressus à proiiciente, idè contingit, quòd motus proiectorum sit velocior in medio, quàm erat in principio. Causam verò, ob quam motus proiectorum est velocior in medio, quàm in fine, esse, quòd impulsus impressus à proiiciente, seu impellente in proiectum, qui est præcipua causa illius motus, & à quo cætera pendent, cum continuè, & successiuè remittatur, & sit virtutis limitatæ, post medium valde languescit, & consequenter languescit impetus, quo aër confluentis ad replendum vacuum impellit à tergo proiectum, & etiam languescit ipse motus, & tandem desinit esse.

## DISPUTATIO TERTIA, ET VLTIMA,

### De primo motore.

**A**Liquas proprietates, seu attributa attribuit Arist. in littera huiuslib. primo motori, scilicet, Deo, quæ à nullo viro Catholico negari possunt. Videlicet, dari vnū primum motorem immobilem, esse indiuisibilem, infinitæ virtutis, & immensum. Vndè in hac vltima disp. nō examinabimus, an hæc omnia attributa conueniant Deo, seu primo motori? est enim de fide conuenire, & in Theologia ex principijs fidei demonstratur; sed solum examinabimus, an rationes, quibus hæc probauit Arist. sint efficaces? Vndè in hac disputatione quatuor examinanda veniunt. Primò, *an ratio, qua probauit Arist. dari vnū primum motorem immobilem, fuerit efficax?* Secundò, *an sit efficax ratio, qua probauit Arist. primum motorem habere infinitam virtutem?* Tertio, *an sit efficax ratio, qua probauit Arist. primum motorem esse incorporeum?* Quarto, *quid de immensitate primi motoris senserit Arist?*

QVÆ

## QVÆSTIO PRIMA.

*An ratio, qua probauit Arist. dari vnū primum motorem immobilem, fuerit efficax?*

**1** **A**RIST. cap. 5. huius lib. ostendere conatus est, dari vnū primum motorem immobilem. Longo quodam discursu, (vt vidimus in littera) qui ex his, quæ ibi adducit, & etiam cap. 1. septimi lib. sic breuiter efformari potest. In mouētibz nihil mouetur primò à se ipso: ergo, vel dandus est processus in infinitum in causis per se subordinatis, quod est absurdum, vel sistendum in vno primo motore, à quo cætera moueantur, ipse autem à nullo.

2. Hic Arist. discursus aliquibus insufficiens ad intērum visus est, eo quòd nitatur duabus propositionibus non satis manifestis. Prima, *nihil mouetur primò à se ipso*; hæc enim propositio videtur falsa; nam, vt probauimus libro 7. huius operis disp. vnica, quæst. 1. etsi in agentibus vniuocis vniuersaliter vera sit; tamen in agentibus æquiuocis nō est vniuersaliter vera. Vndè loco citato q. 2. cōsequenter docuimus, grauias, & leuias moueri primò à se ipsis, sumpto ly primò non pro primitate causalitatis, & indepē-

dentia ab aliquo, quod non sit ipsum, sed pro primitate totalitatis, ita vt si diuisibile sit secūdū quamlibet partem eius, & moueat, & moueatur. Secūda, *in causis per se subordinatis non potest dari processus in infinitum*; quæ propositio non videtur manifesta; nam, si in numeris, & in diuisione continui datur processus in infinitū ex mēte Arist. cur non poterit dari in causis per se subordinatis? Ita in sententia Arist. qui posuit mundū, & generationes rerū ab æterno, necessariò fatendum est, in causis per accidens subordinatis dari processum in infinitum, cur igitur modo negat in causis per se subordinatis non posse dari talem processum?

3. Dicendum nihilominus est cum communi sententia, quæ tenent Scotus in 1. dist. 2. q. 2. art. 1. conclus. 1. & D. Tho. 1. contra gētes: cap. 13. & ceteri Scholastici in 1. dist. 3. Arist. à posteriori, & ex motu, quo entia creatamouentur, optimè demonstrasse dari vnū primum motorem immobilem discursu supra facto. Quæ sententia nulla meliori viâ probari potest, quàm explicā-

do varios sensus, quos habere possunt illæ duæ propositiones, quibus nicitur Aristot. discursus, & assignando, in quo sensu illas usurpauerit Arist. in suo discursu.

4 Et loquendo de priori illa propositione, *nihil mouetur primo à se ipso*. Constat ex dictis lib. 7. huius operis disp. vnica, quæst. 1. n. 20. ex mente Scoti aliquibus in locis, sed præcipuè in 2. dist. 2. quæst. 10. §. *Sed ad probationem*, num. 13. ly *primo* in prædicta propositione dupliciter posse accipi. Vno modo, prout *moueri primo*, idè est, ac moueri secundum se totum, & opponitur ei, quod mouetur solum secundum aliquam partem sui. Et sumendo ly *primo* præcisè in hac acceptione, dicimus prædictam propositionem, *nihil mouetur primo à se ipso*, nec sumptam fuisse ab Aristot. in ista præcisione, neque in ista præcisione sumptam esse efficacem ad intentum Aristot. comprobandum. Nam, vt in ratione dubitandi obijciabatur, etsi in agentibus vniuocis sit vniuersaliter vera, sed nõ in agentibus æquiuocis, cum graui, & leuia moueantur primo à se ipsis sumpto, ly *primo* præcisè in ista acceptione, scilicet, pro aliquid moueri secundum se totum.

5 Alio modo sumi potest, ly *primo* in dicta propositione, scilicet, prout *moueri primo*, idè est, ac moueri independenter

in sua actuali motione à concursu cuiuscumque alterius extrinseci. Et in hoc sensu (quem non excludit Arist. nam, vt lib. 7. disput. vnica, quæst. 1. num. 21. ostensum est, Aristot. in ista propositione, *nihil mouetur primo à se ipso*, locutus est, de vtraque ista primitate simul sumpta) ita certum est, in agentibus vniuocis nihil moueri primo à se ipso, ac est certum nihil producere se ipsum; & in agentibus æquiuocis, (qualis est, motus grauium, & leuium) ita certum est, nihil moueri primo à se ipso, ac est, certum nihil agere æquiuocè in se ipsum independenter à concursu generali Dei; nam prædictæ locutiones sunt identicæ. Constat autem has duas propositiones, *nihil potest producere se ipsum, nihil potest actualiter operari sine concursu generali Dei*, non solum iuxta principia fidei, sed etiam lumine naturali esse manifestas. Ex quibus patet, priorem propositionem de sumptam ab Aristot. in suo discursu, non solum esse irrefragabile, sumpto ly *primo*, vt sumitur ab Aristot. pro vtroque genere primitatis simul, sed etiam instantiam de motu grauium, & leuium, quæ in contrarium adducebatur nõ esse ad rem; nam etiam si graui, & leuia moueantur à se primo primitate totalitatis, sed non primitate independentiæ in sua actuali motione, cum in sua actuali motione pend-

deant à generali cõkursu Dei. 6 Loquendo autem de posteriori illa propositione, *in causis per se subordinatis, non potest dari processus in infinitum*; annotandum est cum Scoto in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *In primo ergo articulo*, à num. 12. dupliciter posse causas in causando subordinari, scilicet, & per se, & per accidens. Tunc dicuntur cause in causando per se subordinates, quando causa inferior, non solum dependet à superiori, quoad esse, sed etiam quoad operari; taliter subordinatur Deus, & creaturæ in agendo; tunc verò dicuntur cause in causando per accidens subordinates, quando posterior, etsi dependeat à priori, quoad esse, non tamen quoad operari; taliter subordinantur filius, pater, auus, &c. ex hoc discrimine inter causas per se, & per accidens subordinatas, aliud discrimen colligit Scotus, nimirum, quod in causis per se subordinatis ad actualiter causandum necessariò requiri, quod omnes actualiter existant; nam sicut implicationem inuoluit, quod aliquid actualiter causet, & quod actualiter non existat, ita quod cause per se subordinates, simul actualiter causet, (vnaquæque in suo ordine) & quod omnes simul actualiter non existant. At in causis per accidens subordinatis hæc cõditio, non est necessariò requisita; filius enim optimè potest

causare, etiam si eius pater, & eius auus non existant.

7 Ex his prænotatis manifestè apparet, quàm efficax sit ratio, quæ Arist. non solum hic, sed etiam 12. Metaph. conatus est, demonstrare in causis per se subordinatis, non posse dari processum in infinitum, sed sistendum esse in aliqua prima actualiter existenti, à qua cæteræ in sua actuali motione, seu causatione dependeant; quæ ratio etiam est, solutio rationum in contrarium num. 2. adductarum, & sic efformari potest. Si in causis per se subordinatis daretur processus in infinitum, seu quod idem est, infinitum, in potentia, sicut datur in numeris, in diuisione continui, & in sententia Aristot. in causis per accidens subordinatis, sequeretur in rerum natura nullam causam mouere, seu operari; consequens contradicit sensui: ergo antecedens non est admittendum, sequela patet; nam ex primo notabili in causis per se subordinatis nulla causa inferior potest actualiter mouere, seu operari, nisi causa superior simul cum illa moueat, seu operetur, & ex secundo notabili, sicut non potest causa mouere, seu operari, quin actualiter existat, ita neque omnes cause per se subordinates simul possunt actualiter mouere, seu actualiter operari (vnaquæque in suo ordine) quin simul actualiter existant; sed implicat

in his, in quibus datur processus in infinitum, seu quod idē est infinitum in potentia, omnes partes actualiter existere, sed quaedam partes actualiter existunt, & hæc sunt finitæ, & quaedam in potentia, & hæc sunt infinitæ; aliās si omnes actualiter existerent, iam non essent infinitum in potētia, sed infinitum in actu: ergo etiam implicabit in causis per se subordinatis dari processum in infinitum, seu infinitum in potentia, sed necessariō sistēdum erit in aliqua, quæ in prædicta subordinatione ut prima, & actualiter existens, à qua in sua actuali operatione cæteræ dependeant, seu moueantur, ipsa autem à nulla alia priori, ut rectē concludit Arist. discursus.

## QVÆSTIO II.

*An sit efficax ratio, qua probauit Arist. primum motorem habere infinitam virtutem?*

**P**rimum motorem habere virtutem infinitam, sic probauit Arist. ut vidimus in littera cap. 10. & 12. Metaph. tex. 41. *Primus motor mouet tempore infinito: ergo est virtutis infinitæ; quæ ratio meritō nō solum Scoto super locum Metaph. §. Notandum. & in 1. dist. 2. q. 1. §. Ostensis igitur. sed etiam omnibus alijs Theologis insufficiens visa est; nam antecedens est falsum, cum motus, & tem-*

pus non sint ab æterno, ut Aristot. existimauit; & dato antecedente negari debet consequentia: maior enim duratio non arguit maiorem perfectionem in effectu; non enim hodie cælum mouetur perfectius, quàm heri: ergo neque arguit maiorem perfectionem virtutis in causa, nisi fortē infatigabilitatem causæ; sed ista infatigabilitas non necessariō fundatur in virtute infinita, sed solū in virtute, corporeæ molis experte, seu quæ ad mouēdum non indiget certo temperamento, & apparatus spirituum in organo, quorum defectu contingit potentiam organicam deficere. Vndē Angelus non fatigaretur, etiam si in æternum moueret cælum; non ergo est efficax ratio, ut proposita est ab Arist. ad probandum, primum motorem habere virtutem infinitam, sed in pluribus deficiens.

2. Id autem, quod respōdent Nominales, Gregorius in 1. dist. 42. quæst. 3. art. 2. Ocham quodlib. 3. quæst. 1. & quodlibeto 7. quæst. 22. & 23. Marsilius in 1. quæst. 24. art. 2. scilicet, Arist. supra dicta ratione non intendisse probare primū motorem esse infinitum in virtute, sed in duratione tantum, & sic non defecisse in probatione, sed in conclusione, tribolum est. Nam Arist. intendisse probare primum motorem esse infinitum in vi agendi,

di, seu mouendi, & sic non defecisse in conclusione, sed in probatione, præter quā, quod est communis consensus Scoti in 1. dist. 2. quæst. 1. in fine. D. Tho. Alberti, Simplic. & aliorum expolitorum; planē deducitur ex eius discursu. Propterea enim probat primū motorem esse infinitum, inde inferat eum carere magnitudine, at si solum intenderet probare tantum in duratione esse infinitum, nō verō in virtute agendi, eius illatio nullius esset roboris, illādo in principijs eius; nam ipse ponit cælum, & elementa corporalia æterna, & consequenter. Secundum durationem infinita, deinde probat virtutem infinitam, non posse esse in magnitudine; quia aliās moueret in nou tempore, quæ illatio esset prorsus impertinens, si de sola infinitate secundum durationem sermo esset; nam virtus motiua, nō ideō velocius mouet; quia magis durat, sed quia est intensior; neque obstat, quod Arist. 1. de cælo, cap. 8. & 9. neget Deum posse producere alium mundum; nam hanc impossibilitatem, non refert in limitatam perfectionem diuinæ potentia, sed ob alias rationes, quas ibi fusiuss prosequitur, inter quas vna est non esse possibilem aliam materiam ab ea, quæ est in hoc mundo, & in rebus materialibus in eius sententia, ex nulla

præsupposita materia nihil fit, nec fieri potest.

3. Non me later, Scotum in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *Ostensis igitur*. affirmare posse hanc rationem Arist. quoad antecedens, exponi, seu (ut loquitur Scotus) *colorari* intelligendo illud, non de motu, quoad durationem infinito, sed de motu infinito, quoad productionem infinitorum effectuum, quorum quodlibet requirit in causa aliquam perfectionem sibi propriam, ut sunt motus, quibus producantur effectus distincti in specie. Et facta ista coloratione affirmare Scotum, optimē inferri ex hoc antecedenti, *primus motor habet ex se, & independenter ab alio posse causare, ita perfecte simul, ac posset successiue infinitos effectus, quorum quodlibet requirit in causa perfectionem aliquam sibi propriam, istam consequentiam: ergo primus motor habet virtutem infinitam, quod num. 26. litt. D. sic probat Scotus: Quidquid potest in aliqua multa simul, ita perfecte, sicut in quodlibet eorum seorsum, quorum quodlibet in causa requirit aliquam perfectionem sibi propriam, illud concluditur esse perfectius ex eo quod potest in plura: ergo etiā concluditur, quod sit infinitum, ex eo quod potest in infinita. Sed quia posset aliquis obijcere ipsi Scoto, non solum in sententia ipsius, sed etiam Philosophorum, nō posse dari in productione diuersarū specierum processum in infinitum,*

& consequenter, neque in productione effectuum, quorum quo libet in causa requirit aliquam perfectionem sibi propriam. Huic tacite objectioni non solum adæquatè, sed subtilissimè respõdet Scotus, verbis sequentibus: *Et vltimus, si natura effectuum non permittat simultatem eorum, tamen causa quantum est ex se posset, simul in infinita; adhuc sequitur, quod sit infinitum ex infinita pluralitate talium, & ita viderur de primo agente esse concedendum, quod si posset causare infinita simul, quod esset virtus eius infinita, & per consequens, si simul haberet virtutem causandi infinita, ita quod quantum est ex se, posset simul producere, licet natura effectuum non permittat, adhuc sequitur infinitas virtutis eiusdem. Hæc consequentia vltima probatur; quia potens causare simul album, & nigrum non est minus perfectum, si non potest ea simul causare; quia ista non sunt simul causabilia, quia hæc non simultas est ex repugnantia eorum, & non ex defectu agentis; quia agens simul habet virtutem respectu amborum, si illa ex se essent composibilia. Sic igitur illa maior, quodcumque agens virtutem habens, quæ quantum est ex se, possit in infinita simul, licet incompossibilitas effectuum impediat ista simul poni, tale agens est infinitæ virtutis. Primus motor est huiusmodi; ergo, &c.* Hæc subtilissimus Doctor.

4 Sed licet ex antecedenti Arist. sic exposito, seu colorato

ab Scoto, optimè concludatur (vt ratione supra facta cõcludit Scotus) infinita virtus in primo motore, tamen quod hæc expositio, seu coloratio sit iuxta mentem Arist. neque affirmat Scotus, neque ab aliquo affirmari potest. Tum, quia Arist. ita expressè loquitur de motu infinito secundum durationem, vt nõ possint eius verba absque maxima violentia de motu infinito, quoad productionem infinitorum effectuum colorari; non enim dixit: *Primus motus mouet motu infinito, sed primus motor mouet tempora infinito.* Tum etiam, quia Arist. ibi argumentatur ex medio puro physico, & in eodem lib. prius probato; physicum autem medium est, quod primus motor moueat tempore infinito, & hoc solum fuerat ab Aristot. probatum; quod autem primus motor habeat ex se, & independenter ab alio posse causare imperfectè simul, ac posset successiuè infinitos effectus, quorum quodlibet requirit in causa aliquam perfectionem sibi propriam, non est medium physicum, sed metaphysicum, nec de hoc Aristot. in superioribus aliquam mentionem fecerat. Siftendū igitur nobis est in resolutione in principio posita, scilicet, rationem, qua vsus est Aristot. ad probandum primum motorem esse infinitæ virtutis, non fuisse efficacem, sed tam in anteceden-

denti, quam in consequenti deficientem, vt cum Scoto, & alijs interpretibus demonstrauimus.

QVÆSTIO III.

*An sit efficax ratio, qua probauit Arist. primum motorem esse incorporeum?*

**A**RIST. vt vidimus in eius littera, capite 10. huius lib. ad probandum primum motorem esse incorporeum, hac vtitur ratione: *Primus motor est infinitæ virtutis; sed virtus infinita non potest esse in magnitudine corporea, neque infinita, neque finita: ergo necessario primus motor incorporeus debet esse.* Maiorem supponit Arist. vt à se demonstratam; & quamuis ratio, qua vsus est ad hoc demonstrandum (vt ex dictis in quaest. præcedenti patet) non fuerit demonstratio, sed in pluribus deficiens. Tamèn, quia de fide certum est, primum motorem, scilicet, Deum esse infinitæ virtutis (imò Scotus in 1. dist. 2. quaest. 2. §. *Ostensis igitur.* quatuor vijs demonstrat Deum esse infinitæ virtutis, scilicet, via *efficientiæ*, via *cognoscentiæ distincti*, via *finalitatis*, via *eminentiæ*, quarum prima quaest. præcedenti attigimus) non esse in hoc immerandum; nam omnes Catholici, eam, vt certam, & indubitatam præsupponunt; Minorem quoad priorem partem, scilicet,

*virtutem infinitam non posse esse in magnitudine infinita*, nõ aliu- de probat Aristot. nisi quia magnitudo actu infinita non est dabilis, & quauis inter Doctores in controuersia positum sit, an de potètia absoluta Dei possit dari infinitum in actu secundum magnitudinem; tamen quia omnes affirmant id, quod assumit Aristot. scilicet, de potentia Dei ordinaria non posse dari infinitum in actu secundum magnitudinem; etiam non est in ratione, qua vtitur Arist. ad priorem partem minoris comprobendam, immerandum, sed, vt efficax ab omnibus est recipienda, siquidem omnes admittunt potètia Dei ordinaria (de hac enim solum loquitur Arist.) non posse dari infinitum in actu secundum magnitudinem.

2. Tota ergo difficultas sita est in explicanda ratione, qua vsus est Aristot. ad comprobendam illam secundum partem minoris propositionis, *virtus infinita non potest esse in magnitudine finita.* Probat illam enim Arist. quia ex opposito sequeretur, quod illa virtus infinita moueret in non tempore, seu in instanti; quod repugnat motui propriè sumpto; nam de ratione motus propriè sumpti est esse successiuum, & tempore mensurari; sequelam sic probat. Necessè est, virtutem infinitam citius mouere idem mobile, quam virtutem finitæ, quæ-

quæcumque illa sit: ergo necesse est, virtutem infinitam in suo motu nullum consumere tempus. Probatur consequentia; quia si aliquod tempus consumit, datur aliqua virtus finita, quæ tardius moueat maiori tempore; erit ergo aliqua proportio inter illa duo tempora: augeatur igitur illa finita virtus mouens cum eadem proportione, & sic tandem deuenietur ad finitam virtutem, quæ tam breui tempore moueat, sicut infinita; ne ergo talis proportio detur, nec vis finita possit æquare infinitam, necessarium erit, vt virtus infinita moueat in non tempore, seu in instanti.

3 Hic Aristotelicus discursus aliquibus visus est insufficiens ad probandum id, quod Arist. iuatendit, scilicet, *virtutem infinitam non posse esse in magnitudine*, primò, quia si quid probat, nõ est primum motorem carere magnitudine, sed simpliciter esse impossibilem virtutem motiuam infinitam, siquidem ratio facta ab Aristot. ita applicari potest ad virtutem infinitam extra magnitudinem, sicut intra. Secundò, quia hic Aristot. discursus, vt aliquid cõcludat, debet supponere quemdam errorem, scilicet, primum motorem agere ex necessitate nature, & non liberè; nam si supponatur, vt verum, id, quod fides docet, scilicet, primũ motorem agere liberè, nõ erit nec-

cessarium, quòd infinita virtus moueat in non tempore, cum possit applicare ad mouendum non totam virtutem, sed tantam, quantam ipse iudicauerit esse conuenientem.

4 Dicendũ nihilominus nobis est cum communi sententia, quam tenet Scotus in 1. distinct. 2. quæst. 2. propè finem, & D. Tho. hoc loco cap. 10. Aristot. discursu supra factò rectè, & efficaciter probasse primum motorem esse incorporeum, seu non habere magnitudinem, quam sententiam ex suppositione huius principij, *virtus infinita mouet ex necessitate nature* (quod etsi erroneũ sit, est tamen iuxta mentem Aristot. vt ex dictis disp. 1. quæst. 2. à num. 13. constat) optimè probat, & declarat Scotus, verbis ad litteram subscriptis: *Ex hoc igitur, quod virtus illa est infinita, sequitur, quod si agat ex necessitate nature* (ecce suppositionem) *agit in non tempore. Ex hoc autem, quod ponitur in antecedente, quod est in magnitudine, sequitur, quod si agat circa corpus, quod propriè moueat illud corpus; quia virtutem in magnitudine, vocat Philosophus virtutem extensam per accidens: talis autem si ageret circa corpus, haberet partes illius corporis diuersimodè distantes respectu eius: puta vnã partem corporis propinquo-* *rem, & aliam remotiorem; habet etiam resistentiam aliquam in corpore, circa quod agit, quæ duæ causæ, scilicet, resistentia, & diuersa approp-*

*xiatio partium mobilis ad ipsum mouens, faciunt successione esse in motu, & corpus propriè moueri: ergo ex hoc, quod in antecedente illo ponitur, virtus in magnitudine, sequitur, quod propriè mouebit, & ita iungendo ista duo simul, quod est infinitum &, in magnitudine, sequitur, quod propriè mouebit, & in non tempore, quod est contradictio; sed istud non sequitur de virtute infinita, quæ non est in magnitudine; ipsa enim licet in non tempore agat, si necessariò agat; quia hoc sequitur ad infinitatem; tamen nõ propriè mouebit; quia non habebit in passò illas duas rationes successione: non igitur vult Philosophus, quòd infinita potentia propriè moueat in non tempore, sicut argumentum pretendit, sed quod infinita potentia in magnitudine propriè moueat in non tempore, quæ sunt contradictoria. Et ex hoc, sequitur, quod antecedens includit contradictoria, scilicet, quod virtus infinita sit in magnitudine. Hæc acutissimè subtilis Doctor.*

5 Sed licet hic Scoti discursus desumptus ex Aristotelica sententia, *virtus infinita mouet ex necessitate nature*, non solum adæquatè probet Arist. efficaciter demonstrasse, ex eo quod virtus infinita esset in magnitudine, quod moueret quodcumque mobile corporeum; motu propriè sumpto, & prout distinguitur à motione instantanea, in non tempore, & consequenter implicare contradictionem, dari virtutem infini-

tam corpoream, seu in magnitudine, sed etiã solvat, & eneruet rationes num. 3. in contrarium adductas; tamen quia prædicta suppositio, etsi Aristotelica sit, non tamen est absolute vera, sed potius manifestus error, idè non erit abs re amplius huac Scoti discursum declarare.

6 Ad quòd supponendum est, quòd si virtus motiuã infinita, qualis est primi motoris esset corporea, seu in magnitudine, nec esset sensitua, nec intellectiua, nec nutritiua, sed foret in vltimo gradu immaterialitatis constituenda, non secus, ac virtus ignis, vel aquæ habens tria necessariò. Primum, operari naturaliter, seu necessariò. Secundum, quod in tota magnitudine, & singulis eius partibus esset eiudem rationis, sicut est virtus cuiuscumque corporis homogenei. Tertium, quòd non haberet, à quo in sua operatione limitaretur, sed poneret in actu quãtum posset. Etsi dicas, quòd limitaretur ex capacitate limitata subiecti, seu mobilis; contra hoc est; quia etiã si capacitas naturalis ad recipiendam aliquam formam cuiuscumque entis naturalis sit finita, & limitata; tamen capacitas obediensalis tanta est in subiecto respectu receptionis aliquius formæ, quanta est virtus productiua illius formæ in agente: ergo si in præsentì hæc virtus motiuã primi motoris po-



nitur infinita in mouendo, & illimitata; etiam esset infinita, & illimitata, respectu illius potentia obedientialis cuiuscumque corporis mobilis; solum restat, quod probemus antecedens assumptum, quoad singulas eius partes.

7. Et quidem, quod virtus infinita, si esset corporea, seu in magnitudine, non esset sensitiva; patet, quia potentia sensitiva p̄det in suis operationibus ab obiectis materialibus extrinsecis, & implicationem inuoluit, quod virtus simpliciter infinita pendeat in suis operationibus ab aliquo extrinseco: aliàs primus motor non esset immobilis primò; cuius oppositum quæst. 1. huius disp. cum Arist. statuimus. Et eadem ratione concluditur, quod non esset intellectiua, nec nutritiua; non intellectiua; quia in corporeis, & immeris in materia intellectus in suis operationibus p̄det à sensibus, iuxta illud Arist. affatū, *nil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*: non nutritiua, cum hæc etiã suo modo pendeat à materia sibi approximanda; & per alias facultates vegetales, vel animales prius disponenda.

8. Aliter verò contingeret, si virtus infinita primi motoris ponatur incorporea, & omnis experte magnitudinis, sicut de facto ponit fides, & Arist. totis viribus in hoc loco conatur esse ponendam; nam in isto ca-

su virtus infinitè motiua esset intellectiua, & volitiua, ageretque, seu moueret per intellectum, & voluntatem, quod non solum docet fides, sed etiã docuerunt omnes Philosophi antiqui, vt ex dictis disp. 1. q. 2. n. 2. manifestè patet, habēs pro obiecto motiuo, non aliquid extrinsecum, sed suamet essentiam, & pro obiectis solum terminatiuis ipsos creatos effectus, vt docet fides, & Aristot. vt certum præsupponit, dum statuit, primum motorem esse immobilem primò.

9. Ex his præsuppositis simul cū his, quæ docet Scotus, verbis supra relatis manifestè apparet in omni sententia, efficaciter Aristot. demonstrasse primum motorem esse incorporeum, & omnis magnitudinis expertem ex inconueniente, quod intulit, ex eo quod virtus infinita esset in magnitudine, scilicet, quod moueret motu propriè sumpto in non tempore, quod est implicatio in terminis. Nam si, vt docet Scotus, ex eo quod virtus infinita esset in magnitudine finita, sequitur, quod si ageret circa corpus sibi approximatum, propriè, & successiuè moueret illud; ex duplici causa, scilicet, & quia haberet illius corporis partes diuersimodè distantès, & insuper illud corpus haberet aliquam resistantiã, quæ duæ causæ faciunt successiõem in motu, & corpus propriè moueri. Et

Et ex alia parte, (vt constat ex his, quæ prænotauimus) si virtus infinita poneretur in magnitudine, seu corporea, necessariò moueret in nõ tempore; quia moueret naturaliter, & ad vltimum de potētia nullo sibi resistente. Profectò efficaciter probauit Arist. primum motorem esse incorporeum, & omnis magnitudinis expertem ex inconuenienti, quod sequeretur, ex eo quod eius infinita virtus esset in magnitudine, siue corporea, scilicet, quod prædicta virtus moueret motu propriè sumpto, & in nõ tempore; nã hæc duo simul sumpta apertam contradictionem inuolunt.

10. Quod autem prædictū inconueniens nullo modo inferri possit, neque in Catholicorū, neque in Aristot. sententia, qui ponunt infinitam virtutē primi motoris incorpoream, & extra magnitudinem; etiã ex præsuppositis, simul cum his, quæ docet Scotus, verbis supra relatis, non minus manifestum est. Nam si virtus infinita est incorporea, & extra magnitudinem, erit vtique agens, seu mouens per intellectum, & voluntatem, vt ex prænotatis constat, & consequenter in sententia Catholica, quæ non solum asserit, primum motorem agere, seu mouere per intellectum, & voluntatem, sed etiam agere, seu mouere liberè quidquid operatur ad extra, nõ bene in-

fertur, ex eo quod eius virtus sit infinita, necessariò mouere in non tempore, cū possit mouere eo ipso, quod mouet liberè, in tempore, vel in instanti ad nutum suæ voluntatis. In sentētia verò Arist. qui etiam si ponat primum motorem agere, seu mouere per intellectum, & voluntatem, nihilominus errando sustinet omne, quod immediatè mouet, mouere necessariò, licet optimè inferatur, ex eo quod virtus primi motoris est infinita, omne, quod immediatè mouet, mouere in non tempore, seu in instanti, sed non motu proprio, seu successiuo, vt aduersarij cõtendunt; quia eo ipso, quod hæc infinita virtus est extra magnitudinē, seu incorporea, non habebit (vt acutè docuit Scotus) in passo, seu mobili illas duas cõditiones ad motum successiuum, & propriè dictum necessarias, quas haberet, si esset in magnitudine, seu corporea. Ex quibus manifestè patet, quàm in æquiuocò laborarent illæ duæ rationes, quæ n. 3. in contrarium sunt adductæ. Nam nõ intendit Philosophus (vt bene annotauit Scotus,) quod infinita potētia, quæ necessariò agit, propriè moueat in non tempore, sicut aduersarij supponunt, sed quod infinita potētia in magnitudine propriè moueat in non tempore, quod valdè diuersum est.

11. Vnde in forma ad primam

rationem dicimus Arist. ad inferendum primum motorem esse incorporeum, & omnis magnitudinis expertem, duo assumpsisse. Primum, virtutem mouendi infinitam, si necessario moueat, mouere in non tempore. Secundum, non posse motum factum in non tempore esse proprie motum; nam, cum de ratione motus proprie sumpti sit successio, implicationem inuoluit dari proprie motum, & non in tempore. Primum ex his optime probauit Arist. discursu, quem num. 2. retulimus; & quantum ad hoc, in sententia Arist. qui ponit primum motorem, tam in magnitudine, quam extra necessarium mouere, optime dicunt aduersarij, nihil referre, quod predicta virtus infinita sit, vel non sit in magnitudine; nam vbi cumque sit, si necessario mouet, semper mouebit in non tempore. Tamē cum hoc optime stat Arist. recte probasse, primum motorem esse incorporeum, ex alio adiuncto capite inferendo, scilicet, sicut de facto intulit, ex eo quod hac infinita virtus esset in magnitudine, quod daretur illud impossibile, quod secundo loco proposuerat, scilicet, dari motum proprie sumptum in non tempore, & in hoc stat allucinatio huius primæ rationis, quod supponit, vt certum ratione num. 2. relata intēdisse Arist. probare precipuum eius

assertum, scilicet, primum motorem esse incorporeum, quod falsum est, cum reuera hoc immediate non intenderit, sed illud primum, quod ad hoc probandum præsupponit, scilicet, quod si virtus infinita necessario moueat, mouere in non tempore.

12. Ad secundum fatemur libenter, discursum Arist. vt efficaciter concludat, supponere primum motorem agere, seu mouere ex necessitate naturæ, sed quia hoc non supponit discursus Arist. vt absolute verum, (hoc enim esset error in fide) sed ex suppositione contrariæ sententiæ, scilicet, quod virtus infinita esset in magnitudine, idē ex hoc capite non enervatur Arist. discursus; quia Arist. non admittit talem suppositionem, vt veram, sed vt ex concessis ab aduersarijs efficaciter eorum suppositionē impugnat.

#### QVÆST. IV. ET VLTIMA.

*Quid de immensitate primi motoris senserit Aristoteles?*

1. **D**iuus Iustinus Philosophus, & martyr in oratione Parænetica docet Arist. existimasse Deum non esse immensum, quod colligit ex pluribus locis suæ doctrinæ; nā in cap. vltimo huius lib. tex. 84. tribuit Arist. Deo determinatum locum, asserens non esse in cētro

pro mundi, sed in circumferentia, seu conuexo primi cæli residere, & idem docet 1. de cælo. cap. 3. tex. 22. & lib. 2. cap. 12. tex. 65. & de generatione lib. 2. cap. 10. tex. 58. & 59. & lib. de mundo ad Alexandrum cap. 1. docet corpora, quæ longè distant à primo principio, quodā motu inordinato moueri, corruptionique subdita esse; & cap. 7. eiusdem lib. sustinet non esse consentaneum diuinæ dignitati cunctis rebus administrandis interesse; quod probat exemplo Regum, qui non perse, sed per suos ministros, regni gubernationem, & administrationem exercent.

2. Sed verior, & probabilior est opposita sententia, videlicet, Arist. cognouisse, Deum, seu primum motorem esse immensum, & vbi que præsentē, omnia conseruantem, & cum omnibus rebus concurrentem ad suas operationes immediatione suppositi, & virtutis. Itasentiunt communiter eius interpretes, lege Simplic. hoc lib. comm. 84. Themist. 1. Metaph. Phylopo 1. de anim. tex. 40. Tolerum in hoc lib. cap. 10. quæstione 7. & recentiores, qui ad hoc probandum duo referunt Aristot. testimonia. Primum est ex 1. lib. de partibus animalium cap. 5. vbi refert, & laudat dictum illud cuiusdam insignis Philosophi, nec ab exigua domuncula Deum


abesse, secundum est ex lib. de mundo ad Alexandrum cap. 7. vbi expressè, dicit: *Numen diuinum omnia permeare, & ea, in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora.*

3. Neque testimonia in contrarium adducta multum vrgent; nam ad priora respondetur Aristot. tribuere Deo determinatum locum, scilicet, circumferentiam, seu conuexum primi cæli: non quia existimauerit alibi non esse, sed quia ibi ostendit eius potentia perfectiores effectus, & sic ibi dicitur esse specialioris modo. Ad testimonium adductum ex lib. de mundo ad Alexand. cap. 1. respondetur; quod cum Arist. dicit, corpora, quæ longè distant à primo principio, quodam motu inordinato moueri, &c. non loqui de distantia in loco, sed in perfectione; qua etiam ratione D. August. 12. confessionum cap. 7. scripsit, *Deum fecisse vnum propè se, id est, naturam Angelicam, & aliud propè nihil, id est, materiam primam.* Et denique ad vltimum testimonium ex eodem lib. de mundo ad Alexandrum cap. 7. dicimus Aristot. non intendisse negare absolute assistentiam Dei ad infimas quasque operationes, & functiones, sed negare, Deum se solo illas operari, & sine interuentu causarum secundarum; & in hoc assi-

milatur Regibus, siue (vt meliùs loquar) Reges ei assimulantur, qui medijs suis ministris omnia disponunt in suo regno; licet cum aliqua differētia; nam Deus omnia, quæ sunt in mundo, ita disponit, & operatur medijs suis causis secundis, vt simul cum ipsis, immatione virtutis, & supposito concurrat ad omnes ope-

rationes: Reges autem solùm concurrunt moraliter, imperando, scilicet, suis ministris. Et hic finis esto commentariorum, & disputationum in octo lib. Arist. de physico auditu, seu auscultatione. Vtinam ad gloriam omnipotentis Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti.  
Amen.

F I N I S.



CVM PRIVILEGIO  
M A T R I T I  
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Anno M. DC. LVIII.